UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42624**

Visual Library

Th 2903 -

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# THEOLOGIA MORALIS

ANTEHAC EX PROBATIS
Auctoribus breviter concinnata
à
R. P. HERM. BUSENBAUM
Societatis JESU, SS. Theologiæ
Licentiato;
*Nunc pluribus partibus aucta*
à
R. P. CLAUDIO LA CROIX
ejusdem Societatis JESU, SS. Theologiæ
in Universitate Coloniensi Doctore
& Professore publico.

TOMULUS VI.

EDITIO ALTERA CORRECTIOR.

Liber monasterii Abding hofensis Compardi à F. Antonio Roerich Ao 1722

*COLONIÆ AGRIPPINÆ,*
Apud SERVATIUM NOETHEN
Bibliopolam, an der hoher Schmidt.
*Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis Speciali,*
*& Superiorum permissu.* Anno 1713.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# SPECIALE PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

JOSEPHUS *Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis. Agnoscimus & notum facimus, tenore præsentium; universis; quòd cùm nobis noster & sacri imperii fidelis dilectus* SERVATIUS NOETHEN *Bibliopola Colonienſis humillimè exposuerit, à PP. Societatis* JESU, *Provinciæ Rhenanæ inferioris sibi factam esse potestatem typis excudendi librum in omni forma, cui titulus est,* Theologia moralis antehac ex probatis auctoribus breviter concinnata à R. P. HERMANNO BUSENBAUM Societatis JESU, S. Stæ Theologiæ Licentiato, nunc pluribus partibus aucta à R. P. CLAUDIO LA CROIX ejusdem Societatis in Universitate Colonienſi SS. Theologiæ Doctore & Professore publico; *vereri autem, ne, quòd sæpius contingat, æmulorum fraude, qui editionem istam imitentur, impendii sui fructu destituatur, ac propterea supplicaverit, ut sibi contra ejusmodi fraudes privilegio nostro Cæsareo ad decem annos prospicere dignaremur: Nos submissæ huic petitioni benignè annuerimus, ac proinde omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis & Bibliopegis, aliisque quibuscúnque librariam negotiationem exercentibus firmiter, serióque inhibuerimus & vetamus, ne quis dictum librum per decennium, ab hodierno die computandum, in Sacro Romano Imperio, Regnorumque & Provinciarum Nostrarum hæreditariarum finibus; sub quocunque prætextu, sive in toto, sive in parte, mutatisve titulis recudere, vel aliò recudendum dare, alibi impressum apportare, vendere, vel distrahere clam vel palàm absque ipsius* SERVATII NOETHEN *expresso & in scri-*

ptis obtento consensu præsumat: si quis verò secus faciendo, privilegium & interdictum hoc Nostrum Cæsareum violare aut transgredi ausus fuerit, eum non modò ejusmodi libris, perperam quippe recusis & adductis (quos quidem Præfatus supplicans ubicumque deprehensos sive propriâ authoritate, sive Magistratûs auxilio sibi vendicare poterit) de facto privandum, sed & pœnam insuper sex marcarum auri puri Fisco Nostro & fraudis vindici & prædicto supplicanti ex æquo pendendarum, omni spe veniæ sublatâ decernimus mulctandum, dummodo tamen hujus privilegii Nostri Cæsarei tenorem pro publica notitia, atque cautela in fronte expressum adhibeat, & ejusmodi quinque exemplaria ad Cancellariam Nostram Imperialem Aulicam sumptibus impetrantis transmittantur. Mandamus proinde universis & singulis Nostris & Sacri Imperii, Regnorumque & Provinciarum Nostrarum hæreditariarum Subditis, & cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, dignitatis, conditionis, aut præeminentiæ existant, tam Ecclesiasticis quàm Sæcularibus, præsertim iis, qui in Magistratu constituti, vel proprio vel Superiorum suorum Nomine vel loco, Juris & Justitiæ Administrationem exercent, ne quenquam privilegium hoc Nostrum Cæsareum temerè & impunè transgredi aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, si quos comperierint, præscriptâ pœnâ plecti, aliisque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio literarum manu Nostrâ subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ decimâ quartâ die Martii, Anno Millesimo septingentesimo octavo, Regnorum Nostrorum, Romani decimo nono, Hungarici vigesimo primo, Bohemici verò tertio.

(L.S.)

JOSEPHUS m.p.

Vt. Fred. Carl. Com. de Schönborn m.p.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium.

Lutzo Dolbergk m.p.

INDEX

# INDEX

## Tractatuum, Capitum, Dubiorum, Quæstionum, quæ sunt in hoc Tomulo VI.

*Numeri hìc designant paginam.*

## LIBRI VI. PARS II.

*De Sacrificio Missæ & Sacramento Pœnitentiæ.*

### TRACTATUS TERTII.

*De Eucharistia,*

### CAPUT III.

*De Eucharistia ùt est Sacrificium.*

*DUBIUM I.*

*Quid sit Missa, & quæ obligatio Sacerdotis circa illam.* Pag. 1.

Quæstio 1. Quid præterea notandum sit circa Missam & rationem Sacrificii. 5.
Q. 2. In qua actione consistat essentia Sacrificii Missæ. 15.
Q. 3. A quo offeratur Sacrificium Missæ. 19.
Q. 4. Pro quibus offerri possit Sacrificium Missæ. 24.
Q. 5. Quid addendum sit circa effectus Sacrificii Missæ. 35.

Q. 6. Quæ conditiones & dispositiones requirantur, ut quis per Sacrificium obtineat fructum satisfactorium vel impetratorium. 47.
Q. 7. In quo conveniant & disconveniant Sacramentum Eucharistiæ & Sacrificium Missæ. 50.
Q. 8. Quid Pontifices & S. Congregatio statuerint circa celebrationem Missarum. 52.
Q. 9. Quid addendum sit circa reductionem Missarum. 79.
Q. 10. An possit præscribi circa onera Missarum. 82.
Q. 11. A quo & quomodo taxandum sit stipendium pro Missa. 82.
Q. 12. Quid præterea notandum sit circa Missas pro stipendio. 84.
Q. 13. An sit mortale unicam Missam omittere, quam quis promisit vel pro qua accepit parvum stipendium. 95.
Q. 14. Quisnam censeatur diu differre Missam, ad quam obligatur, ideoque peccare mortaliter. 95.
Q. 15. Quid faciet, qui obligatus est ad plurimas Missas, quas omnes legere non potest. 96.
Q. 16. An Sacerdos possit pro libitu disponere de pecuniis, quas accipit pro stipendiis Missarum. 96.
Q. 17. Quid dicendum sit de illo, qui accepto stipendio non legit Missam talem, qualis petita est aut non eo tempore. 96.
Q. 18. Quid notandum sit circa Sacerdotem, qui ex voto tenetur ad Missam. 98.
Q. 19. Quanta sit obligatio ad Missas, quas Episcopus in Ordinatione injungit Presbyteris;

teris; & quando hi primam Missam legere teneantur. 99.
Q. 20. Quanta sit obligatio Sacerdotum Societatis JESU ad Missas, quæ ipsis quandoque præscribuntur legendæ. 100.
Q. 21. Quid præterea notandum sit circa alias obligationes Sacerdotum circa Missas. 101.
Q. 22. An Sacerdos laborans morbo caduco vel leprâ licitè celebret. 106.
Q. 23. An liceat legere Missam siccam & Gregorianas. 107.
Q. 24. Quid dicendum sit de Sacerdote, qui circa consecrationem vel Missam est scrupulosus. 108.

## DUBIUM II.

*Cujus sit applicare fructum Sacrificii.* 102.

Quæst. 25. Quid præterea notandum sit circa illum, à quo & pro quo applicari potest Missa. 113.
Q. 26. Quid addendum sit circa intentionem pro applicanda Missa. 113.
Q. 27. Quid præterea notandum sit circa applicationem Missæ. 116.
Q. 28. An satisfaciat, qui celebrat pro illo, quem Deus novit primò daturum stipendium. 120.

## DUBIUM III.

*Quando & quoties liceat celebrare.* 121.

Quæst. 29. Quid præterea notandum sit circa horam pro legenda Missa. 125.
Q. 30. Quid addendum sit circa obligationem orandi Matutinum & Laudes ante celebrationem Missæ. 128.

Q. 31. Quid addendum sit circa Missam tribus ultimis diebus Quadragesimæ. 129.
Q. 32. Quid addendum sit circa Missam eodem die sæpiùs ab eodem legendam. 131.
Q. 33. Quid addendum sit circa illum, qui abrumpit vel interrumpit Missam. 135.

DUBIUM IV.

*Quo loco celebrandum sit.* 139.

Quæst. 34. Quid præterea sit notandum circa celebrationem extra Ecclesiam vel locum suæ jurisdictionis. 144.
Q. 35. Quid addendum sit circa celebrationem in navi. 149.
Q. 36. Quid circa celebrationem Missæ in privatis oratoriis. 149.
Q. 37. Quid circa benedictionem, consecrationem, pollutionem Ecclesiæ. 157.
Q. 38. Si destruatur Ecclesia, quid fieri debeat de lignis, lapidibus, fundo. 162.
Q. 39. Quid addendum sit circa exsecrationem altarium. 164.
Q. 40. Si frangatur sigillum, vel removeatur sepulchrum cum Reliquiis, an altare per hoc amittat consecrationem. 166

DUBIUM V.

*Quæ sint requisita ad Missam.* 169.

Quæst. 41. Quid circa altaria sit præterea notandum. 178.
Q. 42. Quid addendum sit circa Crucem pro Missa. 180.
Q. 43. Quid circa mappas & antipendium. 181.
Q. 44. Quid circa vestes sacras, Corporalia, purificatoria & alia paramenta. 182.

Q. 45. Quid dicendum sit de casu, in quo mors intentatur Sacerdoti, nisi consecret extra Missam, sine sacris vestibus, sine altari, calice &c. 185.
Q. 46. Quid circa colorem paramentorum sit notandum. 185.
Q. 47. Quid circa calicem, patenam, ciborium, hierothecam sive monstrantiam. 188.
Q. 48. Quid præterea sit notandum circa benedictionem vestium, consecrationem vasorum & locorum sacrorum. 191.
Q. 49. Quid notandum sit circa contactum sacrorum vasorum. 194.
Q. 50. Qualis debeat esse figura hostiæ consecrandæ. 195.
Q. 51. Quid circa missale & ritum celebrandi sit notandum. 196.
Q. 52. Quænam quotidie Missa legenda sit. 199.
Q. 53. De quo legi possit Missa; & speciatim an legi possit de Sancto, de quo habentur Reliquiæ. 200.
Q. 54. Quid circa Ministrum sit addendum. 204.
Q. 55. Quid circa lumen. 206.
Q. 56. An licitum sit celebrare sine calceis, cum pileolo, ficto capillitio, baculo, annulo. 208.
Q. 57. Quid circa campanulam in Missa & campanas templi sit notandum. 211.
Q. 58. Quid universim notandum sit circa Rubricas. 212.
Q. 59. Quid circa lotionem manuum, orationes ante & post Missam vel inter induendum dicendas. 213.
Q. 60. Quid addendum sit circa omissionem

partium in Missa. 214.
Q. 61. Quid dicendum sit de illo, qui addit, commutat vel invertit aliquid in Missa. 219.
Q. 62. Quid notandum sit circa expressionem verborum in Missa. 221.
Q. 63. Quid circa distractiones in legenda Missa. 223.
Q. 64. Quid circa orationes, collectas sive commemorationes in Missa sit observandum. 224.
Q. 65. Quando dici vel omitti debeat *Gloria* aut *Credo*. 229.
Q. 66. Quandonam dicatur, *Ite Missa est*, & Evangelium S. Joannis. 231.
Q. 67. Quid specialiter notandum sit in Missis Vigiliarum & quarundam Feriarum. 231.
Q. 68. Quid observandum sit, si concio habeatur tempore Missæ. 232.
Q. 69. Quid notandum sit circa inclinationes in Missa. 233.
Q. 70. Quid circa benedictiones & ritus manuum. 235.
Q. 71. Quid circa ritus oculorum. 237.
Q. 72. Quid observandum sit circa Missas votivas. 237.
Q. 73. Quid circa Missas de *Requiem*. 240.
Q. 74. An licitum sit pro vivo legere Missam de *Requiem*. 244.
Q. 75. Quid sit notandum circa Missas ad altare privilegiatum. 244.
Q. 76. Quid specialiter notandum sit circa Missas festo nativitatis Christi. 249.
Q. 77. Quomodo defectus in Missa sint corrigendi. 251.
Q. 78. Quid facere debeat Sacerdos, si sumens cali-

calicem advertat se pro vino habuisse aquam; aut dubitet, an non sit acetum. 256.
Q. 79. Quomodo Missa aliquando sit per alium complenda. 257.
Q. 80. Quid agendum sit, si vinum vel Sanguis congeletur, aut ne congeletur. 260.
Q. 81. Quid adhuc circa celebrationem Missæ sit observandum. 261.
Q. 82. Quomodo possit aliquis discere accuratè legere, Missam. 267.

## TRACTATUS IV.

*De Sacramento Pœnitentiæ.* 267.

### CAPUT I.

*De essentia Sacramenti Pœnitentiæ.*

### DUBIUM I.

*Quæsit ejus materia & forma.* 268.

Quæst. 83. Quid hìc prænotandum. 271.
Q. 84. Quid præterea sit notandum circa materiam Sacramenti Pœnitentiæ. 273.
Q. 85. An peccata dubia sint materia necessaria Confessionis. 282.
Q. 86. An peccatum dubium se solo sit materia sufficiens Confessionis. 298.
Q. 87. Ad quid teneatur, qui confessus est mortale certum tanquam dubium, vel dubium tanquam certum. 299.
Q. 88. An peccatum in communi sit materia sufficiens vel necessaria Confessionis. 306.
Q. 89. Quid addendum sit circa formam Sacramenti Pœnitentiæ. 309.
Q. 90. Quis sit sensus illorum verborum, *absolvo te à peccatis.* 318.

Q. 91. Quid præterea sit notandum circa absolutionem Sacramentalem. 323.

## DUBIUM II.

*Qualis contritio requiratur.* 328.

Quæst. 92. Quid generatim notandum sit circa contritionem & dolorem ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitum. 333.
Q. 93. Qualis actus debeat esse dolor, qui requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ. 339.
Q. 94. An Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum & informe ratione doloris se non extendentis ad omnia mortalia. 348.
Q. 95. An aliter possit Sacramentum Pœnitentiæ esse validum & informe ratione doloris aut ob aliam causam; Et quid tum sit dicendum. 354.
Q. 96. Quid addendum sit circa dolorem, si quis confiteatur sola venialia. 358.
Q. 97. Quomodo dolor debeat se habere ad Confessionem. 363.
Q. 98. Quandonam dolor censeatur revocari per peccatum subsequens. 377.
Q. 99. Ex quibus motivis concipi possit dolor de peccatis. 380.
Q. 100. Quid notandum sit circa metum, ex quo concipi potest dolor de peccatis. 381.
Q. 101. Quæ sit natura & vis contritionis perfectæ sufficientis ad justificationem sine Sacramento. 382.
Q. 102. An dari possit aliqua contritio, quæ non justificet. 408.
Q. 103. An ad contritionem, quæ justificet sine Sacramento, requiratur aliqua certa intensio vel extensio, seu duratio quoad tempus. 409.

Q. 104. An contritio, quæ justificat sine Sacramento, secum patiatur spem & timorem. 418.
Q. 105. An omnis contritio, quæ est actus charitatis Theologicæ, justificet sine Sacramento. 421.
Q. 106. An in casu necessitatis justificet sine Sacramento aliqua contritio, quæ extra necessitatem non justificaret. 425.
Q. 107. An contritio perfecta vel amor Dei absolutè prædominans requiratur tanquam pars ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ causandam. 426.
Q. 108. Quale motivum habeat attritio, & quomodo illud attingere debeat. 428.
Q. 109. An attritio ex spe & metu possit esse honesta & supernaturalis. 434.
Q. 110. An attritio ex spe præmii, vel etiam ex solo metu pœnæ concepta possit esse absolutè efficax & positivè excludere omnem voluntatem peccandi. 446.
Q. 111. An attritio se solâ justificet sine aliquo Sacramento. 460.
Q. 112. An attritio concepta ex inferiore motivo quàm charitatis, sufficiat cum Sacramento ad justificationem. 462.
Q. 113. Quomodo ex Conciliis, & præsertim ex Tridentino probetur, quòd attritio sufficiat cum Sacramento. 462.
Q. 114. Ubi doceant SS. PP. & speciatim S. August., quòd attritio sufficiat cum Sacramento. 470.
Q. 115. Ubi doceat S. Thomas, quòd attritio sufficiat cum Sacramento. 474.
Q. 116. An verum sit, quòd ex Auctoribus & Theo-

Theologis plurimi doceant attritionem sufficere cum Sacramento ; oppositum autem teneant respectivè pauci. 478.
Q. 117. Quomodo ex praxi & sensu communi Ecclesiæ ac fidelium probetur, quòd attritio sufficiat cum Sacramento. 482.
Q. 118. Quibus rationibus probetur, quod attritio sufficiat cum Sacramento. 484.
Q. 119. An argumenta Adversariorum contra sufficientiam attritionis ita solvi possint, ut plenè satisfiat. 485.
Q. 120. An sententia tenens attritionem sufficere cum Sacramento, sit practicè certa. 493.
Q. 121. An hactenus dicta valeant etiam de attritione ex metu pœnarum temporalium. 503.
Q. 122. In quo sensu verum sit, quòd peccator per Sacramentum fiat ex attrito contritus. 506.
Q. 123. An ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, præter dolorem requiratur aliquod propositum. 507.
Q. 124. Quale propositum requiratur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. 508.
Q. 125. Quale propositum requiratur in Confessione venialium. 516.
Q. 126. An & quomodo in praxi elici possit propositum cavendi omnia venialia. 517.

## DUBIUM III.

*Qualis confessio requiratur.*

### ARTICULUS I.

*An debeat esse integra materialiter.* 521.
Quæst. 127. Quid sit confessio, & quæ sit ejus materia. 525.

Q. 128. Quid præterea sit notandum circa obligationem confitendi. 526.
Q. 129. Quid addendum sit circa modum practicè confitendi integrè quoad numerum. 527.
Q. 130. Si quis nesciens numerum determinatum dixerit, feci hoc toties, plùs minùs, vel toties circiter, & postea certò resciat, quoties determinatè, vel se sæpius feciſse, an obligetur iterum confiteri hunc determinatum vel majorem numerum certò cognitum. 535.
Q. 131. An non tantùm actus externus sed etiam effectus peccati sit cum actu interno confitendus. 538.
Q. 132. Quænam peccata dicantur esse specie distincta in ordine ad confessionem; & unde desumatur illa diversitas specifica. 543.
Q. 133. Quænam generatim observanda sint circa hanc explicationem speciei in confessione. 543.
Q. 134. Quid addendum sit circa circumstantias in confessione explicandas. 548.
Q. 135. An circumstantia consuetudinis sit aperienda in confessione. 555.
Q. 136. An illa, quæ ex consuetudine mortaliter malâ postea inadvertenter fiunt, sint confitenda. 557.
Q. 137. An confitendæ sint circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem. 558.
Q. 138. An opinio negans circumstantias aggra-

gravantes esse confitendas, sit nunc damnata pro praxi. 566.
Q. 139. Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra fidem, spem, charitatem. 567.
Q. 140. Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra 1. præcepum Decalogi. 574.
Q. 141. Quomodo in peccatis contra 2. præceptum Decalogi. 575.
Q. 142. Quomodo in peccatis contra 3. præceptum. 578.
Q. 143. Quomodo in peccatis contra 4. præceptum. 578.
Q. 144. Quomodo in peccatis contra 5. præceptum 581.
Q. 145. Quomodo in peccatis contra 6. & 9. præceptum. 583.
Q. 146. Quomodo in peccatis contra 7. & 10. præceptum. 613.
Q. 147. Quomodo in peccatis contra 8. præceptum. 616.
Q. 148. Quomodo in peccatis contra præcepta Ecclesiæ. 618.
Q. 149. Quomodo in peccatis circa Sacramenta & personas ecclesiasticas. 619.
Q. 150. Quomodo in peccatis capitalibus. 625.
Q. 151. Quomodo in peccatis alienis. 628.
Q. 152. An in confessione explicari possit una species divisim ab altera, si plures ejusmodi species unico actu sint contractæ. 629.
Q. 153. An dentur peccata distincta specie inadæquatâ tantùm, & quid de illis sit dicendum. 630.

Q. 154.

Q. 154. Si quis non possit, vel excusetur ab aperiendo peccato in specie, an teneatur saltem in genere se accusare de illo, & circa illud elicere contritionem. 632.

## ARTICULUS II.

*Quando sufficiat confessio formaliter integra.* 633.

Quæst. 155. Quid præterea sit notandum circa confessionem formaliter integram. 639.

Q. 156. Quid addendum sit circa causas & modos dimidiandi confessionem vel absolutionem. 641.

Q. 157. Quid dicendum sit de illo, qui Confessario ignoto confiteatur mortalia, & postea ordinario suo Confessario sola venialia. 644.

Q. 158. Quid addendum sit circa absolutionem moribundi, qui jam dare non potest ulla signa pœnitenti. 644.

## ARTICULUS III.

*Quæ sint reliquæ conditiones confessionis.* 653.

Quæst. 159. Quænam universim sint conditiones bonæ confessionis. 655.

Q. 160. Quid notandum sit circa finem malum ex quo fieri potest confessio. 657.

Q. 161. Quid addendum sit circa fidelitatem

& sinceritatem in confessione observandam. 662.
Q. 162. Quid addendum sit circa conditionem illam, ut confessio sit secreta. 672.
Q. 163. Quid addendum sit circa conditionem confessionis, ut fiat vocaliter apud Sacerdotem præsentem. 674.
Q. 164. An inter conditiones confessionis etiam sit, ut sit sacramentalis. 681.

## ARTICULUS IV.

*Quando confessio sit invalida, & quomodo iteranda.* 681.

Quæst. 165. An ille, qui cum Confessario peccavit, eidem validè confiteatur istud peccatum. 684.
Q. 166. An confessiones quæ fiunt Religiosis, communiter censeri debeant invalidæ. 685.
Q. 167. Quid præterea sit notandum circa obligationem repetendi confessionem. 686.
Q. 168. Si confessiones repeti debeant, an omnia mortalia in illis confessionibus dicta, iterum distinctè & singulatim debeant recenseri. 692.
Q. 169. Quomodo confessarius practicè procedet cum pœnitente, qui timet, vel putat se per longum tempus sacrilegè aut invalidè esse confessum. 696.

DU-

# DUBIUM IV.

## De *Satisfactione.*

## ARTICULUS I.

*Quæ ejus necessitas, & quantitas.* 699.

Quæst. 170. An satisfactio sacramentalis vel probata vitæ emendatio sit præmittenda absolutioni. 706.

Q. 171. Quid præterea sit notandum circa satisfactionem sive pœnitentiam, quæ in Confessione injungitur. 709.

Q. 172. Quantæ pœnitentiæ sint injungendæ. 719.

Q. 173. An pœnitentiæ debeant ideo esse suspectæ quòd à Religiosis mendicantibus imponantur. 729.

Q. 174. An aliquando debeat, aut saltem possit imponi pœnitentia publica. 729.

Q. 175. Quænam pœnitentiæ sint utiliores. 731.

Q. 176. Quid addendum sit circa obligationem pœnitentis in implenda pœnitentia. 734.

Q. 177. Quid addendum sit circa commutationem pœnitentiarum in Confessione injunctarum. 744.

## ARTICULUS II.

### De Satisfactione per Indulgentias.

### PARAGRAPHUS I.

*Quid sit Indulgentia, & quid ad eam requiratur.* 749.

Quæst. 178. Quid notandum sit in genere circa satisfactiones in hac vita pro peccatis. 755.
Q. 179. Quid notandum sit circa remissionem pœnarum in altera vita sive in Purgatorio. 759.
Q. 180. Quomodo Indulgentia dividatur ratione subjecti. 760.
Q. 181. An, quomodo & à quo concedi possit Indulgentia. 760.
Q. 182. Qualis intentio requiratur ad lucrandas Indulgentias. 765.
Q. 183. Quid præterea notandum sit circa applicationem satisfactionum vel Indulgentiarum pro alio. 767.
Q. 184. Quid specialiter adhuc notandum sit circa satisfactiones vel Indulgentias pro defunctis. 770.
Q. 185. An preces Ecclesiæ & Indulgentiæ possint prodesse catechumenis vel excommunicatis, saltem defunctis. 776.
Q. 186. Quid notandum circa Indulgentiam, quæ conceditur ingredientibus Religionem. 777.

Q.

Q. 187. Quas indulgentias speciales habeat Societas JESU. 777.
Q. 188. Quid notandum circa indulgentias, quæ in templis Societatis JESU esse solent in Dominica Agoniæ Christi & in Dominica Communionis generalis sive Animarum. 780.
Q. 189. An prudenter credi possit, quòd omnes illæ indulgentiæ sint veræ & authenticæ, quæ passim inveniuntur in variis libellis. 783.
Q. 190. An per idem opus obtineri possint plures indulgentiæ. 789.
Q. 191. An indulgentia pro certo tempore concessa, possit intra illud tempus sæpius obtineri, si repetantur opera injuncta. 790.
Q. 192. Si festum transferatur, an simul transferantur indulgentiæ. 791.
Q. 193. Quid notandum sit circa Brevia vel Bullas, quibus Romæ conceduntur indulgentiæ. 792.
Q. 194. Quandonam cessent indulgentiæ. 795.
Q. 195. An indulgentiæ Regularium revocatæ à Paulo V. sint revalidatæ. 796.
Q. 196. An indulgentiæ vivæ vocis oraculo concessæ sint revocatæ. 798.

PARA-

## PARAGRAPHUS II.

*Quotuplex indulgentia, & quomodo differat à Jubilæo.* 798.

Quæst. 197. Quid præterea in genere notandum sit circa Jubilæum & Bullas, quibus conceditur. 801.
Q. 198. Quid notandum sit circa Jubilæum anni sancti. 803.
Q. 199. An per indulgentias plenarias, quæ ordinariè vel in Jubilæo conceduntur, remittantur absolutè omnes pœnæ temporales peccatis remissis debitæ. 807.
Q. 200. Quid præterea sit notandum circa requisita pro lucrandis indulgentiis vel Jubilæo. 808.
Q. 201. Quid notandum sit circa Confessionem & Communionem requisitam. 810.
Q. 202. Quid circa orationem requisitam. 813.
Q. 203. Quid circa jejunium & eleëmosynam requisitam. 814.
Q. 204. Quid circa Processionem & visitationem templorum. 817.
Q. 205. Quid notandum sit circa itinerantes, peregrinos, impeditos. 818.
Q. 206. Quid circa commutationem operum & prorogationem temporis. 820.
Q. 207. Si iquis ponat hoc, quod opinio probabilis dicit sufficere, & Papa fortè plùs requirat, an obtineatur indulgentia. 822.

Q.

Q. 208. Quid præterea notandum sit circa facultates, quæ in Jubilæo conceduntur, absolvendi à reservatis & censuris. 824.
Q. 209. Quid circa commutationem votorum. 829.
Q. 210. Quid circa potestatem eligendi quemcumque Confessarium. 832.
Q. 211. Quid fieri possit post tempus Jubilæi. 836.

## CAPUT II.

### *De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.*

### DUBIUM I.

### *Quis sit Minister.*

RESP. Est Sacerdos &c. Busenb. 839.

### ADDENDA.

QUÆST. 212. Quid universim notandum sit circa Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ. 840.

### DUBIUM II.

*Quid sit approbatio & à quo petenda.* 844.

QUÆST. 213. Quid præterea generatim notandum sit circa approbationem. 847.
Q. 214. Quid addendum sit circa potestatem approbandi. 850.
Q. 215. An approbatus in una Diœcesi censeri debeat ubique approbatus. 854.

Q.

Q. 216. Quid præterea notandum sit circa approbationem Regularium. 866.
Q. 217. Cui confiteri debeant aut possint Regulares itinerantes. 869.
Q. 218. Quid præterea notandum sit circa approbationem & Confessarium pro Monialibus. 871.
Q. 219. Quid circa approbationem quoad Parochos. 875.
Q. 220. Quid notandum sit circa desitionem vel revocationem approbationis aut similium facultatum. 877.

Reliqua ad hanc libri VI. partem II. spectantia dabo in Tomulo VII. Cur autem facta sit hæc in duos Tomulos divisio, dicam in *Præfatione* ad dictum Tomulum VII. & in fine ejusdem dabo Indicem simul complectentem materias hujus utriusque Tomuli.

LIBRI

# LIBRI SEXTI

## PARS II.

## *De Sacrificio Missæ, & Sacramento Pœnitentiæ.*

## TRACTATUS TERTII

### *De Eucharistia,*

## CAPUT III.

### *De Eucharistia, ùt est Sacrificium.*

Num. 1.

### DUBIUM I.

### *Quid sit Missa, & quæ obligatio Sacerdotum circa illam.*

*Resp.* Missa est Sacrificium, consistens» in consecratione panis & vini: éstque» actus latriæ, qui fit in recognitionem» supremi dominii Dei, & signum nostræ servi-» tutis. Quod non obstat, quin secundariò pos-» sit etiam ad alium finem partialem offerri, ùt» ad agendas gratias vel impetrationem benefi-» cii, ad remissionem peccatorum, ad Sanctos» honorandos, &c. Principalis fructus Missæ, ex» opere operato, est independens à probitate» Sacerdotis, à quo pro omnibus seu vivis, seu» defunctis, etiam accepto stipendio, applica-» bilis est; éstque actu tam intensivè, quàm ex-» tensivè finitus; etsi enim hostia ipsa, & princi-» palis offerens, id est, Christus infinitè sit Deo» gratus, atque ità Deus per hoc Sacrificium in-» finito honore afficiatur, videtur tamen Christi» esse

»esse voluntas, ut offeratur, & prosit tantùm ad »certum & finitum effectum. Quod etiam patet »ex usu & sensu Ecclesiæ, dum Missæ pro eadem »re repetuntur ; quod signum est non habere »infinitum effectum. *V. Bon. d. 4. q. ult. p. 4. Un-* »*de resolv.*

» I. Sacerdotes ordinariè peccant graviter, si »non aliquoties in anno, saltem ter vel quater »solennioribus festis celebrent, nisi legitimè »sint impediti. Ita *Sylv. Reg. Suar. Kon. & alii* »*comm.* contra *Angles, Bon. Dia. p. 2. t. 14. R. 19.* »item *C. Lug.* & *Tamb. l 1. exp. com. c. 6.* qui excu- »sant saltem à mortali, dummodò communi- »cent in Paschate, absitque contemptus & scan- »dalum. Imò ubi Tridentinum est receptum, »tenentur ex mandato Episcopi sub gravi cul- »pa, celebrare saltem Dominicis & festis: excu- »santur tamen, si Episcopi nullum mandatum »extet.

» II. Etsi in Ecclesiis Cathedralibus, Collegia- »tis & Conventualibus, (ubi est competens Sa- »cerdotum numerus) quotidie debeat una sal- »tem Missa privata celebrari, & altera cantari, »peccentque mortaliter dictarum Ecclesiarum »Rectores, si in hoc deficiant, *Suar. Kon. Lay.* »*March. &c.*, non esse tamen mortale (præscin- »dendo à peculiari obligatione talis Ecclesiæ) »semel vel bis in hebdomada omittere alteru- »tram, docet *Tamb. l. c.*; uti neque si in Ecclesiis »Collegiatis die festo cadente in feriam privile- »giatam (v. g. Vigiliæ, quatuor temporum, »Quadragesimæ vel Rogationum) Missa solen- »nis de feria post Nonam canenda, semel omit- »tatur. *Ib.* ex *Abbat. March. &c.*

» III. Peccat graviter, qui tenetur pro alio of-

ferre

ferre Missam, fructum tamen principalem ap-» plicat aliis, quia id alii est fraudi in re gravi. »

IV. Graviter peccat 1. qui ad Sacrum ex ju-» stitia obligatus, illud diu differt, quia magno» fructu alterum privat. *Sylv. Regin. l. 23. n. 236.*» *Fernand. &c.* multóque magis, si planè omittit;» teneturq; hoc casu ad stipendii restitutionem.» *Tamb. de exp. Jac. l. 3. c. 1. §. 1. 2.* Si quis accipiat» plura stipendia, quibus non nisi post longum» tempus possit satisfacere. Ratio eadem. *Sylv.*» *Reg. Fern. p. 3. c. 5. 3.* Qui Sacrum animo se ob-» ligandi promisit, & non præstat. *Bon. p. 8.*, etsi» probabile sit, hoc non esse mortale, ùt habet» *Sanch. De Mat. l. 1. d. 5. Vid. Dia. p. 2. tr. 3. misc. R. 9.*» item *p. 4. t. 4. R. 196.* & *p. 6. t. 6. R. 6. p. 5. t. 14. R.* » *81.* ubi citat *Cajet. Vasq. &c.* affirmantes, quòd» qui pluribus Missam gratis promisit, possit u-» nicâ satisfacere, quod tamen alii communiter» negant. »

V. Si quis det justum stipendium (id à con-» suetudine, vel lege taxatum esse debet, aut si» non est, secundùm *Sotum*, & *Cajet.* est frugalis» victus unius diei; quod *Suar. Laym.* & alii repro-» bant, putántque sufficere mediam, vel tertiam» partem sustentationis diei,) ut pro se dicatur» Missa, non potest secundum accipi ab alio, &» pro duobus una tantùm Missa dici, *Lugo d. 19.*» *nu. 259.* Secus si ambo dimidium tantùm justi» darent, utì contra *Vasq. Regin.* & alios probabi-» liter docent *Sotus*, *Henr. Fill. Kon. Lugo l. c.* quod» tamen jam est prohibitum per Bullam *Urbani*» VIII. *Vid. Bon. Dian. p. 2. t. 14. Res. 7.* »

VI. Qui pecuniam ab alio accepit, ut pro» illo celebret, aut fieri curet, per se loquen-» do, potest curare Missam per alium bo-»

»num Sacerdotem, minùs dando, quam acce-
»pit.
» Dixi I. *Per se*: quia *Urbanus* VIII. ob speciem
»turpis quæstûs id fieri vetuit.
» Dixi II. *Bonum*: quia si per malum curet,
»perditur fructus, qui est ex opere operantis. V.
»*Lug.*
» VII. Beneficiati, etiam Curati, ad Missas ob-
»ligati, possunt pro iis accipere stipendium, &
»applicare, cui volunt, quia non semper habent
»obligationem applicandi ad certam intentio-
»nem; nisi tamen contrarium constet, ùt de Mis-
»sa conventuali docet *Bon.* Ita *Lug. d.* 21. *nu.* 21.
»ex *Suar. Vasq. &c.* contra *Gavant. Barbosam* &
»*Dia.* qui negant de Parocho: refértque *Dian.*
»*p.* 4. *t.* 4. *R.* 232. determinâsse Congregationem
»Cardin. quòd ei non liceat pro Missa accipere
»eleëmosynam manualem, quando tenetur ce-
»lebrare; de Missa tamen conventuali contra
»*Bon. &c.* ipse affirmat *p.* 5. *t.* 13. *R.* 51. *ex aliis* 3.
» VIII. Qui stipendium pro Sacro accepit, te-
»netur dicere Missam pro defunctis, vel voti-
»vam, vel in hoc aut isto altari, prout pecuniam
»offerens petivit, ( quantùm tamen rubricæ
»permittunt, quibus neglectis Ecclesiæ ordinem
»invertere, ob alterius devotionem, non con-
»venit ) quia ob ejus devotionem, & speciales
»orationes, major fructus provenire solet. Si
»tamen aliter faciat, non erit grave, imò nul-
»lum, si fiat justa de causa. V. *Dian. p.* 2. *tr.* 14.
»*Res.* 29. & 31. *Lug. n.* 35.
» IX. Is, qui quoad locum, tempus, intentio-
»nem, qualitatem Missæ, non satis facit sine justa
»causa voluntati fundatoris, peccat; & quidem
»graviter, si sæpe faciat; esto consentiant hære-
des,

des, cùm ii in hoc voluntati testatoris non» possint derogare, ùt docet *Sylv. Nav. Azor &c.*» Episcopus tamen potest in hoc dispensare ex» causa, ùt habet *Henriq. Syl.* & *Tan.* Quòd si quis» quoad locum impediatur, tenetur in alio, ùt» habet *Azor to. 1. l. 10. c. 14. & Sa V. Missa. Dia.*» *l. c. R. 29.* ubi docet ex *Navar. Rodriq. Fagund.* &» *Azor*, esse mortale celebrare in alio templo,» vel altari, quàm quis tenetur, quod negat *Lu-*» *go*, si rarò & ex causa fiat, V. *num. 36.* Imò nec» esse veniale, si obligatus quotidie celebrare, ra-» rò & ex rationabili causa celebret alibi. Simili-» ter *Tambur. de exped. Sacr. l. 3. c. 2.* excusat à» mortali eũ, qui uno alterove die singulis men-» sibus alibi celebrat, nisi tamen teneatur cele-» brare in altari privilegiato; notátque posse Sa-» cerdotem contra hoc onus Missarum v. g. cer-» tum earum numerum, præscribere annis 30., si» adsit possessio, titulus, & bona fides. »

X. Beneficiatus ex justitia obligatur sub» mortali, & pœna compensationis, ad eum nu-» merum Missarum, per se, vel (prout mens fun-» datoris ex verbis colligenda permittit) saltem» per alium, quem numerum litteræ fundatio-» nis requirunt: eum verò numerum ex justa» causa, ùt v. g. si reditus jam non sufficientes» respondeant, potest minuere Episcopus in Sy-» nodo: quam potestatem *Bonac.* restringit ad» Missas defunctorum, & quidem post *Trident.*» impositas. *Vide Bonac. d. 4. q. ult. p. 8.* »

XI. Qui ratione Beneficii tenetur quotidie» celebrare, tenetur etiam Missam pro fundato-» re (nisi de hujus intentione contraria constet)» applicare. *Bon. & alii 4. cum Dia. p. 6. t. 6. R. 13.* » qui tamen concedit, posse eum pro se ipso-»

»quater aut sexies in anno, & in die Comme-
»morationis omnium defunctorum, pro parti-
»culari defuncto celebrare; item quâvis hebdo-
»madâ unam Missam omittere devotionis &
»reverentiæ causâ; idque ex præsumpta inten-
»tione fundatoris: quod *Tamb. c. 3. §. 1.* ex *Ga-*
»*vant. p. 3. t. 12.* limitat, nisi de contraria fun-
»datoris voluntate constet, vel sit onus Eccle-
»siæ, aut Monasterii, curare Missam quotidia-
»nam. *V. Tamb. l. c. Dian. part. 2. t. 14. R. 28. p. 4.*
»*t. 4. R. 86. & p. 5. t. 5. R. 23. & t. 13. R. 51. 2.* id
»ipsum limitat *Lug. R. mor. l. 5. d. 9.* si obligatio
»dirigatur ad ipsum Sacerdotem, v. g. si dicatur;
»(*Qui debet quotidie celebrare*) quo casu concedit:
»si verò dirigatur ad celebrationem in tali loco,
»v. g. *volo, ut in tali Ecclesia celebretur quotidie*
»*Missa*, teneri eum pro se alium substituere eo
»die, quo ipse non celebrat.

» XII. Qui non potest fundationi satisfacere,
»propter morbum, non tenetur, si brevis sit,
»(v. g. 15. dierum, ùt docet *Bon.* aut etiam u-
»nius alteriusve mensis, ùt probabiliter docet
»*Lug. de Euch. d. 21. n. 49.*) substituere alium aut
»compensare, cùm tam strictè nec Domini qui-
»dem honesti cum famulis agant: secus tamen,
»si sit diuturnus morbus; nisi reditus sint nimis
»tenues, aut in morbum absumantur, ùt contra
»*Sylv.* & *Azor*, docet *Bon.* ex *Rodriq.* Impeditus
»verò aliis negotiis, licèt justis, (cùm hæc non
»debeant obesse fundatori) debet satisfacere
»per alium, vel compensare postea, præsertim
»si fiat sæpiùs. Ita *Bon. d. 4. q. ult. p. 7.*

ADDEN-

# ADDENDA.

Quæstio 1. *Quid præterea notandum sit circa Missam, & rationem Sacrificii.* 2.

R. Seqq. §. 1. Per Missam intelligitur totus ille ritus, quem Sacerdos peragit ad Altare, ab initio usque post sumptionem Corporis & Sanguinis Christi. Unde dicatur *Missa*, variant opiniones, aliqui derivant ab hebraico Misſah, id est, oblatio voluntaria. Alii à mittendo, vel quia per eam mittitur legatio aut hostia Deo, uti habent *Rupert. Abbas* l. 2. De div. off. c. 23. & *S. Th.* 3. p. q. 83. à 4. ad 9., vel quia olim ad illam mittebantur symbolæ ciborum, unde fiebat cœna; vel, uti putant *Bellarm.* de Missa l. 1. c. 1. & *Dicast.* de Missa d. 1. dub. 4., quia post eam mittebatur seu dimittebatur populus; vel quia sub illa post Evangelium dimittebantur Catechumeni, uti vult *Pasq.* De Sacrif. q. 1. potéstque videri etiam *Rayn.* in Candel. septiluſtri s. 5. v. *Missa.*

§. 2. Sacrificium sumitur vel latè & impropriè, vel strictè & propriè: Latè sumptum est, quidquid Deo offertur ad cultum, uti sunt orationes, laudes, adorationes, cæterique actus virtutum, præsertim Religionis; & in hoc sensu dicitur *1. Petri 2.* de omnibus Christianis, quòd sint Sacerdotium sanctum ad offerendas Deo spirituales hostias. In simili sensu loquitur *Apostolus* ad Hebræos 13. v. 15. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus*: Et *David.* Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*: Et *S. Aug.* apud *Bellarm.* c. 2. dicit verum Sacrificium esse 3.

omne bonum. Admittúntque omnes hæretici Missam illo sensu esse Sacrificium, sed certum est, debere esse Sacrificium in alio proprio sensu, quia *Pius V. Gregorius XIII.* & *Urbanus VIII.* damnârunt hanc 45. *Baji* propos. *Sacrificium Missæ non aliâ ratione est sacrificium, quàm generali illâ, quâ omne opus, quod fit, ut sanctâ societate homo Deo inhæreat.* V. *Pasq.* q 2. Sacrificium strictè sumptum est cæremonia sacra legitimè instituta, quâ per destructionem vel notabilem immutationem rei sensibilis Deo soli oblatæ profitemur nostram subjectionem, Dei autem supremum dominium in vitam & necem, in esse & non esse rerum omnium. Dicitur *cæremonia sacra*, quia debet esse actio externa ponenda ad cultum Dei. Additur, *legitimè instituta* à Deo vel Rep., quæ, per se loquendo, etiam potestatem habet ejusmodi signa communia instituendi, & per hoc differt Sacrificium à Martyrio, quod non est publicâ authoritate institutum ad Dei cultum; per hæc autem præcipuè differt à Sacramento, quòd fiat *in protestationem supremi dominii Dei, per destructionem, vel notabilem immutationem rei*, vel physicam, utì, quando animal occiditur, vel moralem, utì, quando vinum libatur, & effusum redditur inutile ad communes & ordinarios usus humanos. Videri possunt *Dicast.* dub. 1. & *Pasq.* à q. 4. usque ad 16., ubi inquirunt in varias conditiones ad essentiam Sacrificii requisitas.

§. 3. Sacrificium dividitur; *Ratione materiæ*, in
4. cruentum, in quo funditur sanguis; & incruentum, in quo sanguis non effunditur: Item aliud dicitur victima seu hostia, in quo aliquid animatum offertur, utì bos; aliud immolatio, in quo

quo aliquid inanimatum, sed solidum, uti panis; aliud libamen, in quo aliquid inanimatum, sed liquidum offertur, uti vinum; sæpe tamen confunduntur hæ voces, & una ponitur pro altera. *Ratione Formæ*, aliud dicitur holocaustum, in quod id, quod offertur, totum per ignem consumitur; aliud hostia pro peccato, in quo id, quod offertur, consumitur partim per ignem, partim per Sacerdotem; aliud hostia pacifica, in quo id, quod offertur, consumitur, partim per ignem, partim per Sacerdotem, partim per illum, qui donat. *Ratione finis*, aliud est latreuticum, quod purè ad cultum Dei; aliud eucharisticum, quod specialiter in gratiarum actionem; aliud propitiatorium, quod ad remissionem culpæ vel pœnæ; aliud impetratorium, quod ad aliquid aliud à Deo obtinendum offertur. Pro latreutico est holocaustum; pro Eucharistico & impetratorio, hostia pacifica; pro propitiatorio, hostia pro peccato: Videri possunt *S. Th.* 1. 2. q. 102. a. 3. *Bellarm. c. 4. Arcud.* In concordia Eccl. Occid. & Orient. l. 3. c. 8.

§. 4. In Cruce oblatum est verum & propriè dictum sacrificium, in quo Christus erat Sacerdos, & idem ipse victima, secundùm illud ad *Ephes.* 5. v. 2. *Tradidit se ipsum pro nobis in oblationem & hostiam.* 1. ad *Corinth.* 5. v. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Altare erat Crux: aderat institutio Dei, qui posuerat eum Sacerdotem maximum, ut sanguine suo interveniret pro salute nostra, ideòque ipse in sacrificio illo fuit *Propitiatio pro peccatis nostris.* 1. *Joan.* 2. v. 2. *Pacificans per Sanguinem Crucis*, ad *Coloss.* 1. v. 20. *Nec obstat.* quòd ipse non occiderit 5.

ciderit se, nequidem moraliter, hoc sensu, quasi suaserit vel intenderit actionem, quâ à Judæis occisus est, *nam* occidit se moraliter isto sensu, quòd mortem sibi illatam, quam effugere poterat, acceptando liberè & sponte, quando, & sicuti voluit, tantundem fecerit in ordine ad colendum & propitiandum Deum, ac si se ipse occidisset, *oblatus est, quia ipse voluit, Isa.* 53. v, 7. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam, Joan.* 10. v. 17. & 18. Neque simile est in acceptatione Martyrum, quia eorum acceptatio non est specialiter publicè instituta ad cultum Dei vel propitiationem pro peccatis, sed ipsi intendunt pati pro contestanda veritate fidei, neque ipsi sunt Sacerdotes à Deo ad hoc deputati, neque poterant mori, quando volebant, neque mortem effugere, uti volebant.

6. §. 5. In Missa est verum & propriè dictum sacrificium. Est de fide contra hæreticos apud *Bellarm.* c. 5., & habetur in multis Conciliis apud *Pasq.* q. 22. n. 2. novissimè *Trid.* s. 22. Can. 1. sic definit: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Idem probatur ex unanimi consensu Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, omniùmque PP., qui in utraque floruerunt ab initio, nam quod Ecclesias attinet, demonstrat hoc *Bellarm.* c. 23. & constat ex antiquis libris liturgiarum, SS. *Jacobi Apostoli, Clementis, Basilii, Chrysostomi*, &c. de quibus *Bellarm.* c. 18. Item ex ritu altarium & ministerio Sacerdotum, quibus utraque Ecclesia semper usa est, uti ostendit *Bellarm.* c. 16. & 17. Quod autem utriusque

utriusque Ecclesiæ Patres attinet, eos copiosissimè adducit *Petavius* De Incarnat. l. 12. c. 13. & 14. Ratio est, quia in Missa datur cæremonia sacra à Christo instituta, per quam res sensibilis moraliter destruitur in protestationem supremi Dominii Dei, & nostræ ad eum subjectionis, nam imprimis consecratio est cæremonia sacra à Christo instituta, quando Eucharistia instituta est, secundùm dicta n. 3. Deinde per consecrationem fit destructio rei sensibilis sufficiens ad sacrificium, uti ostendetur à n. 704. Denique hæc tota actio fit in dictam protestationem, hæc enim est intentio Ecclesiæ & institutio Christi, qui etiam eum in finem consecravit, nosque idem facere jussit, dicens: *hoc facite*, & quod se ipse in Cœnâ ita Patri æterno obtulerit, apertissimè docent SS. *Irænæ. Cypria. Ambr. Greg. Nyss. Chrysost. August. Isichius, Rupertus*, quorum verba ad longsim refert *Bellarm.* c. 12. in fine.

*Obji.* Sacrificium Crucis habet vim infinitam & æternam, ergo sacrificium Missæ superfluit. *Conf.* nam *Apostolus* ad *Hebr.* 9. dicit: *Neque necesse est, ut sæpe offerat semetipsum.* Item c. 10. *Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*: & infrà: *Ubi autem horum* (peccatorum) *remissio, jam non est oblatio pro peccato.*

℟. Si argumentum valet, ergo etiam superfluit Baptismus & multò magis superflua erant omnia sacrificia in lege naturæ & Mosaica, nam etiam isto tempore dabantur gratiæ propter Christi passionem & mortem prævisam. Itaque N. conseq. Ad *Confir.* dico Apostolum tantùm velle, opus non esse, ut Christus sæpe se offerat cruentè; quia unicum sacrificium Crucis

sufficit

sufficit quoad sufficientiam & quoad efficaciam rei oblatæ, non tamen quoad participationem omnium, quibus applicari debet per sacrificium Missæ, utì & per alia Sacramenta & bona opera. Deinde licèt hoc non esset, debuit in Ecclesia perpetuò offerri aliquod sacrificium, & ideo Christus ipse est Sacerdos usque ad finem mundi. Denique Christus voluit hoc sacrificium fieri tanquam vivam repræsentationem sacrificii cruenti in Cruce peracti.

7. §. 6. Principalis res, quæ sacrificatur in Missa, est Christus, minùs autem principalis est substantia panis & vini. *Pars prima* est de fide ex *Concil. Lateran. c. Firmiter.* ubi sic dicitur: *idem ipse Sacerdos est sacrificium JESUS Christus.* Similiter *Trid. s. 22. c. 2.* ait: *Idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis cruentè seipsum obtulit.* In eundem sensum dicebat *S. Andr. Apost. Ego immaculatum Agnum in altari offero*, utì refertur in Horis canonicis ejus festo. Idem expressis verbis docent SS. *Ambros.* & *August.* relati cap. *semel* 52. & cap. *In Christo* 53. De consecra. dist. 2. aliique apud *Suar.* d. 75. s. 1. Quòd autē Christus totus per se primò offeratur in Missa, Corpus verò, & Sanguis ejus quasi consecutivè, rectè probat *Pasq.* q. 27. & 28. *Pars Secunda* est *Suar. Bellarm. Tann. Lugo, Becani* De triplici sacrif. l. 3. c. 8. *Aversa* q. 11. s. 3. contra *Vasq. Valent. Dicast.* d. 1. dub. 7. *Pasq.* q. 26. & 30. Probatur autem inde, quia hoc videtur conformius verbis Ecclesiæ, quæ in Missa pro oblatione panis dicit, *Suscipe Sancte Pater hanc immaculatam hostiam;* & postea signans panem & vinum dicit, *veni sanctificator, & benedic hoc sacrificium tuo Sancto nomini præparatum.* Item

in

in antiphona ad vesperas festo Corporis Christi dicit, *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundùm ordinem Melchisedech, panem & vinum obtulit*: similiter loquuntur SS. PP. apud *Bellarm.* l. 1. c. 27. in 1. propositione. Ratio autem est, quia hoc est res sacrificata, quod ex vi actionis sacrificativæ destruitur in contestationem supremi dominii Dei, sed substantia panis & vini destruitur ex vi actionis sacrificativæ, quæ consecratio est, uti à n. 12. dicetur, & ad veritatem suam exigit transire substantias panis & vini, ac succedere Corpus & Sanguinem Christi, ergo. Porrò substantiæ illæ non tantùm destruuntur in honorem Dei, uti fatetur *Dicast.*, sed etiam in contestationem supremi dominii Dei, cùm hic sit finis consecrationis, prout est actio sacrificativa, ergo.

§. 7. Sacrificium Missæ est idem numero cum sacrificio Crucis, quoad præcipuam substantiam rei oblatæ & principalem offerentem, quia utrobique res præcipua oblata & principalis offerens est idem Christus. Quoad motivum seu finem principalem & intrinsecum est idem specie, quia utrumque est ad similem Dei cultum. Diversa tamen sunt ista duo sacrificia, 1. quoad modum & ritum, nam in Cruce erat cruentum, & fiebat per actionem physicè destructivam Christi; hìc est incruentum, & fit per actionem moraliter tantùm destructivam Christi, uti n. 14. explicabitur. 2. Quoad speciem externam, nam in Cruce erat sub propria forma Christi; hìc sub forma panis & vini. 3. Quoad accidentia rei principalis oblatæ, nam in Cruce offerebatur Christus mortalis, passibilis, extensus &c. hìc immortalis, impassi- 8.

passibilis inextensus. 4. Quoad partem rei oblatæ, nam in Cruce offerebatur solus Christus, hìc pars rei oblatæ est panis & vinum. 5. Quoad proximum offerentem, nam in Cruce offerebat solus Christus per seipsum, hìc offert per Sacerdotem instrumentaliter operantem. 6. Quoad effectum moralem, nam in Cruce erat meritorium, hìc non est ex parte Christi meritorium, cùm Christus sit extra statum viæ; est tamen applicativum meriti. 7. Quoad significationem, nam in Cruce non erat significativum alterius sacrificii, hìc est significativum sacrificii in Cruce facti. 8. Quoad multas circumstantias, partim physicas loci & temporis, partim morales cæremoniarum, rituum, vestium, altaris, &c. Atque ex his facilè colligitur, quomodo sacrificium sit idem vel diversum à sacrificio incruento, quod Christus obtulit in ultima cœna. Videri potest etiam *Dicast.* d. 1. dub. 15.

9. §. 8. Sacrificium Missæ est hostia & victima, in quantùm in eo offertur Christus. Item est immolatio & libamen, in quantùm in eo offeruntur panis & vinum. In rigore non est holocaustum, nec hostia pro peccato, vel pacifica, quia nihil illius comburitur; est tamen perfectius, quàm illa, & excellentiùs habet eorum virtutem ac effectum, potéstque dici mysticum holocaustum, in quantùm per sumptionem totum consumitur, utì notat *Dicast.* d. 1. à n. 160. Est autem hoc sacrificium in omni rigore latreuticum, eucharisticum, propitiatorium & impetratorium.

10. §. 9. Congruum fuit, ut in Ecclesia Christi esset unicum Missæ sacrificium, nam continebat in se omnem dignitatem, sufficiebat ad omnes

fines

fines & effectus, erat tanquam omnium perfectio & absolutio, complebat differentiam omnium hostiarum, utì loquuntur *Trid. Sess.* 22. c. 1. *Catech. Romanus* De Euch. c. 13. & SS. PP. apud *Pasqua.* q. 44. n. 3. Estque probabilius, quòd Deus non reliquerit Ecclesiæ potestatem instituendi ullum aliud sacrificium, utì tenent *Suar. Vasq. Dicast.* n. 272. aliique communissimè cum *Pasq.* q. 24. qui tamen q. 25. docet, gentiles non subditos Ecclesiæ non peccaturos, si quamdiu eis non licet ingredi Ecclesiam, offerrent Deo aliud sacrificium, quia hoc illis tantùm prohibetur, quibus convenit offerre sacrificium Missæ, quod convenit solis in Ecclesiam receptis. Oppositum valde probabiliter tenet *Præpos.* quia Christus instituendo sacrificium Missæ videtur abrogasse omnia alia, fatetúrque *Pasq* peccaturos saltem catechumenos, si aliter sacrificarent Deo, quia hi pertinent ad Ecclesiam, sicuti Novitii ad Religionem.

§. 10. Substantiæ panis & vini faciunt materiam unius sacrificii cum Corpore & Sanguine Christi, quia substantiæ illæ, non sacrificantur secundùm se, sed ùt transmutandæ in Corpus & sanguinem Christi, ac vice versâ, Corpus & Sanguis Christi non sacrificantur secundùm se, sed ùt vi verborum substantes speciebus panis & vini præexistentis, adeóque ab eadem consecratione attinguntur prout dicunt mutuum ordinem ad invicem, ergo faciunt materiam unius sacrificii. 11.

*Q. 2. In qua actione consistat essentia sacrificii Missæ.* R. Variæ sunt partes Missæ, secundùm dicta l. 3. p. 1. n. 662., in qua autem earum consistat essentialiter actio sacrificativa, 12.

non

non conveniunt AA., utì constabit ex seqq.

§. 1. Actio sacrificativa non consistit in oblatione panis & vini, utì vult *Scotus* in 4. dist. 13. §. *Ad quæstionem*. Nec in secunda oblatione, quæ sequitur statim post elevationem, utì docuerunt *Gab. Eckius* & alii. Neque etiam partialiter in fractione Hostiæ, vel immissione particulæ in Calicem, utì voluerunt *Canus* & *Valent.* Neque etiam partialiter in sumptione Sacerdotis, utì volunt *Sot. Bellarm. Bonac. Aversa.* q. 10. s. 2. & alii, multò minùs totaliter consistit in illa sumptione, utì dixerunt *Alb.* M. & *Ledesma.* minimè autem consistit in distributione vel sumptione populi: quorum omnium ratio est, imprimis quia per neutram oblationem, utì nec per fractionem, nec immissionem in Calicem, fit sufficiens destructio aut immutatio rei saltem principalis sacrificatæ, quæ est Christus: deinde neutra oblatio est facta à Christo, sed est ritus ab Ecclesia introductus; fractio etiam potest omitti, si Hostia inciderit in Calicem, utì notant omnes. Denique nulla illarum actionum, nequidem sumptio, fit à Christo, actio autem sacrificativa debet fieri à Christo, qui est principalis sacrificans ac Sacerdos, utì à n. 19. dicetur, ergo.

§. 2. Dicendum videtur, quòd actio sacri-
13. ficativa sit sola consecratio. Ità *S. Th. 3.* p. q. 82. à 4. ad 1., & multùm favent SS. *Cypr. Chrysost. Greg.* aliique apud *Suar.* d. 75. s. 5. & sequuntur cum eodem *Suar. Alanus, Ruard. Turr. Vasq. Con. Less. Tann. Becan. Rayn. Pasq.* q. 31. & seqq. *Dicast.* d. 1. dub. 10., & certum esse dicit *Arcud.* l. 3. c. 57. Ratio est 1. Quia sola consecratio est actio Christi, quam etiam ideo profert

fert Sacerdos in persona Christi dicentis, *Hoc est Corpus meum* Christi &c. 2. Quia in sola consecratione salvatur, quidquid ad sacrificationem requiritur.

*Obji. 1. Conc. Toletanum* apud S. *Th.* q. 83. a. 4. in O sic habet; *Quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* ergo sumptio est de essentia Sacrificii. R. N. Conseq. alioquin nullum holocaustum, imò nec Sacrificium Christi in Cruce fuisset sacrificium. Itaque Conc. tantùm declarat esse præceptum etiam sumendi hoc Sacrificium incruentum, eò quòd sit simul Sacramentum per modum cibi & potûs, quæ non prosunt, nisi sumantur.

*Obji. 2.* Die Veneris sancto non fit consecratio, & tamen offertur Sacrificium, nam celebrans dicit, *sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie*, &c. Item: *Orate fratres, ut meum & vestrum Sacrificium*, &c. Et S. *August.* Epist. 118. c. 2. ait: *Omnibus diebus offertur Sacrificium in Ecclesia*, quæ vera non sunt, si in sumptione non consistat essentia Sacrificii. R. cum *Pasq.* q. 23. & aliis communissimè illo die non offerri Sacrificium. Rationem dat S. *Th.* q. 83. a. 2. ad 2. quia cùm eo die Christus ipse realiter visibiliter obtulerit Crucis Sacrificium, non congruebat eo die fieri ejus imaginem per Ministros, maximè cùm tempus ipsum ejus recordationem satis ingereret. Hinc *Hugo de S. Victore* apud *Becan.* De tripli. sacrif. c. 8. n. 12. dicit: *non sacrificant amici, dum trucidant inimici.* Addit aliam congruentiam *Suar.*, ne Christus inducatur vivens & loquens illo die, quo primùm mortuus recolitur, quando autem celebrans vocat sacrificium, *tò sacrificium*, sumitur pro re sacrificata,

quæ est Christus tum sumendus. S. *Aug.* intelligit omnibus diebus ordinariè & per se loquendo, pro die autem Veneris sancto est aliquid extraordinarium, neque communiter ulla est regula, quæ, quamvis sit universalis, non patiatur exceptionem. Dicunt quidem aliqui sumptionem Eucharistiæ illo die dici sacrificium, eò quòd sit completio hesterni Sacrificii, in quo consecrata est ea hostia, sed *Henao* rectè contradicit, quia non manet continuatio physica aut moralis inter consecrationem hesternam & sumptionem hodiernam, præsertim si sit alius Sacerdos, qui hodie sumat.

*Obji. 3.* Externum sacrificium, quale esset Missa, requirit sensibilem immutationem hostiæ sensibilis, atqui consecratio non est sensibilis immutatio panis, Christus quoque, qui deberet esse principalis hostia, nequidem ibi est sensibilis, ergo consecratio panis in corpus Christi non est Sacrificium Missæ, sed sola sumptio specierum. R. N. min. nam licèt immutatio panis & Christus, prout hìc, sint insensibiles secundùm se, tamen immutatio panis fit sensibilis per verba consecrationis, quorum veritas exigit destructionem panis, Christus autem fit sensibilis partim per eadem verba, partim per species, sicuti dolor animi secundùm se insensibilis fit sensibilis per Confessionem pœnitentis.

14 §. 3. Christus per consecrationem destruitur moraliter & mysticè, utì rectè *Pasq.* q. 43., nam vi consecrationis formaliter ponitur solum Corpus sub specie panis, & solus Sanguis sub specie vini, sub neutra autem specie vi verborum formaliter ponitur anima, hoc autem

est

est moraliter & mysticè destruere Christum, quia solum corpus sine anima & sanguine non intelligitur vivere, nec solus sangnis sine anima & corpore, ad hoc autem Sacrificium non debuit Christus physicè & realiter destrui, quia debebat esse Sacrificium incruentum, quod tantùm esset repræsentatio cruenti. Plures modi explicandi videri possunt apud *Aversa* q. 11. s. 4.

§. 4. Sacrificium Missæ, prout de facto institutum est, requirit consecrationem utriusque speciei, utì habet communis cum *Pasq.* q. 44. Quamvìs autem absolutè salvari posset in consecratione unius tantùm speciei, utì valde probabiliter docent *Henriq. Bonac.* & alii, tamen esset mortale consecrare unam speciem sine altera, quia esset contra institutionem Christi, qui voluit hìc fieri expressam repræsentationem Sacrificii Crucis, in quo totus Christus immolatus est per positionem Corporis sine Sanguine, & Sanguinis sine Corpore, utì pluribus declarant *Dicast. d. 1.* dub. 11. & 12. *Aversa* s. 5. *Pasq.* q. 45. addens q. 46. Papam dispensare non posse in eo, ut consecretur una tantùm species: An autem fieri possit ex metu mortis vel aliàs, dicetur. n. 245. 15.

*Q.* 3. *A quo offeratur Sacrificium Missæ.* R. 16.

§. 1. Christus est principalis Sacerdos offerens quamlibet Missam. Est de fide *Psal.* 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: quæ verba intelligit de Christo *Apostolus* ad Hebræ. 6. v. 20. dicens: *Præcursor pro nobis introivit Jesus secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum*: quem utrumque locum Ecclesia & SS. PP. apud *Bellarm.* l. 1.

c. 6. *Le Blanc* in Pſ. 109. v. 67. & *Petav.* De *Incarn.* l. 12. à c. 11. explicant de Chriſto tanquam adhuc offerente Sacrificium, uſque ad ſæculi conſummationem. Idem ſeqq. verbis definiverunt *Concilia, Lateran.* cap. *Firmiter. Idem ipſe Sacerdos eſt Sacrificium Jeſus Chriſtus* : *Florent.* in decret. Eug. IV. ad Armenos : *Sacerdos in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum. Trid.* ſeſſ. 22. c. 2. *Una enim eadémque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum Miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit, ſolâ offerendi ratione diversâ.* Idem docent SS. *Greg. Nyſſ. Ambroſ. Chryſ. Aug. Irenæ.*, quorum verba refert *Paſq.* q. 133. n. 2. Rationem inſinuavit *Florent.*, quia Sacerdos loquitur enuntiativè in perſona Chriſti, verba enim conſecrationis ſunt verba Chriſti, cùm dicat, *Hoc eſt Corpus meum* Chriſti; uti in ultima cœna dicebat, ergo cùm conſecratio ſit ſacrificatio, Chriſtus eſt, qui conſecrat, non inſtrumentaliter, cùm ipſe Sacerdotem tanquam Miniſtrum ſibi ſubordinet, ergo principaliter.

17. §. 2. Chriſtus offert hoc Sacrificium etiam immediatè per ſe ipſum, *Suar. Gran. Con. Azor, Valent. Bellarm. Tann. Caſtrop. Fill. Lugo, Paſq.* q. 133. *Dicaſt.* d. 2. dub. 1. contra *Gabr. Henriq. Vaſq. Præpoſ. Fagund. Becan. Amic.* & alios, qui putant eum offerre tantùm mediatè, partim, quia illud inſtituit, & ordinavit nomine ſuo offerri, partim, quia ad illud ſe ſemper dat ùt victimam. Probatur 1. quia *Apoſt.* ad Hebræ. 7. à v. 23. loquens de Sacerdotibus legis antiquæ, qui habuerunt ſucceſſores, ait: *Et alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere, hic autem, eò quòd maneat in*

*æternum, sempiternum habet Sacerdotium, unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum*: quæ verba non videntur explicari posse, nisi dicamus Christum de facto adhuc esse Sacerdotem, adeóque non habere successores in Sacerdotio, sed tantùm coadjutores & Ministros subordinatos. 2. Quia *Trid.* sess. 22. c. 1. dicit Sacerdotium Christi per mortem non fuisse extinguendum, & addit c. 2. Christum esse nunc eundem offerentem, qui fuit in Cruce; item Sacrificium Crucis & Missæ, nisi solâ ratione offerendi differre, quia nempe antè dixerat in Cruce factum esse cruentè, hic autem fieri incruentè: ideoque etiam *Concil. Lateran.* suprà dicit ipsum Christum adhuc de facto esse Sacerdotem: quæ in rigore vera non sunt, nisi adhuc immediatè sacrificet, sicuti si Papa authoritate Dei institueret Sacrificium, vellétque nomine suo offerri à Sacerdote, & victimam dare ad illud, non ideo ipse diceretur esse Sacerdos. 3. Christus *à Trid.* dicitur se ipsum offerre hominis ministerio, ergo cùm homo verba proferat in persona Christi, Christus est, qui moraliter loquendo principaliter loquitur, ergo Christus est, qui immediatè principaliter consecrat & sacrificat, seque ùt homo submittit Deo per volitiones creatas, quibus se ipsum offert in contestationem supremi dominii.

§. 3. Sacerdos celebrans dici debet offerens minùs principalis, nam cùm physicè ponat consecrationem, quæ est sacrificatio, propriè offert & in rigore sacrificat, non ùt principalis Sacerdos, quia hic est Christus, ergo ùt minùs principalis & Christo subordinatus. 18.

§. 4. Tota Ecclesia etiam dici debet offerens 19.

hoc Sacrificium per Sacerdotem, uti habet communis Catholicorum, teste *Suar.* d. 77. s. 3., & certum esse dicunt *Stratius* de sacrif. l. 1. c. 6. & *Pasq.* q. 134. nam ita dicunt S. *Irenæ. August. Damian. Leo, Rupert.* apud *Suar.* & *Pasq.* Ratio est, quia per Ecclesiam intelliguntur fideles sub uno capite visibili constituentes Corpus Christi mysticum, hi autem offerunt, quia in Canone dicitur de fidelibus, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, hinc *Innoc.* III. De Myst. Missæ l. 3. c. 5. ait: *Sacerdos non tantùm in sua, sed in totius Ecclesiæ persona sacrificat.* Additur in Canone: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ*, id est, Ecclesiæ. Deinde Christus Ecclesiæ tanquam dilectæ Sponsæ suæ reliquit hoc Sacrificium, uti habet *Trid.* sess. 22. c. 1. ergo illi commisit ejus oblationem, non per se ipsam, ergo per Sacerdotem, ergo etiam Ecclesia dici debet offerre. Denique Sacerdos est ab Ecclesia ordinatus, ut etiam tanquam Ecclesiæ Minister offerat hoc Sacrificium, ergo sicuti Dominus dicitur aliquid facere per ministrum, Rex per Legatum, ita Ecclesia dicetur offerre per Sacerdotem, videri potest *Dicast.* d. 3. à n. 60.

*Obj.* Ergo tota Ecclesia dici poterit sacrificare. R. Si per tò sacrificare intelligas offerre sacrificium per se vel per partem suî, c. Ecclesiam sacrificare: si intelligas, non quomodocunque offerre sacrificium, sed physicè immediatè per se ipsum, Ecclesia secundùm omnia membra non sacrificat, & in hoc sensu sumit *Pasq.* q. 135. negans Ecclesiam sacrificare.

20. §. 5. Fideles, qui Missæ assistunt, vel positivè ad eam cooperantur, dicuntur adhuc alio speciali

ciali modo offerre hoc Sacrificium, quia non tantùm offerunt, in quantùm sunt membra totius Ecclesiæ, quæ offert, neque tantùm ideo, quia etiam eorum nomine offert Sacerdos, utpote offerens nomine omnium fidelium, etiam absentium, sed ipsi actualiter communicant in illa actione sacrificativa, partim physicè cooperando, utì faciunt ministrantes Missæ, partim exhibendo sensibilem assistentiá, utì adstantes, qui censentur unum cultum exhibere Deo cum Sacerdote, partim moraliter cooperando, utì dantes stipendium pro Missa, vel petentes sibi applicari, unde sicuti illi, qui ministrant in cultu idoli, vel tanquam pars communitatis assistunt, vel procurant fieri, dicuntur idololatræ modo magìs speciali, quàm alii absentes, qui eosdem falsos Deos agnoscunt, sed hìc & nunc nihil sciunt de oblato sacrificio, ita hi cooperantes, *Pasq.* q. 134. à n. 10. *Dicast.* d. 2. à n. 30. Qui tamen nec procurat, nec præsens est, non potest dici ex hoc specialiter offerre, quòd interné velit offerri, quia cùm hoc Sacrificium sit externum & sensibile, offerens etiam debet exhibere aliquid externum & sensibile, *Suar. Fill. Trull.* & alii cum *Henao* post Histor. de scient. media à n. 1593.

§. 6. Hi fideles specialiter concurrentes ad Sacrificium, etiam possunt illud applicare alt cui volent, nam sacrificium est de se alteri a plicabile ab offerente, sicut omne aliud opus tisfactorium vel impetratorium, prodésq; etiam alteri, sicuti oratio, ergo pro quo apl cabitur ab illis coofferentibus, illi proderit latio, quatenus ad illos spectabat, *Suar. Vasq. Henriq. Pasq.* q. 136. n. 9. *Rayn.* mox citandus. 21.

Atque hinc intelligitur, quid sit audire Missam pro alio, nam est specialem fructum, quem audiens perciperet tanquam assistens & cooffe-rens, applicare alteri.

22. §. 7. Omnes fideles etiam quatenus offerentes participant de fructu Sacrificii, si dispositi sint. *Dicast.* d. 3. à n. 139. Illi autem magis participant, qui magis vel propiùs concurrunt, nimirum hoc ordine 1. Sacerdos. 2. Pro quo Sacerdos applicat. 3. Ministrantes. 4. Assistentes; & illi omnes ex opere operato, *Suar. Henriq. Rayn.* in Heter. Tom 15. p. 2. s. 3. puncto 4. q. 12. & alii apud *Dicast.* n. 148. 5. Reliqui in Ecclesia fideles, sed tantùm ex opere operantis, *Dicast.* n. 141. Quorum autem fit specialiter mentio in Missa, vel qui specialiter approbant pro se offerri, illi videntur sibi magis quasi appropriare Sacrificium, adeóque cæteris paribus plùs de illo participant, *Pasq.* q. 134. n. 14.

23. §. 8. Angeli non possunt in rigore dici, nequidem offerre Sacrificium, quamvis enim affectum habeant, ut fiat, illudque repræsentent Deo tanquam objectum complacentiæ, aut etiam in protestationem divini dominii, tamen nec Sacerdos offert nomine Angelorum, neque Angeli sunt membrum Ecclesiæ, quæ offert, neque sunt pars populi fidelis assistentis Sacrificio. Nec Animæ Purgatorii computandæ sunt inter offerentes, quia non sunt pars Ecclesiæ militantis. *Scot.* & alii cum *Henao* à n. 1597. contra *Henriq.* & paucos alios.

24. *Q. 4. Pro quibus offerri possit Sacrificium Missæ.* R. §. 1. Potest offerri pro Sacerdote ipso, pro assistentibus, pro Ecclesia tota, & pro quibusvis etiam absentibus fidelibus in Ecclesia: quibus pro-

prodest, etiamsi de hoc nihil resciant, *Suar. Dicast.* d. 2. dub. 3. *Pasqu.* q. 137. & 138. *Aversa* q. 11. s. 10. *Pars* 1. *& 2.*, quòd offerri possit pro Sacerdote & aliis ab ipso distinctis, est certa, *ex Apost. ad Hebræ.* 5. v. 1. & 3., ubi dicit Sacerdotem pro hominibus constitui in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat, quemadmodnm pro populo, ita etiam pro semetipso, quod repetitur c. 7. v. 27. Idem habet praxis universalis Ecclesiæ, & communis sensus omnium fidelium, item Canon Missæ, in quo hoc sæpius dicitur. denique Sacrificium habet se instar publicæ & communis orationis, quæ pro orante & aliis offerri potest. Et specialiter, quòd pro alio offerri possit, docuit Christus, offerens Sacrificium crucis pro hominibus. Atque inde infert cum communi *Pasq.* q. 138. Sacerdotem peccaturum mortaliter, si aliquem de Ecclesia vellet excludere ab universali oblatione & fructu sui Sacrificii, est enim ex institutione Christi, & ex præscripto Ecclesiæ manere debet Sacrificium publicum & commune : attamen opus non est per intentionem expressam offerre pro omnibus, sed sufficit virtualis vel implicita in eo contenta, quòd celebrare velit secundùm Christi institutionem, & Ecclesiæ voluntatem vel ritum, quæ hanc communem oblationem satis sæpe exprimit in verbis Canonis : imò docent plerique cum *Pasq.* suprà contra *Lugo* & alios, licèt Sacerdos vellet, tamen non excludendum fidelem à communione talis Sacrificii & fructûs ex illo, quia cùm agat ùt minister Christi & Ecclesiæ, horum intentio & voluntas videtur prævalere apud Deum. Atque illum fructum, qui semper necessariò provenit, etiam

aliis, esse non tantùm impetratorium, sed etiam satisfactorium, docent *Sot. Navarr. Valent. Bonac.* & alii cum *Pasq.* q. 139. contra *Suar. Kon. Fill. Lugo*, & alios, sic enim videtur asseri in Canone Missæ his verbis: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum. Et* ratio est, quia sacrificium ex natura sua est æquè satisfactoriũ ac impetratorium, ergo non est ratio, cur etiam aliis non prosit quoad utrumque fructum, nam ita re ipsâ profuit Sacrificium crucis. *Pars 3 tia*, quòd prosit etiam ignorantibus, constat ex dictis, quia sic prodest oratio, & sic profuit Sacrificium crucis, omnibus etiam necdum natis: sic etiam sacrificia, quæ offerebat, *Job*, proderant filiis, quamvis ad illa non concurrerent, & fortè etiam nescirent fieri.

25. §. 2. Etiam potest directè offerri pro infantibus, utì habet communis, cùm *Dicast.* d. 2. n. 39. & *Pasq.* q. 140., ubi refert Constitutionem à S. *Clemente* factam his verbis: *Infantum Ecclesiæ memores simus, ut Dominus perfectos eos in timore suo ad adultam ætatem perducat.*

26. §. 3. Etiam pro energumenis, *Pasq.* q. 141. *Aversa* suprà. *Nec obstat* Concil. Eliberitanum his verbis: *Energumeni nomen neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum, ut suâ manu in Ecclesia ministret: Nam* non prohibet pro ipso offerri Sacrificium, sed ne ipse faciat ullam oblationem ad altare, utì faciebant alii fideles, & ne ministret Sacrificio.

27. §. 3. Etiam pro peccatoribus, utì certum est ex *Trid.* sess. 22. c. 1. & 2., ubi dicitur: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingen-*

ingentia dimittit. Ratio autem est, quia est sacrificium propitiatorium, quale fuit etiam crucis Sacrificium pro peccatoribus oblatum.

§. 5. Etiam pro hæreticis & schismaticis, utì docent *Navar. Henriq. Bellarm. Suar. Vasq.* & alii, cum *Pasq.* q. 150. & *Dicast.* n. 69. contra *Sot. Gabr.* & alios, quia quamvis sint membra præcisa ab Ecclesia, tamen sunt capaces fructûs impetratorii, ideoque etiam similibus profuit Sacrificium crucis, ergo nisi prohiberet Ecclesia directè offerri pro illis tanquam excommunicatis, licitè pro illis offerretur. 28.

§. 6. Etiam pro catechumenis, utì habent *Henriq. Bellarm. Suar.* aliique sedecim graves Auctores cum *Dicast.* n. 58. & *Pasq.* q. 151. Quòd de aliis etiam infidelibus docent iidem cum *Dicast. n. 47. Pasq.* q. 152. *Arriaga* d. 4. à n. 6. *Burgh.* cent. 3. casu 74. contra *Azor, Vasq. Gran. Hurt. Castrop.* & alios, utrobique contradicentes. Probatur autem inde, quia *Inn. III.* Cap. *Apostolicam.* 2. De Presbytero non baptizato, expressè vult pro catechumeno, id est, non baptizato, attamen credente in Christum, offerri Deo preces & hostias, citátque pro hoc authoritatem SS. *Aug.* & *Amb.* Idem autem est de aliis, qui nec baptizati sunt, nec in Chrlstum credunt, & veniunt nomine infidelium, quia utrique sunt capaces fructûs saltem impetratorii, utì rectè *Aversa* q. 11. s. 10. Hinc Sacrificium crucis pro illis oblatum, etiam illis profuit, neque Ecclesia ullibi prohibet pro illis offerri. *Nec obstat*, quod Christus soli Ecclesiæ reliquerit Sacrificium, *nam* licèt soli reliquerit offerendum, non tamen pro sola ipsa, sed etiam pro extraneis, ubi Ecclesia non prohibet. Et hanc nostram 29.

ſtram ſententiam etiam rectè defendit *Rayn.* in Heter. Tom. 15. p. 2. ſ. 3. p. 3. q. 3.

30. §. 7. Sacrificium oblatum pro infantibus vel pro conſtitutis in peccato mortali, non prodeſt in ratione ſatisfactorii, quia infantes non habent, pro quo ſatisfiat, cùm Baptiſmus remittat culpam & pœnam: in peccatoribus autem ante culpam non dimittitur pœna, utì habet communis cum S. *Thom.* & *Paſq.* q. 142. n. 5., ubi n. 6. docet eum peccaturum mortaliter, qui offerret Sacrificium pro remiſſione pœnæ debitæ peccato mortali necdum remiſſo: imò probabilius eſt cum *Lugo*, *Paſq.* n. 7. *Averſa*, contra *Navarr.* & alios, ſic oblatum pro remiſſione pœnæ poſtea non habere hunc fructum poſt remiſſam culpam, quamvis enim Sacramenta, quæ caruerunt effectu primario, adhuc revivificant ſublato obice, tamen non eſt fundamentum idem aſſerendi de Sacrificio, quod jam antecedenter, dum ponebatur, habuit ſuum effectum primarium, qui erat eſſe cultum Latriæ, & reſtificationem ſupremi dominii Dei.

31. §. 8. Sacrificium Miſſæ offerri non debet directè pro excommunicatis vitandis: quinam autem ſint vitandi, dictum eſt hìc in p. 1. n. 210., nam vìtandi ſunt iidem, qui non tolerati. Et certum eſt pro illis poſſe indirectè offerri, v. g. offerendo pro omnibus peccatoribus, pro reductione hæreticorum vel impiorum, utì habet *Dicaſt.* d. 2. n. 73. Ratio eſt, quia ſunt capaces effectûs impetratorii, & Eccleſia prohibens communicationem in divinis cenſetur loqui de communicatione directa, prohibitio enim illa eſt odioſa, adeoque reſtringenda, *Paſq.* q. 143. n. 1. *Averſa* §. *Decimò.*

§. 9.

§. 9. Peccat mortaliter, qui Sacrificium of- 32.
fert directè pro excommunicato vitando S. *Th. Dicast.* n. 61. *Pasq* n. 2. & 7. etiamsi generaliter pro illis offerret, nullum in particulari nominando vel determinando, uti habet communis sententia, ideoque oppositam esse improbabilem docet *Dicast.* n. 60. Ratio est, quia agit contra prohibitionem gravem Ecclesiæ imponentis tali excommunicato hanc pœnam medicinalem privationis communium suffragiorum, quale est Missa, donec corrigatur & se debitè submittat. *Nec juvat*, quòd fortè per contritionem sit justificatus, uti probabiliùs tenent *Sot. Suar. Dicast.* n. 74. & alii cum *Pasq.* q. 148. contra S. *Antonin. Navarr. Henriq. Bonac.* & alios, *quia* non ideo ab excommunicatione solutus est, ergo adhuc est illicitum pro illo offerre Sacrificium: quod videtur esse decisum ab *Innoc.* III. Cap. 1. *nobis* 28. & Cap. *Sacris.* 38. De sententia excomm. his verbis: Excommunicatus ille, *licèt ad cor rediens, de mandato Ecclesiæ excommunicatos, quos priùs foverat, expugnaverit, non tamen priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus, nec si occumbat in hujusmodi bello, sunt absolutiones vel oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Deo porrigendæ: nisi cùm de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, & juxta cujusdam constitutionis nostræ tenorem defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.* Ex quibus infert *Pasq.* q. 149. si talis excommunicatus sciretur esse mortuus in gratia Dei, adhuc non posse pro illo directè Missam offerri, donec etiã mortuus ritu cæremoniali esset absolutus. Addunt S. *Th. Nav. Henriq.* & *Suar.* & alii cum *Pasq.* q. 144. nequidem licitũ esse directè

rectè offerre Missam pro ejusmodi excommunicatis tanquam externis ab Ecclesia, ad impetrandam illis reductionem vel solatium, nam sunt semper externi seu ejecti extra Ecclesiam, ergo quando Ecclesia prohibet offerri pro illis, prohibet offerri tanquam pro externis. Putant tamen *Suar. Avila, Henriq. Præpos.* & alii cum *Pasq.* q. 143. n. 4. & *Rayn.* n. 28. Sacrificium illicitè applicatum pro tali excommunicato, fore huic utile, quoad fructum specialem impetratorium respondentem Sacrificio, prout est actio Christi, quia pœna Ecclesiæ non videtur præjudicare institutioni Christi: sed de hoc meritò dubitat *Dicast.* n. 98., & bene concludit rem esse omnino incertam, docet tamen n. 74. cum *Avila* & aliis excommunicatum contritum ex benigna voluntate Ecclesiæ posse gaudere suffragiis, quamvis prohibitum sit, ne publicè & directè pro illo offerantur.

33. §. 10. Licitum est privatim orare pro excommunicatis vitandis, unde potest Sacerdos in Missa sub memento internè pro illis orare, *Suar. Lugo*, *Dicast.* n. 78. aliique communiter contra *Sot.* Idem potest, dum publicè orat nomine totius Ecclesiæ, privatâ intentione & in propria persona pro iisdem orare. Item potest quodvis pium opus, etiam Missam, quatenus est proprium opus talis privatæ personæ, in ordine ad satisfactionem & impetrationem ex opere operantis offerre pro iisdem, quia sic censentur privata oratio, satisfactio vel impetratio, & prohibemur tantùm opera publica pro illis offerre, *Silvest. Angel. Armil. Covar. Nav. Suar. Dicast.* suprà.

34. §. 11. Probabilius videtur cum *Nav. Côn. Sanch.*

*Sanch. Fagund. Hurt.* & aliis, quos citant & sequuntur *Lugo* d. 19. n. 187. & *Pasq.* q. 146. ac propendet *Dicast.* n. 63. contra *Sot. Avil. Suar. Vasq. Bonac. Azor, Valent. Fill. Amic.* & alios, licitum esse publicè & directè offerre Sacrificium Missæ pro excommunicatis non vitandis, quia in extrav. *Martini V.* in Conc. Constant. *Ad evitanda*, conceditur communicatio cum excommunicatis toleratis etiam in sacris & divinis, ergo sicuti licitum est sepelire in loco sacro, uti fatentur *Suar.* & alii, ita licitè admittuntur ad Missam publicam, censetúrque Ecclesia iterum admittere ad hoc, ut possint participare fructum. *Nec obstat*, quòd maneant excommunicati, adeóque præcisi ab Ecclesia, *nam* propter hoc tenentur ipsi se gerere tanquam excommunicatos, & quantùm est de se, abstinere à communicatione cum cæteris, ideóque tenentur emanere, nec possunt petere Missas vel suffragia communia, sed non ideo aliis illicitum est cum illis communicare, neque Ecclesia ex parte sua est ab illis præcisa, sed licitè cum eis communicat, uti concessit *Martinus V.*, ergo etiam licitè pro illis applicat Sacrificia. Atque ex his inferunt aliqui cum *Pasq.* q. 147. contra *Marchinum* posse Sacerdotem ab excommunicato non vitando acceptare stipendium pro Sacrificio, quamvis enim excommunicatus peccet, quòd petat, ut pro se legatur, tamen supposito illo peccato non peccat acceptans, quia huic licitum est cum ipso communicare; neque priori ejus peccato jam antecedenter posito censetur cooperari.

§. 12. Sacrificium Missæ utiliter offertur pro defunctis in purgatorio existentibus, uti latè 35.

*Bellarm.*

*Bellarm.* l. 2. c. 7. & definit *Trid.* sess. 22. Can. 3. cujus verba referam n. 45. Idemque repetit sess. 25. in decret. de purgatorio, putatque *Dicast.* d. 2. n. 111. posse Missâ offerri pro catechumeno defuncto, uti insinuatum est n. 10. & 29.

36. §. 13. Sacrificium Missæ nec offerri debet pro damnatis, nec eis prodesse potest, uti certum est, & tenetur communissimè cum *Raynaudo* in Heter. Tom. 15. p. 2. s. 3. q. 1. & *Pasq.* q. 116. contra nonnullos, qui putârunt posse prodesse, vel ad carendum pœnis usque ad diem judicii, vel ad levamen aliquod, si essent damnati ob crimina non ingentia, vel ad confortationem in patiendo, vel saltem ad solatium, si resciant viventes adhuc sui esse memores, sed quod diximus probatur, nam imprimis id expressè prohibetur Cap. *Pro obeuntibus* 21. & seqq. causâ 13. q. 2 item in *Conc. Tib.* & *Brach.* l. 1. apud *Dicast.* d. 2. n. 88. Deinde nec prodesset illis, tum quia non sunt membra Christi ampliùs, neque actu neque potentiâ, cùm non sint ampliùs capaces gratiæ & hæreditatis æternæ, utpote infallibili decreto destinati ad infelicem æternitatem, tum quia pœna secundùm præsentem Dei providentiam non potest remitti stante culpâ, adhuc taxante sibi talem pœnam, culpa autem damnatorum est perpetua. Hinc mortale est offerre pro eo, qui omnino voluntariè & compos sui se occidit: attamen offerri potest, secluso scandalo, pro mortuo in duello, quia non constat obiisse in mortali, *Dian. Portell.* & alii.

*Obji.* Multæ leguntur revelationes in contrarium. R. Has esse suppositirias, rectè docet cum communi *Pasq.* suprà, ex rationibus & circum-

circumstantiis prudentibus ità judicandi.

*Inst.* Ecclesia in Missa pro defunctis orat, *Libera animas de pœnis inferni*, &c. R. *Sot. Azor, Henriq.* putant orare, ut liberentur è Purgatorio. Sed contra est, quia addit, *ne absorbeat eas tartarus*; item *non pœnas æternas sustineant*, certum autem est, eas jam à Purgatorio esse absorptas, nec habere periculum subeundæ pœnæ æternæ, ergo orat liberari ab inferno, vel per modum approbationis, & pii affectûs erga rem factam, utì vult *Dicast.* n. 106., vel secundùm *Lugo, Pasq.* & alios Ecclesia considerat statum animarum, non illũ, in quo nunc sunt, sed repræsentat exitum illarum è corpore, & quasi jam decederent sistendæ Dei judicio, orat, ne damnentur, sed præservativè liberentur à pœnis inferni, Deum enim posse antecedenter moveri per preces, quas prævidet posteriùs ponendas, patet in orationibus aliisque meritis Christi, quæ gratias jam antè Adamo datas merebantur, & simili sensu oramus pro adventu Christi; *Veni Domine & noli tardare*, &c., quasi nos reponendo in tempus antecedens adventum futurum.

§. 14. Esset mortale, si quis pro damnato offerret Sacrificium, non tantùm, quia prohibitum est ab Ecclesia, sed etiam quia sic offerens excederet terminos sui officii, agerétque contra institutionem Christi, *Pasq.* q. 157. Idem videtur dicendum, si offerat pro infante defuncto sine Baptismo, quia nec est, nec potest esse membrum Christi, *Dicast.* n. 113. Si tamen defunctus fuisset adultus, & inter Christianos educatus, qui præsumi posset esse justificatus per contritionem vel amorem Dei, licitè offerretur pro eo, *Pasq.* q. 158. 37.

38. §. 15. Sacrificium Missæ offerri potest Deo in honorem & memoriam Sanctorum; item in gratiarum actionem pro beneficiis, quæ Deus illis concessit, *Trid.* sess. 22. c. 2. Item ad obtinendam eorum intercessionem apud Deum, uti *Trid.* definit ibidem Can. 5. quæ omnia pluribus probat ex antiquissimis liturgiis & PP. *Bellarm.* l. 2. c. 8. Offerri tamen non potest, neque ut propitiatorium pro illis, quia cùm sint Beati, nullâ tenentur culpâ vel pœnâ; neque ut impetratorium gratiæ vel gloriæ essentialis, quæ illis utpote in termino constitutis jam decreta est, & data in mensura debita, putátque *Pasq.* q. 160. etiam non posse offerri directè ut impetratorium illis alicujus gloriæ accidentalis externæ, quia impetratio videtur supponere aliquam indigentiam, sed probabiliùs contradicunt *Suar. Valent. Lugo* aliíque cum *Dicast.* d. 2. n. 82., quibus videtur præiviſse *Innoc.* III. Cap. *Cùm Marthæ.* De celebr. Missar. §. 3., quia satis est supponi carentiam boni, cujus sim proximè capax, quamvis strictè non indigeam; Beati autem re ipsa non habent omnem gloriam accidentalem externam, quam etiam obtinere possunt, hinc Ecclesia orat, ut Sacrificium *Sanctis prosit ad honorem*; item ut *sicut Sanctis ad gloriam*, ita nobis prosit ad veniam.

39. §. 16. Quod dictum est de Sanctis, valet de omnibus, qui post Baptismum mortui sunt ante usum rationis, sunt enim reipsa sancti in cœlo, unde, qui pro tali legeret Missam de *Requiem*, secundùm *Pasq.* q. 159. peccaret mortaliter, quia in re gravi faceret contra ritum Ecclesiæ, & reipsa ostenderet se non bene sentire de efficacia Baptismi & sufficientia ad beatitudinem.

dinem. Docent tamen *J. Sanch.* d. 4. à n. 5. *Mascaren.* & alii sacrificari posse pro homine adulto baptizato in agone, quia potuit postea commisisse veniale. *Nec obstat*, quòd non sacrificetur pro Martyre, qui similiter habere posset veniale, *nam* hoc non ita facilè præsumitur, cùm moriatur pro fide, & ordinariè ex perfecto amore Dei. Quamvis autem *Henao* post Historiam scient. mediæ parergo 23. putet pro tali baptizato posse legi Missam de *Requiem*, tamen meliùs dicunt alii legendum esse de Angelis vel gratiarum actione, utì fit in funere infantium, ne populo detur scandalum & occasio judicandi, quòd Baptismus non remittat omnem culpam & pœnam.

*Q. 5. Quid addendum sit circa effectus Sacrificii Missæ.* R. Seqq. 40.

§. 1. Sacerdos in Missa potest considerari quadrupliciter, 1. Prout gerit personam Christi principaliter consecrantis, cujus est velut instrumentum. 2. Prout est publicus Minister Ecclesiæ, cujus nomine offert Deo hoc Sacrificium, & in cujus etiam persona orat illa, quæ in Missa recitantur. 3. Prout est privata persona etiam nomine suo offerens & orans. 4. Prout offert & orat nomine illorum, qui ad hoc Sacrificium specialiter cooperantur vel concurrunt, quales sunt Ministri, adstantes; item illi, qui Sacrificium petiêrunt.

§. 2. Fructus Sacrificii est triplex: *primus* respondet Sacrificio secundùm se, prout est opus positum à Sacerdote ùt operante in persona Christi, & dicitur fructus specialis vel substantialis. *Secundus* respondet Sacrificio, prout est opus positum à Sacerdote, ùt operante in nomine 41.

mine vel persona Ecclesiæ, & dicitur fructus generalissimus, de quo participant omnes Christi fideles per se loquendo. *Tertius* respondet Sacrificio, prout est opus positum à Sacerdote, ùt operante in nomine & persona privata, vel prout est positum ab illis, qui specialiter ad illud cooperantur aut concurrunt, & dicitur fructus specialissimus. Singuli hi fructus sunt satisfactorii saltem latè seu applicativi satisfactionum Christi, vel impetrativi remissionum: Item impetratorii aliorum beneficiorum, utì notant communiter AA., quamvìs aliqui cum *Pasq.* q. 107. dissentiant, putantes non omnes esse satisfactorios: de quibus omnibus videri potest *Pasq.* à q. 88., usque ad 102, ubi accuratè explicat, in quo singuli hi fructus fundentur, & quibus conveniant vel applicari possint.

42. §. 3. Sacrificium Missæ est secundùm se valoris in actu secundo simpliciter infiniti, *Caj. Silv. Suar. Vasq.* & alii 27. AA. gravissimi, quos refert & sequitur *Pasq.* q. 117. contra *Bellarm. Lugo, Pallav.* & alios multos cum *Card. Bona* De Missa c. 1. §. 55., quorum tamen plerique in re non dissentiunt, sed tantùm volunt, non esse actu infinitum quoad vim proximam causandi, vel quoad effectum in actu secundo, quod etiá dicemus n. 47. Ratio nostra est, quia valorem actionis constituit dignitas operantis, sed dignitas personæ operantis actionem sacrificativam est simpliciter infinita, cùm sit persona Christi, Hominis-Dei: & ob illam rationem docent omnes, Sacrificium in cruce & ultima cœna oblatum, quod cum hoc in substantia erat idem, fuisse infiniti valoris; consequenter singulæ

gulæ Missæ habent in actu secundo secundùm se comproportionem & condignitatẽ ad omne bonum possibile obtinendum, non prout ponuntur nomine Ecclesiæ, Sacerdotis, vel adstantium, sed nomine & in persona Christi.

*Obji.* Si ita est, Sacrificium Missæ non deberet esse iterabile, utì ideo iteratum non fuit Sacrificium in Cruce. R. N. seq. Nam imprimis aliquod juge sacrificium esse debuit, quod constitueret Religionem Christianam. Deinde iterari debuit ad exhibendam Deo sæpè & ubivis supremam latriam & gratiarum actionem. Denique cùm Deus voluerit successivè per vices & tempora applicari diversis hominibus merita, & satisfactiones & fructus Sacrificii cruenti, debuit incruentum Sacrificium pro diversis temporibus & locis esse iterabile, non aliter ac Sacramenta, aliáque opera, per quæ repetita Deus voluit applicari virtutem passionis Christi secundùm se infinitæ.

§. 4. Effectus Sacrificii Missæ sunt sequentes, 43.
1. Dei complacentia tam ratione rei oblatæ, quàm principalis offerentis, qui est Deus-Homo exhibens per hoc Sacrificium sanctissimæ Trinitati perfectissimum cultum latriæ.

2. Quædam exsolutio gratiarum pro beneficiis Dei, nam hoc Sacrificium, in quantùm Eucharisticum, est recognitio beneficiorum Dei cum oblatione reciproca hujus hostiæ pro exsolvendo debito gratiarum. 44.

3. Remissio peccatorum quoad culpam & pœnam, nam esse Sacrificium propitiatorium, de fide est ex *Trid.* sess. 22. Can. 3. *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aùt nudam commemorationem Sacrificii in* 45.

*Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse Jumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Idem habent *Conc. Brach.* Liturgia *S. Jacobi Apostoli*, antiquissimi PP.. quorum loca & verba referunt *Bellarm.* l. 2. c. 2. *Becan.* De trip. sacrif. l. 3. c. 12. à n. 5. *Pasq.* q. 54. *Dicast.* d. 1. dub. 17. Quando autem *Trid.* suprà c. 2., inde videtur probare hoc Sacrificium esse verè propitiatorium respectu culparum, quia *per ipsum sit, ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno, eò quòd hujus oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia remittat*, satis innuit hanc remissionem peccatorum causari per Sacrificium mediatè tantùm, in quantùm propter illud Deo oblatum dantur gratiæ actuales & auxilia operativa contritionis vel aliorum actuum supernaturalium, quibus peccata deleantur, quas gratias & auxilia immediatè causet seu exigat Sacrificium: ita *S. Th. Suar.* & alii 50., quos relatis locis citat & sequitur *Pasq.* q. 63., videtur autem esse contra *Catharinum* & alios, quibus tribuitur, quod docuerint per Sacrificium conferri gratiam, uti per Baptismum vel Pœnitentiam, consequenter per illud remitti mortalia attrito, quam opinionem graviter notant aliqui apud *Mendo* d. 7. q. 1. n. 7. eámque rectè confutant *Bellarm.* c. 4. prop. 2. & pluribus *Dicast.* d. 3. à n. 5. Imò probabilius videtur cum *Suar. Vasq. Bon. Côn. Laym. Rayn. Dicast.* n. 31. *Pasq.* q. 68. & 69. contra *Canum, Henriq. Cordub. Valent.* & alios, etiam venialia ita mediatè tantùm remitti per Sacrificium, quia Concilia & PP. eodem modo loquuntur

quuntur de utrisque. E contrà pœnas remittit immediatè, uti docent communiter omnes Catholici cum *Pasq.* q. 72., per hoc nempe, quòd applicet satisfactiones Christi, uti habet *Trid.* suprà c. 1. & 2. Hinc infert *Pasq.* q. 56. n. 4. hoc Sacrificium non esse satisfactorium ratione sui independenter à Sacrificio Crucis, sed dependenter ab illo, sicuti enim victima eadem quasi transmittitur ab illo ad hoc Sacrificium, ita etiam virtus Sacrificii Crucis in hoc Sacrificium.

4. Impetratio omnis generis beneficiorum, 46.
etiam temporalium, quatenus saluti conducunt, nam *Trid.* suprà definit offerri etiam pro aliis necessitatibus, & Liturgiæ omnes SS. *Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi* præcipiunt offerri pro pace, pro copia fructuum &c. Idem dicunt PP., quorum verba referunt *Bellarm.* c. 3. *Becan.* n. 3. *Pasq.* q. 55. & 77. *Dicast.* n. 53. Imò Missam nunc habere præcipuam vim ratione impetrationis, probat inde *Bellarm.* c. 4. prop. 3., quia vim præcipuam habet, prout offertur à Christo ùt principali Sacerdote, sed Christus nunc non potest satisfacere vel mereri, sed tantùm impetrare: unde etiam ideo est propitiatorium, quia impetrat gratias actuales & auxilia pœnitendi: & hoc modo dici potest etiam satisfactorium pro pœnis, quod impetrare possit earum remissionem, saltem mediatè, uti vult *Pasq.* q. 73., fortè etiam immediatè, uti probabiliter tenent *Laym.* & *Lugo.* Simili modo potest hoc Sacrificium mediatè esse meritorium, etiam prout est actio Christi, in quantùm impetrat gratias & auxilia ad merendum: est autem etiam immediatè meritorium,

prout est actio Ecclesiæ, Sacerdotis vel cooffe-
rentium, uti rectè *Pasq.* q. 114. n. 3. rectè pro-
bans q. 64. habere nihilominus propriam ra-
tionem propitiationis distinctam à ratione im-
petrationis, in quantùm per gratias & auxilia,
quæ causat, tendit ad placandum Deum, &
præterea repræsentat Deo Sacrificium Crucis,
directè intentum ad remittenda peccata. Deni-
que notant *Suar. Con. Dicast.* n. 36. *Pasq.* q. 71.
contra *Sot. Tol.* & alios, secundam gratiam habi-
tualem per Sacrificium impetrari posse illi, pro
quo Sacrificium offertur, sed tantùm mediatè,
uti n. 45. dictum est de prima gratia seu remis-
sione culparum.

47. §. 5. Sacrificium Missæ, respectu duorum
priorum effectuum, qui sunt Dei complacentia
& solutio gratiarum, causat in actu secundo
simpliciter infinitè, quia Deus actu infinitè sibi
complacet in hoc Sacrificio, & in illo pro gra-
tiis redditur bonum actu infinitum: sed respe-
ctu duorum posteriorum effectuum, qui sunt
remissio peccatorum & impetratio donorum,
causat actu simpliciter finitè, quia Christus non
ordinavit, nec Deus acceptat nisi ad remissio-
nes & impetrationes actu finitas: & inde etiam
est, quòd in Ecclesia multiplicentur Sacrificia in
ordine ad eundem finem, & plura plùs obti-
neant, quàm unicum; item quòd Sacrificium
plùs prosit uni, pro quo solo offertur, quàm
prodesset singulis, si pro multis offerretur, uti
notant *Suar.* d. 68. s. 1. *Barb.* De potest. Episc.
Alleg. 24. n. 7. *Rayn.* t. 4. c. 4. n. 11. *Gob.* t. 3. n. 134.
*Card. Bona.* c. 1. §. 4. *Dicast.* dub. 5. *Henao* à n.
1446. *Pasq.* q. 123. 125., quamvis q. 126. quoad
vim impetrandi dissentiat cum *Vasq. Castrop.*
*Steph.*

*Steph.* t 5.d.4. n.58. *Aversa* q. 11.s.7. Ratio nostra est, quia etiam impetratio fit per modum orationis, sed omnes communiter dicunt, & faretur etiam *Pasq.* q.127. n. 7., si oratio distinctè offeratur pro 20. hominibus, plùs valere, quàm si confusè offeratur pro illis 20., ergo à potiori plùs valebit, si offeratur distinctè pro uno, quam si pro 20. Manet tamen incertum, quid & quantùm huic aut illi Sacrificio respondeat.

§. 4. Sacrificium, prout fit in persona Christi, causat hos suos effectus ex opere operato, id est, ex vi operis positi, præscindendo à merito & dignitate Ministri vel subjecti, *S. Th.* & alii cum *Pasq.* q. 57.; non tamen sic causat, prout fit nomine Ecclesiæ vel sacrificantis hominis, utì contrà *Scot. Gabr. Henriq.* probabiliùs docent *Suar. Vasq. Pasq.* q. 108. & 114., quia quamvìs Christus instituerit ponendum etiam nomine Ecclesiæ & à Sacerdote, non ideo illi attribuit effectum distinctum, quia ab illis fieret, sicuti instituit Sacramenta, ut à Sacerdote conferantur, sed non ideo Sacramento, prout à privata persona Sacerdotis ponitur, respondet distincta gratia. Potestque de his omnibus susè videri *Rayn.* in Heter. Tom. 15. p. 2. s. 3. puncto 4. 48.

§. 8. Ut Sacrificium in aliis causet effectus suos ex opere operato, non requiritur in sacrificante status gratiæ, nam *Trid.* sess. 22. c. 1. dicit nullâ offerentis indignitate aut malitiâ inquinari posse, id est, impediri virtutem causandi, tenetque recepta omnium sententia, inquit *Dicast.* n. 160., & habetur pluribus locis in Jure Canonico: Hinc docent *S. Th.* 3. p. q. 82. a. 6. 49.

aliique cum *Pasq.* q. 130. Missam mali Sacerdotis ex opere operato æquè prodesse quàm boni, quamvis esset etiam hæreticus, excommunicatus denunciatus, etiam degradatus, quia hic fructus specialis sequitur ad substantiam Sacrificii, prout est actio Christi principaliter offerentis: Quod secundùm *Gabr. Sot.* & alios, in quos inclinat *Dicast.* n. 215,, valet etiam de Missa, prout est actio Ecclesiæ, quidquid contradicat *Pasq.* q. 113., negans hoc, si Minister sit excommunicatus non toleratus. Idem tamen q. 106. n. 2. fatetur huic fructui non obstare, quòd fortè non sit in statu gratiæ: sed ratio nostra universalis est, quia Ecclesia illud offerens semper est sancta & Deo grata. *Nec obstat*, quòd Ecclesia tali prohibeat sacrificare, *nam* etiam Christus prohibet, & tamen, si fiat, offertur, utì à Christo, ita etiam ab Ecclesia. Rectè autem contra *Caj. Sot Henriq.* & alios docet cum communissima *Pasq.* q. 102. & 103., ex hoc, quòd sacrificans habeat majorem gratiam vel devotionem, non augeri in aliis fructum ex opere operato, quia vis operis operáti non est ab actione, prout est Ministri, sed prout Christi: consequenter etiam dicendum est cum *Pasq.* q. 116. cooperationem Ministrorum ad Sacrificium esse fructuosam Ecclesiæ, quamvis Ministri non sint in statu gratiæ, quia ponitur nomine Ecclesiæ, & est moraliter actio illius, quæ semper Deo est grata. Addit probabiliter *Pasq.* q. 131. contra *Rayn.* n. 27. qui probabiliùs negat, Missam solennem esse ex opere operato efficaciorem quàm non solennem, tum ob actiones intrinsecas plures, tum ob assistentiam & cooperationem plurium: illa autem est solennis, quæ

fit

fit cum Diacono & Subdiacono ; imò & illa, utì putat *Lohner* p. 1. t. 1. q. 1. quæ tantùm cantatur.

§. 9. Ut Sacrificium specialiter prosit uni potiùs quàm alteri, requiritur applicatio sacrificantis, quia cùm sit institutum pro bono communi, & sit secundùm se indifferens, ut specialiter prosit huic vel illi, debet determinari per Sacerdotem, *S. Th.* & alii communissimè cum *Pasq.* q. 161. Ut tamen fidelibus causet fructum generalissimum, & coofferentibus specialissimum, nulla requiritur applicatio Sacerdotis, quia hoc ipso, quòd ponatur secundùm præscriptum Ecclesiæ & ex cooperatione coofferentium, tanquam opus publicum & commune, est de se operativum illorum fructuum; *Pasq.* suprà n. 1. & iterum q. 93. Hinc si Sacerdos sit in gratia, quamvis fructum specialem nulli applicet, Sacrificium ipsi proderit, quia obtinebit fructum specialissimum, qui fortè major est quàm specialis, *Pasq.* q. 97. & 98. Potestque Sacerdos, etiamsi accepto stipendio celebret pro alio, totum hunc fructum sibi retinere, aut, si velit, partem ejus applicare alteri, utì probabiliter tenent *Caj.* & alii 20. cum *Aversa* contra *Suar. Laym. Pasq.* q. 99. Imò probabile est coofferentes etiam posse applicare alteri, *Nav.* & alii contra *Pasq.* q. 115. Et ad illum fructum specialissimum à Sacerdote obtinendum sufficit voluntas virtualis vel implicita, quam sacrificans semper habet, ut sibi prosit, quamvis *Suar.* & alii cum *Dicast.* n. 164. suadeant formari semper intentionem, ut si ille, cui applicat, non indigeat vel non sit capax, prosit sibi aut alteri. Quòd si Sacerdos ipse non sit in gratia, communiter nihil obtinebit de 50.

hoc

hoc fructu, quia sacrificando peccabit, ergo per hoc nihil poterit à Deo sperare beneficii vel doni: si tamen putans se esse in gratia, bonâ fide sacrificaret, esset secundùm se actus religionis & honestus, cui de congruo respondere posset fructus, sicuti attritio aliique actus supernaturales à peccatore eliciti sunt de congruo meritorii, satisfactorii, impetratorii. Videri possunt *Dicast.* d. 3. dub. 8. & *Pasq.* qq. citatis.

51. §. 10. Probabilius videtur, quod Sacerdos, prout præcisè est offerens, non participet ex opere operato ullum fructum ex Sacrificio, sed tantùm in quantùm est unus ex illis, pro quibus offertur, ita *Vasq. Còn. Pasq.* q. 58. contra *Suar. Bonac. Amic. Fill.* Atque idem videtur dicendum de Ecclesia prout offerens est, *Suar. Vasq. Henriq. Còn. Pasq.* q. 59. Idem consequenter & probabiliùs dicunt *Vasq. Con. Pasq.* q. 60. contra *Suar. Henriq.* etiam de Ministris & aliis adstantibus, prout coofferentes sunt, quia Sacrificium non videtur institutum ad causandum, nisi prout offertur à Christo pro illis, quibus per Sacerdotem applicatur, unde sicuti Sacramenta ex institutione sua & ex opere operato non prosunt Ministris quà talibus, sed tantùm illis, qui suscipiunt, ita Sacrificium illis tantùm, quibus applicatur. Docent autem aliqui cum *Diana* p. 9. t. 2. R. 8. Missas pro defunctis plùs quàm Missas pro vivis prodesse Sacerdoti, quia defunctis applicatur sola vis satisfactoria & reliquæ virtutes Missæ manent celebranti; sed *Gob.* n. 634. meritò tenet oppositum, quia ex mente illorum, qui Missam constituunt & quibus se accommodare debet legens, reliqui fructus cedunt amicis vivis defuncti.

§. 11.

§. 11. Sacrificium causat effectus suos infallibiliter, nam imprimis Dei complacentiam & quandam exsolutionem gratiarum infallibiliter causat, uti per se patet: deinde etiam infallibiliter, quantùm de se est, causare remissionem peccatorum, docent *Valent.* & alii plurimi cum *Pasq.* q. 67. & 70., eamque sententiam probabilem ac piam vocat *Dicast.* d. 3. n. 20. Quoad remissionem pœnarum pro culpis remissis, consentiunt ferè Theologi omnes cum *S. Th. Dicast.* dub. 2. *Pasq.* q. 74. Et absolutè etiam quoad impetrationem tenent *Lugo*, *Garzias* & alii contra *Pasq.* q. 77. & alios, nam Christus instituit ad illos fines, uti constat ex dictis à n. 43., & consequenter, si ex parte nostra non sit obstaculum, Deus ad eosdem fines oblatum acceptabit: & hoc ipsum cognovimus per traditionem, inquiunt *Becan.* suprà n. 7. & *Dicast.* n. 47. 52.

*Objicies.* Sæpe offeruntur Sacrificia pro peccatoribns, qui non convertuntur; item pro beneficiis, quæ non impetrantur. *R.* Docent 20. AA. gravissimi cum *Pasq.* q. 67. peccatori certò & infallibiliter impetrari gratias actuales & auxilia, quæ Deus dabit aliquando, cùm volet, per quæ possit pœnitere: unde quamvis fortè pro libertate sua non cooperetur, effectum tamen suum habuit Sacrificium, quia ipsius non erat immediatè causare remissionem peccatorum, sed tantùm gratias & auxilia. Estque valde probabile cum *S. Th.* & *Pasq.* q. 67. contra *Suar.* & alios, hæc auxilia esse semper efficacia, si homo sit aliunde dispositus, nam *Trid.* sess. 22. c. 2. absolutè dicit per Sacrificium fieri, *ut si cum vero corde &c. accedamus ad Deum.*

*Deum, misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Similiter Sacrificium impetrat certò & infallibiliter beneficia, si expediat saluti, & quis per indignitatem suam non obstet, ideoque debeat Deus priùs placari: quandoque tamen Deus differt beneficium vel commutat in aliud, quia sic utilius est: atque sic semper impetratur, quod petitur, quia mens Sacerdotis per Sacrificium petentis est, ut ita obtineat, non autem omnino absolutè & statim, alioquin esset irrationabilis petitio nec institutioni Christi conformis.

53. *Instabis.* Saltem non est infallibiliter remissivum pœnæ, quam debet in Purgatorio anima, pro qua offertur Sacrificium. R. Assumptum negant *S. Th. Alb. M.* & alii 36. AA. graviſſimi cum *Pasq.* q. 74. contra *Sot. Canum, Cordub.* & *Tolet.*, qui putant hunc effectum in illis esse tantùm ex benigna Dei voluntate; sed contrà est, quòd Sacrificium sit institutum etiam pro expiatione animarum in purgatorio, uti docet *Trid.* n. 35. & 45. relatum, voluitque Christus & Deus per illud juvari animas, ergo si offeratur, nihil obstat, quominus infallibiliter juvet. Communior tamen est sententia *S. Th.* & plerorumque cum *Pasq.* q. 74. non remittere infallibiliter totam pœnam sed tantùm partem, juxta taxationem à Christo factam in institutione hujus Sacrificii, hinc *Trid.* dicit eas per Sacrificium *juvari*, non autem absolutè liberari. An autem idem sit de Missa ad altare privilegiatum, dicetur n. 524.

54. §. 12. Sacrificium caulat complacentiam in Deo & quandam gratiarum exsolutionem, quamprimum existit; remissionem autem peccato-

catorum & impetrationem beneficiorum non semper statim, uti constat ex dictis n. 52. Unde quia secundùm dicta n. 15. Sacrificium tum priùs completè existit, quando intrinsecè finitur consecratio secundæ speciei, si unius tantùm speciei consecratio poneretur, causaretur quidem aliqua complacentia & aliqua exsolutio gratiarum Deo, quia esset aliquod Sacrificium incompletum ponens objectum summè gratum Deo, & recognoscitivum beneficentiæ ipsius; an autem aliquid causandum esset circa remissionem vel impetrationem, planè incertum est, nec divinare libet, pendet enim à voluntate Christi, cujus institutio qualis circa hoc fuerit, ignoramus, neque nobis suggerunt aliquid Conc. vel PP.

*Q. 6. Quæ conditiones & dispositiones requirantur, ut quis per Sacrificium obtineat fructum satisfactorium aut impetratorium.* R. Intelligetur ex seqq. §. 1. Soli viatores sunt propriè capaces horum fructuum, quia Sacrificium est institutum pro Ecclesia militante: animæ tamen purgantes adhuc censentur esse quasi in via, cùm necdum sint in patria seu termino: Quomodo autem etiam Beatis per Sacrificium impetrari possit major gloria accidentalis, dictum est num. 38. 55.

§. 2. Ut quis sit capax eorundem fructuum quasi de condigno, debet esse baptizatus & in statu gratiæ, quia cùm hoc Sacrificium sit pro Ecclesia institutum, videtur illis tantùm ex justitia exigere fructum, qui sunt in Ecclesia: si autem sint in mortali, sunt hostes Dei, ergo resistit eorum indignitas, quominus Deus ex justitia teneatur illis concedere ejusmodi fructus. 56.

*Pasq.*

*Pasq.* q. 80. contra *Durand.*, qui ad satisfaciendum pro pœna peccato remisso debita non requirit nunc statum gratiæ: imò probabiliùs tenent *Dicast.* d. 3. n. 166. *Pasq.* q. 81. *Aversa* q. 11. s. 10. §. *Item.* contra *Sot.* & *Nav.*, si Sacrificium oblatum sit pro aliquo in mortali constituto, postea non reviviscere ad causandos fructus, si restituatur gratiæ, pro hoc enim non est satis solidum fundamentum. E contrà tamen si offeratur pro conversione infidelis vel peccatoris, aut etiam pro remissione pœnæ propter culpam, quam homo infidelis per contritionem deposuerit, poterit Sacrificium de congruo prodesse, *Dicast.* n. 155.

57. §. 3. Ut Sacrificium, etiam mediatè tantùm causet remissionem venialium, prærequiritur aliquis affectus cordis, quo velit satisfacere Deo, & à venialibus recedere: ut autem causet remissionem mortalium, prærequiritur etiam motus cordis ad Deum, actus fidei & attritio de illis peccatis, utì innuit *Trid.* sess. 22. c. 2. dicens, *per ipsum fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti* (intellige contritione imperfectâ) *ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*: illis enim suppositis dabit Deus gratias, ut ex attrito fiat perfectè contritus, vel moveatur ad dignè suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, secundùm dicta n. 45., potéstque videri etiam *Aversa* q. 11. s. 6.

58. §. 4. Ad remissionem pœnæ prærequiritur indigentia actualis, id est, ille, pro quo petitur, debet esse actu obnoxius debito alicujus pœnæ, *Dicast.* n. 172. *Pasq.* q. 80. n. 1. *Aversa* §. *Nonò.*

Remitti

Remitti autem poterit pœna, quamvis reus non resciat expressè de Sacrificio pro se oblato, quia relaxatio debiti est actus solius creditoris. Si tamen positivè nollet sibi remitti, *Suar.* contra *Lugo, Aversa. Pasq.* q. 82. probabiliùs dicit, non remittendam, quia cùm invito ordinariè fieri non debeat gratia, credibile est Deum pro dispositione requisivisse consensum saltem interpretativum.

§. 5. *Caj. Vasq.* & *Merat.* putant in animabus Purgatorii ad remissionem pœnarum per Sacrificium causandam prærequiri tanquam dispositionem, ut in vita curam habuerint satisfaciendi pro peccatis propriis, & juvandi alios defunctos: cui sententiæ multùm favent *S. Aug.* De cura pro mortuis c. ult. & in Enchir. c. 109. & *S. Th.* 3. p. q. 52. a. 8. ad 1., quibus auctoritatibus non videtur satisfacere *Pasq.* nec q. 84. nec q. 155. Nihilominus plurium sententia cum *Pasq.* q. 83. & 155. & *Rayn.* Tom. 15. p. 2. s. 3. pu. 1. à n. 14. tenet nihil requiri præter statum gratiæ, in qua sunt, quia *Trid.* absolutè definit illis prodesse, & sine sufficiente fundamento videntur ista requiri: Hinc concludit *Pasq.* q. 85. contra *Caj.* & *Vasq.* hunc fructum etiam non communicari animabus secundùm mensuram devotionis, quam ipsæ in vita habuerunt erga Sacrificium, sed secundùm mensuram à Christo determinatam independenter ab omni alia ipsarum dispositione. Quid autem fiat, quando anima, cui applicatur, non indiget, quia Beata est, vel si non est capax, quia est damnata, colligetur ex dicendis n. 1330. 59.

§. 6. Fructus Sacrificii tam satisfactorius quàm impetratorius est major pro meliore di-

positione illius, pro quo offertur, S. *Th. Dicast.* n. 170. *Averja* §. *Octavò.* aliique plurimi cum *Pasq.* q. 76. & 87. contra *Suar. Valent. Fill. Fagund.*, videtur enim eodem modo loquendum, quo de Sacramentis, quæ pro meliore dispositione subjecti habent majorem effectum, secundùm dicta p. 1. n. 185. Et hoc fortè innuit Ecclesia in Canone Missæ, quæ loquens de illis, pro quibus offert, ait, *quorum tibi fides cognita est & nota devotio.* Et contra irreverenter adstantes aut fabulantes gravissimè scribunt SS. PP. apud *Rayn.* suprà s. 2. pu. 7. à n. 15. 21. 25. Ubi n. 27. ex iisdem SS. PP. docet mendicos tum esse arcendos à templo, utpote turbantes devotionem fidelium, quod etiam Decretis Pontificiis & Episcopalibus sæpè sancitum est. Oculorum autem impuritatem acerrimè perstringunt iidem SS. PP. apud *Rayn.* à n. 28. Quas omnes irreverentias etiam ab Ethnicis, Turcis & Judæis non tolerari in suis Sacris, ostendit idem *Rayn.* à n. 43.

61. *Q. 7. In quo conveniant & disconveniant Sacramentum Eucharistiæ & Sacrificium Missæ.* R. In his *conveniunt*, 1. Quòd sit eadem realiter actio, per quam ponuntur, nempe eadem consecratio. 2. Quòd utrobique sit idem terminus ultimatus actionis, nempe idem Christus sub specie panis & vini. 3. Quòd essentia Sacramenti, & Sacrificii includat istam actionem & istum terminum, Sacrificium enim adæquatè & prout communiter sumitur, supponit, non tantùm pro sacrificatione sed etiam pro victima. 4. Quòd ratio Sacramenti & ratio Sacrificii possint ab invicem absolutè separari, nam Christus potuisset instituere vel in ratione Sacramenti tantùm,

tùm, vel tantùm in ratione Sacrificii, utì rectè *Vasq.* & *Pasq.* q. 53. n. 1.

*Disconveniunt* in his, 1. Quòd Sacramentum 62.
includat aliqua, v. g. ſpecies panis & vini, quæ non includit Sacrificium. 2. Quòd Sacramentum per ſe immediatè ordinetur ad ſanctificandum hominem, Sacrificium ad cultum & honorem Dei. 3. Quòd eſſentia Sacramenti ſalvetur per conſecrationem unius ſpeciei, utì rectè *Suar. Tann. Pasq.* n. 3., quia quamvìs non habeatur completum ſignum integri convivii ſpiritualis, tamen habetur ſignum ſenſibile ex opere operato cauſativum gratiæ, quæ eſt cibus & potus animæ: è contrà eſſentia Sacrificii includit conſecrationem utriuſque ſpeciei, quia inſtitutum eſt, ut ſit expreſſa repræſentatio cruenti Sacrificii Crucis, ſeu ſeparationis etiam Sanguinis à Corpore, hinc ſi non conſecretur utraque ſpecies, Sacrificium non cauſat ex opere operato. 4. Quòd Sacramentum ſit prius ordine executionis, cùm ſalvetur in una ſpecie: Sacrificium autem, ſpectato fine ultimato, ſit ſimpliciter & abſolutè prius ordine intentionis, quidquid contradicat *Dicast.* d. 1. dub. 16., quia Sacramentum & ipſa ſanctificatio hominis intenditur propter cultum & honorem Dei, qui eſt finis Sacrificii. 5. Quòd Sacramentum ſit permanens, quia cùm ratio Sacramenti ſit eſſe ſignum ſenſibile, principaliter ſupponit pro ſpeciebus & Chriſto, qui permanent: Sacrificium autem ſit tranſiens, quia cùm ratio Sacrificii ſit eſſe cæremoniam ſacram, principaliter ſupponit pro actione ſacrificativa, quæ eſt tranſiens. 6. Quòd Sacramentum non cauſet ante uſum ſive ſumptionem, Sacrificio autem

ad causandum satis sit existere. 7. Quòd Sacramentum ex opere operato prosit soli sumenti, Sacrificium etiam aliis, quamvis nec sacrificantibus nec sumentibus.

63. *Q. 8. Quid Pontifices & S. Congregatio statuerint circa celebrationem Missarum.* R. Constabit ex verbis Constitutionis *Innocentii* XII. datæ Romæ 23. Dec. 1697. prout sequitur:

# CONFIRMATIO DECRETORUM CONGREGATIONIS S. R. E. CARDINALIUM CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM,

*Super Celebratione Missarum, etiam cum declarationibus & innovatione Decretorum ab eadem Congregatione, auctoritate fel. rec.* URBANI *Papæ* VIII. *desuper aliàs factorum.*

## INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

NUper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretũ prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet:

Aliàs super celebratione Missarum ac prohibitione illas moderandi seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia, nec non super earundem oneribus perpetuis suscipiendis, & Religioso-

giosorum numero ultra redditus & consuetas eleëmosynas locorum Regularium non habendo, emanârunt ab hac Sac. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illi specialiter attributâ, quamplura Decreta tenoris sequentis:

Cùm sæpè contingat in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis aut piorum eleëmosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur; indéque fiat, ut depereant piæ Testantium voluntates, obstricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ suffragiis priventur, Ecclesiis subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur: Cúmque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd ii, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevì ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quòd Ecclesiis sorte pecuniarum absumptâ plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque ullo emolumento, aut quòd eleëmosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, & redditus Ecclesiæ aut Monasterii adeo exigui, ut Sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens facturam se rem Deo gratissimam, charitatíque ac justitiæ maximè consentaneam, si

pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è Christiana Republica convellere atque eradicare, Sanctissimi D. N. Urbani Divinâ Providentiâ Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributâ, infrascripta Decreta edidit:

Ac primò districtè prohibet atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspectâ, id statuet, quod magìs in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

64. Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, stipendia, quantumcunque incongrua & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt aut conferentur in futurum, Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus ac locis piis quibuscumque, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicii mandat ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id

Id verò ut deinceps observetur exactiùs, Sac. Congregatio eâdem auctoritate revocat Privilegia & Indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis ac locis piis, tam Sæcularibus quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis & Instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat. 65.

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleëmosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleëmosynæ sibi retentâ, celebrandam committat. 66.

Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ùt par est, adimplendis eò tepidiores ac segniores reddantur, quòd onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta; statuit atque decernit, ut pecuniæ ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus ac locis omnibus, tam Sæcularibus quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem Sacram vel personam fide & facultatibus idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium quàm primùm investiendi in bonis immo- 67.

immobilibus fructiferis, cum expressa & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolicâ deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eadem pœna ùt suprà, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat:

Ad hæc Sac. Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus & Congregationibus, nec non omnibus & singulis Ecclesiarum ac piorum locorum, tam Sæcularium quàm Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, nè imposterùm onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, Sæculares quidem sine Episcopi vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò sine Generalis vel Provincialis consensu & licentia in scriptis & gratis concedenda; alioquin Sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso; Regularis verò pœnam privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocísque activæ ac passivæ, absque alia declaratione incurrat.

68. Eleëmosynas verò manuales & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleëmosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa: *Eleemosyna pro Missis,*

*Missis*, vel aliâ simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur.

Episcopus verò seu ejus Vicarius, aut Generalis vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum hujusmodi aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuámque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis & locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundùm morem cujusque Civitatis vel Provinciæ, intelligántque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in noviſſimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros. 69.

Postremò Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ Regularem disciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant redditus & eleëmosynæ cujusque Monasterii, inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis hac de re editis, Sanctissimi Domini Nostri auctoritate præcipiunt ac mandant omnibus & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis & quibuscumque aliis Superioribus Monaste- 70.

nasteriorum, Conventuum ac Domorum Regularium bona immobilia possidentium vel non possidentium, cujuscumque ordinis, Congregationis & Instituti existentium intrà fines Italiæ & Insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus aut tribus Regularibus sui Ordinis vel Congregationis probatioribus & rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus & proventus omnes, consuetas item eleëmosynas & obventiones tam communes Monasteriorum, Conventuum & Domorum ejusdem Provinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas seu permissas in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habitâ ratione, diligenter & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere.

Eáque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cujus interest, in proximo Capitulo seu Congregatione Generali vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipsomet Capitulo seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi redditibus, eleëmosynis & obventionibus universis, & oneribus, ùt suprà, detractis sedulò examinent, quot Religiosi homines connumeratis etiam laïcis aliisque necessariis servientibus in unoquoque Monasterio, Conventu & Domo regulari juxta regionis & proprii Instituti morem, victum & vestitum & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorum-

dem

dem bonorum, reddituum, eleëmosynarum & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujúsque Familiæ, Monasterii, Conventûs ac Domûs Regularis in singula quaque Provincia certus earum tantùm personarum numerus, Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleëmosynis & obventionibus, ùt superiùs, sufficienter ali possint.

Ne verò Superiores, qui id præstare debent, seriùs aut remissiùs, quàm par est, suo muneri satisfaciant; mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, post proximum Capitulum Generale vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere Capitulariter gesta in authenticam formam redacta, ad Sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

Numerúmque familiæ singulorúmque Conventuum, Monasteriorum & Domorum hujusmodi Regularium, Capituli seu Congregationis Generalis vel Provincialis sententiâ & auctoritate præfinitum, iidem Superiores tam Generales & Provinciales omnes, quàm locales perpetuò servare omnino teneantur, nec possint illũ quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti reddituum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia; Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, ùt suprà præscriptum, quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, vocísque activæ ac passivæ, & ad omnia suæ Religionis Officia & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incur-

incurrere, atque aliis etiam gravioribus à Sede Apostolica infligendis pœnis Sacra Congregatio subjacere voluit & declaravit.

Deinceps verò Monasterium, Conventus,
71. Domus, Congregatio vel Societas Religiosorum seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem Fratres aut Monachi seu Religiosi degere, & ex redditibus & consuetis eleëmosynis, detractis omnibus, ùt suprà, detrahendis, competenter sustentari valeant ad præscriptum Decreti felicis recordationis Gregorii XV. hac de re editi; Alioquin Monasteria, & loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ùt suprà, sustentari atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodæ Jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

72. Porrò, ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem seu desuetudinem abeant, Superiores locales cujusque Monasterii, Conventûs ac Domûs Regularis curare atque efficere teneantur, sub pœna privationis Officii, vocisque activæ & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, id est, feriâ secundâ post primam Dominicam Adventûs, & feriâ sextâ post Octavam Corporis Christi, præsentes ordinationes in publica Mensa perlegantur.

Omnibus tam Ecclesiasticis personis, cujuscumque sint Ordinis, conditionis & gradûs, quàm Laicis quocumque honore & potestate præditis, præsentia Decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdictâ.

Non

Non obstantibus, quoad suprascripta omnia & singula in præsentibus Decretis contenta, Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum atque Ordinum tam Mendicantium quàm non Mendicantium, Militiarum etiam sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessariò & in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum & aliorum quorumcumque tam Sæcularium quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis & consuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis, etiam Mari magno seu Bullâ aureâ aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proptio & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorúmque totis tenoribus, & formis specialis & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsenti-

sentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis suæ auctoritate specialiter & expressè derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

73. Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præsentes ordinationes in valvis Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ùt moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Utque earundem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die 21. Junii 1625.

74. Excitatis autem super præmissorum Decretorum intelligentia seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodiêrunt à memorata Congregatione simili auctoritate illi à præfato Urbano Pap. VIII. specialiter attributâ responsiones seu declarationes inferiùs apponendæ.

Super 1. Sacræ Congregationis Decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis,

*Quæritur*, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & si recurren-

currendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

2. Super 2. ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint, 75.

*Quæritur*, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

3. An cùm Ordinarius præscripserit eleëmosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab Offerente præscriptas celebrare? 76.

4. An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellæ, legati aut salarii, possint etiam manualem eleëmosynam, pro Missis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere? 77.

5. Posito, quòd Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Missæ, absque ulla præscriptione eleëmosynæ, 78.

*Quæritur*, an liberum sit hæredibus, eleëmosynam sibi bene visam præscribere, an verò eadem eleëmosyna præscribenda sit ab Ordinario?

6. Super 3. Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu Orationibus, plurium Missa- 79.

rum

rum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat,

*Quæritur*, an verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Privilegium.

80. 7. Super 4. ejuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui ſuſcepit Miſſam celebrandam cum certa eleëmoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleëmoſynæ ſibi retentâ, celebrandam committat,

*Quæritur*, an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleëmoſynarum portionem, pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, Inſervientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ & ſimilium.

81. 8. An hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id eſt, an Rector Beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium, ad rationem reddituum Beneficii.

82. 10. An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleëmoſyna, major ſolitâ, pro celebratione Miſſæ, debeant dare eandem integram eleëmoſynam iis, quibus Miſſas celebrandas committunt, An verò ſatis ſit, ut dent celebrantibus eleëmoſynam conſuetam.

83. 11. Super 5. ejuſdem Congregationis Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba (eleëmoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis) ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; Alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleëmoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.

*Quæ-*

*Quæritur*, an hoc Decretum prohibeat absolutè, quò minùs accipiant novas eleëmosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

12. Quid, si offerens eleëmosynas, audito impedimento consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cùm poterit?

13. An pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleëmosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ùt ibidem præcipitur? 84.

14. An in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis, in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (*Casse de Morti*)

15. An Administratores Ecclesiæ, die magnæ devotionis & concursûs, possint eleëmosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis, non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ & devotio ac concursus Fidelium, ùt ajunt, minuantur? 85.

16. Quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus & singulis Ecclesiarum & piorum locorum, tam Sæcularium quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (*& aliis, ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione. 86.

17. Super 7. ejusdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in singulis Mona- 87.

sterіis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus aut eleëmosynis commodè possit sustentari,

*Quæritur*, an ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis Decreti Sanctæ memoriæ Pauli V. absque tamen computatione reddituum cujusque Religiosi, sit denuò facienda nec ne?

18. An Novitii, ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus habitâ, ùt suprà, præfixione numeri, commodè ali non possunt?

88. 19. Super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere & competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint jurisdictioni Ordinarii,

*Quæritur*, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ùt sunt Religiones Capucinorum ac Societatis JESU?

Ultimò, an idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi, &c. habeat locum in Italia dumtaxat; ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

*Declarationes seu Responsiones ad supradicta Dubia.*

89. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi à Sanctissimo Domino Nostro attributâ, ad singula Dubia superiùs proposita, ad hunc modum respondit, videlicet:

Ad

Ad 1. Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ùt suprà impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magìs in Domino è re esse judicaverit: Verumtamen, si in ipsa Beneficii erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundationis, quàm Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam & observandam.

Ad 2. Esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleëmosynam tribuit, non autem ab Ordinario: Quòd si tribuens eleëmosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem Civitatis vel Provinciæ. 90.

Ad 3. Teneri. 91.

Ad 4. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii seu Capellæ, legati aut salarii, si eleëmosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eâdem Missâ utrique obligationi satisfacere. 92.

Ad 5. Censuit, ubi nullam certam eleëmosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleëmosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundùm morem Civitatis vel Provinciæ. 93.

Ad 6. Ita esse intelligenda. 94.

Ad 7. Respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ ac loca pia, seu illorum Administratores, ex eleëmosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in 95.

Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ & loca pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis, ùt suprà deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab Offerentibus eleëmosynas.

96. Ad 8. Non habere locum: sed satìs esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleëmosynam congruam, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

97. Ad 10. Decere absolutè integram eleëmosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

98. Ad 11. Respondit, non prohibere absolutè; Ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad 12. Quamvìs onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleëmosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quò minùs eo casu eleëmosyna accipiatur pro eadem Missis juxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad

Ad 13. Has pœnas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis vel Provincialis. 99.

Ad 14. Comprehendi.

Ad 15. Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleëmosynas tribuunt, ùt suprà in responsione ad duodecimum. 100.

Ad 16. Comprehendi etiam privatos Sacerdotes. 101.

Ad 17. Numeri præfixionem esse iterum faciendam, servatâ formâ ultimi Decreti hac de re editi. 102.

Ad 18. Esse admittendos ad Professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commodè ali possint.

Ad 19. Censuit comprehendere. 103.

Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Cùm autem super præmissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quàm plures querelæ & recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint; cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hujusmodi detestabiles abusus è Christiana Republica pro viribus evellere ac opportunè providere, ut sublatis fraudibus ac emendatâ negligentiâ piæ Disponentium seu Benefactorum voluntati fides illibata servetur, Defunctorum animabus integra & prompta præstentur suffragia, itidémque Deo major gloria, Ecclesiis præstantior cultus reddatur, prævià auctoritate per SS. D. N. Innocentium Divinâ Providentiâ PP. XII. ei specialiter attributâ infrascripta Decreta, priùs in particulari nonnullo- 104.

rum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem ſuam deputata, & poſtea in Generali hujuſmodi Cardinalium Congregatione maturè & accuratè diſcuſſa, recognita & examinata edidit.

In primis, præinſerta Decreta cum præmiſſis illorũ declarationibus pleniſſimè & ampliſſimè approbat, confirmat & innovat, omniáque & ſingula ibidem contenta & expreſſa iterum omni meliori modo decernit, ſtatuit ac ab omnibus & ſingulis etiam ſpeciali & individuali notâ ſeu expreſſione dignis penitus obſervari & omnimodæ executioni demandari decernit, ſancit & præcipit.

105. Inſuper, ut in re tanti momenti conſultiùs ac majori, ùt par eſt, circumſpectione procedatur; Si qui forſan fuerint vel ſint, qui ſuis pravis & erroneis intentionibus ſeu opinionibus blandiri volentes, Miſſarum celebrationem omittunt ſub malitioſa vel irrationabili ſpe earumdem condonationem vel reductionem à Sede Apoſtolica, vel compoſitionem à Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi, Congregatio præfata tum eoſdem, tum quoſcumque alios, qui poſthac in adeo deteſtabiles abuſus auſi fuerint offendere, certiores fieri & monitos eſſe voluit, præfatas condonationes & reductiones ab eadem Sede, non niſi ex rationabili cauſa ſeu æqua commiſeratione, compoſitiones verò à dicta Fabrica utente ſuis facultatibus & privilegiis, non niſi ex cauſa pariter rationabili & cum clauſulis opportunis, & præſertim cum illa: *dummodo malitioſè non omiſerint animo habendi compoſitionem, alias gratia nullo modo ſuffragetur*, admitti conſueviſſe & ſolere, quapropter, ut locus omnis impo-

imposterum hisce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones seu spes, ac eleëmosynarum, sive in toto, sive in parte versiones in alium, quàm præfatarum Missarum usum, seu satisfactionem & quascumque alias directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, injustas & illicitas, illásque omnino reprobat, damnat & interdicit.

Cúmque hujusmodi absurda ex eo plerum- 106.
que proveniant, quòd onera Missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes & singuli Rectores, Superiores & Ministri quarumcumque tum Sæcularium tum Regularium Ecclesiarum, seu illarum Capitula, ne onera seu Missas tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant, útque id ipsum quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, sempérque in loco magis patenti & obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum & temporalium litteris perspicuis & intelligibilibus descriptorum, quorum implemento, si moraliter & intra præscriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat & non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales per se vel per interpositas personas quoquomodo recipere seu acceptare omnino desistant seu abstineant, & ulteriùs tali casu in eadem Tabella similiter exprimant sese propterea aliis Missis acceptandis & celebrandis impares esse.

Iidémque teneantur pariter in Sacrario duos

libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua & temporalia; in altero autem Missas manuales, & tam illorum quàm istarum adimplementum & eleëmosynas distinctè & diligenter annotare, & annotandas seu annotanda curare, singulísque annis de supradictis adimplementis, eleëmosynis & oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes & singulas rationes hujusmodi in præfatis respectivè libris simili distinctione & diligentiâ, tam præfati, à quibus rationes debent reddi, quàm Superiores, quibus reddendæ erunt, describere seu annotare, sive describendas vel annotandas respectivè curare.

107. Quibus semper salvis, debeant ulteriùs Regulares prædicti, omnes & quascumque eleëmosynas tum manualium, tum perpetuarum & temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera verò penes alium à Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleëmosynis & celebratione Missarum coram Patribus discretis, seu Consiliariis vel alio simili modo nuncupatis singulis mensibus districtam rationem exigere & respectivè reddere.

Quòd si prædicti, ad quos cura Tabellæ, capsæ & librorum præfatorum respectivè pertinet seu pertinere debet, suam operam præmissis, ùt præfertur, minimè navaverint, & Superiores tum Sæcularium tum Regularium Ecclesiarum rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quòd præfati, qui in curam Tabellarum & librorum incumbunt, suo muneri, ùt præfertur, satisfaciant; in singulis

gulis respectivè casibus Sæculares pœnam suspensionis incurrant, Regulares verò voce activâ & passivâ, ac gradibns & officiis, quæ obtinent, ipso facto & absque alia declaratione privati sint & intelligantur, necnon ad hujusmodi gradus & officia obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint & intelligantur.

108. Porrò, ne ullo unquam tempore omnia & singula Decreta prædicta in oblivionem seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesiarum Sæcularium illa retineant publicè exposita in eorum Sacrario; Superiores verò locales cujuscumque Monasterii, Conventûs ac Domûs Regularis curare & efficere teneantur sub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vocísque activæ & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est, feriâ secundâ post primam Dominicam Adventûs, & sextâ feriâ post Octavam Corporis Christi omnes & singulæ præmissæ tum insertæ seu confirmatæ, tum in præsens factæ Ordinationes unà cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

109. Meminerint igitur & satagant Ordinarii, ut à personis & in Ecclesiis quoquomodo etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ eâ, quâ par est, fide & diligentiâ celebrentur, & cuncta & singula Decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum justitiam recurrentibus seu instantibus reddentes, sed ex officio tum in Visitationibus tum in aliis actibus & modis, quos expedire & convenire toties, quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur; differatur vel omittatur,

quod his omnibus & singulis Decretis adversetur.

110. Caveant etiam respectivè omnes Regulares tum Subditi tum Superiores quicumque, nedum locales, sed etiam Provinciales & Generales, ne Missarum celebratio & omnium Decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Missæ sunt applicandæ, & cum magno Christi fidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur seu pervertantur, alioquin ultra propriæ conscientiæ onerationem, pœnam privationis vocis activæ & passivæ, ac graduum & officiorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad hujusmodi gradus & officia obtinenda prorsus incurrant.

Curent propterea præfati Superiores Regulares in omnes & singulos contravenientes debitis pœnis diligenter & promptè etiam per Inquisitionem animadvertere, & insuper teneantur omnes & singuli Superiores locales in Provincialibus Capitulis seu Congregationibus exhibere attestationem seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventûs, Monasterii, seu cujuscumque Domûs Regularis subscriptam & juratam, quòd omnibus & singulis tum perpetuis tum manualibus Missarum oneribus seu obligationibus ad limites & tenorem præsentium Decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino & integraliter satisfactum, vel deficiente aliquâ modicâ satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento Missarum distinctè referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, eâ adjectâ & omnino adim-

adimplendâ conditione, quòd ante præfatæ attestationis exhibitionem quicumque Superiores locales prædicti vocem activam seu passivam in memoratis Capitulis seu Congregationibus omnino habere non valeant.

Præterea Provinciales, Vicarii & Visitatores Provinciarum seu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quòd executioni præsentium Decretorum sedulò invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus & singulis Conventibus seu Monasteriis vel Domibus Regularibus Provinciæ seu Congregationis de omnibus & singulis oneribus & obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum exactam & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem & executionem respectivè pœnarum in Decretis contentarum processerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmissis ad ipsos spectant, legitimè docuerint, aliàs ad vocem activam & passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittuntur.

Cæterum, quia etiam ad quamplures Archi- III.
Confraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Capellas, Oratoria & Ecclesias, ac alia loca & opera pia quomodolibet nuncupata, quæ cuicumque curæ seu regimini aut administrationi vel directioni Laicorum cujuslibet gradûs, statûs, conditionis & præeminentiæ, etiam speciali & individuali notâ dignorum dumtaxat, vel quorumcunque Ecclesiasticorum & Laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumque commissa vel attributa sunt,

onus

onus seu cura celebrationis Missarum, sive manualium sive ad tempus vel in perpetuum pertinet, hinc salvis semper iis, quæ in præinsertis Decretis continentur, omnes & quicumque hujusmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hospitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum & Ecclesiarum ac aliorum locorum & operum piorum Rectores seu Administratores vel Directores, & alii hujusmodi Officiales, nec non ii, ad quos cura Tabellæ & librorum in præmissis spectat, Tabellam, libros & hæc Decreta respectivè juxta modos superiùs expressos, similiter retinere, nec non de oneribus ac celebrationibus & eleëmosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere, & respectivè iis, ad quos pertinet reddere sub pœnis arbitrio, & in subsidium excommunicationis, teneantur.

112. Postremò omnibus & quibuscumque tam Ecclesiasticis personis cujuscumque Ordinis, Statûs, gradûs, Regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis & dignitatis existant, quàm Laicis quocumque honore ac potestate prædictis, omnia & singula præmissa Decreta interpretandi, nec non Ecclesiasticis prædictis pœnas in hujusmodi Decretis relaxandi sub quoquo modo circa præmissa dispensandi, omnis & quæcumque facultas sit penitus interdicta.

113. Non obstantibus, quoad suprascripta omnia & singula in hujusmodi Decretis contenta, Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque Ordinum tam Mendicantium quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum

tum ac cujuslibet alterius Instituti etiam necessariò & in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum & aliorum quorumcumque tam Sæcularium quàm Regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis, etiam mari magno seu Bullâ aureâ, aut aliàs nuncupatis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus & formis specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, Sac. Congregatio sanctitatis suæ auctoritate specialiter & expressè derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die 23. Novembris 1697.

JOSEPH *Card. Sacripantes præfectus.*

Quo-

114. Quocirca, cùm dilectus filius noster Joseph Tituli Sanctæ Mariæ Transpontinæ S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus, præfata Decreta nobis retulerit, nos considerantes eadem omnia & singula Decreta, eâ quâ decet maturitate digesta, & examinata, ac in vim Apostolicæ auctoritatis, eidem Congregationi specialiter, ùt præfertur, attributæ peracta, perutilia fore censentes, illáque propterea perpetuò & inviolabiliter observari, necnon Constitutionis nostræ munimine roborare volentes, motu proprio, non ad cujusquam nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia & matura deliberatione, déque Apostolicæ potestatis plenitudine præinserta Decreta, omniáque & singula in eis contenta tenore præsentium auctoritate Apostolicâ confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur & efficaciam adjicimus, quinimo motu, scientiâ, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, omnia, & singula in supradictis Decretis contenta, de novo statuimus, decernimus & ordinamus, ac ab omnibus & quibuscumque, etiam speciali & individuâ notâ dignis omnino exactè & perpetuò servari volumus, sancimus & mandamus.

Decernentes præsentes litteras, cum omnibus & singulis inibi contentis semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suósque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque & quomodocumque spectabit, in omnibus & per omnia pleniſſimè

&

& inviolabiliter observari, sícque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos, quâvis auctoritate, præeminentiâ aut potestate fungentes & functuros, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quâvis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus & singulis, quæ præfata Congregatio, auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII. respectivè per Nos illis specialiter attributâ, decrevit non obstare, decernimus & mandamus, quibus omnibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, etiam harum serie pleniſſimè, specialiter & expressè derogamus, cæteríſque contrariis quibuscumque, &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno 1697. die 23. Decembris.

Hactenus Constitutio *Inn. XII.* renovans decreta *Urbani VIII.* & S. Congregationis; quæ per sequentes quæstiones adhuc magìs declarabuntur. 115.

*Q. 9. Quid præterea sit addendum circa reductionem Missarum.* &. seqq. §. 1. Magistratus laici vel quicunque alii sæculares nihil possunt circa reductionem Missarum, etiamsi essent Capellaniæ vel fundationes merè laicales, *Castrop.* tr. 22. p. 15. n. 6. *Pasq.* q. 1170. contra *Fagund.* Facultas autem, quam *Trid.* sess. 25. c. 4. De Reform. dederat Episcopis & Generalibus Ordi- 116.

num

num pro reductione Missarum, erat tantùm pro oneribus usque ad illud tempus, non autem pro futuro, utì declaravit S. Congregatio apud *Barb.* De off. Episc. Alleg. 29. n. 5. & *Pasq.* q. 1164. Neque concernebat Missas ex Beneficio vel fundatione debitas, sed tantùm ex relictis defunctorum vel piis eleëmosynis, *Barb.* à n. 11. *Diana* p. 2. tr. 2. R. 1. *Sylv.* p. 2. v. *Missa* casu 5. Et ex vi saltem juris communis possent adhuc Episcopi & Generales moderari onera suscepta ante *Trid.* & non imposita in limine fundationis. *Pasq.* q. 1162. 1163. 1175., ubi explicat, quænam in tali reductione observari debeant.

117. §. 2. Si in Beneficii erectione statuatur, ut pro necessitate liceat Episcopo onera Missarum moderari, poterit hoc facere Episcopus, utì dixi L. 4. n. 808. Docéntque etiam *Pasq.* q. 1167. & *Aversa* q. 11. s. 8. §. *Tertiò*. Imò *Less.* in auct. v. *Missa* cas. 26. dicit, si non percipiantur fructus congruentes, Episcopos posse facere moderationem, docéntque *Tamb.* & *Gob.* n. 589. adhuc in Diœcesibus apud se moris esse, ut Episcopi id faciant, & testantur plures cum *Castrop.* n. 4. decretum à n. 63. relatum non observari saltem pro fundationibus Sacerdotum sæcularium, pro qua sententia alios præterea retuli L. 4. n. 854. ubi quamvìs dixerim, standum esse decreto id prohibente, tamen hìc addo spectandam esse consuetudinem cujusque Diœcesis. Ipsimet autem beneficiati non possunt tales reductiones facere, utì omnes notant cum *Castrop.* tr. 13. d. 1. pu. 6. n. 26. & *Gob.* à n. 592.

118. §. 3. Si reditus vel omnes vel ex parte uno anno emaneant, *Bordon*, quem refert & non rejicit *Aversa* suprà, dicit Sacerdotem ipsum posse cum

cum proportione imminuere numerum Missarum, sed videnda sunt dicta L. 4. n. 855.

§. 4. Si legatum factum pro Missis videatur incongruum, potest Episcopus moderari, antequam ullus acceptârit : è contrà si primus aliquis eo modo acceptârit, est jam extra potestatem Episcopi, *Tamb. Pasq.* q. 1168. Addit q. 1189., si legatum incongruum & necdum admissum ab aliquo sit factum ad Missas perpetuas, non posse per Episcopum converti in Missas manuales pro una vice celebrandas, sed debere onus perpetuum Missarum reducere ad æquitatem. 119.

§. 5. Episcopus moderari non potest mutando Missam solennem in non solennem, *Pasq.* q. 1169. Excipit tamen q. 1188. n. 5. si necessitas sit, posse id Episcopum, dummodo Missæ totidem legantur, quia *Trid.* sess. 22. c. 2. De Ref. concedit facultatem ex necessaria causa immutandi ultimas voluntates, possuntque videri dicta L. 4. n. 844. & à n. 846. Addit *Pasq.* cum aliis multis q. 1169. & q. 1186. quamvis *Trid.* sess. 25. c. 5. De Ref. prohibeat mutari qualitates fundationum, uti pluribus explicavi L. 4. à n. 838. has tamen qualitates quoad substantiam relictas posse reduci ad æquitatem, v. g. concedendo, ut alio loco, die, horâ legatur, si moraliter impossibile foret, vel nimis molestum ista in rigore observare, sed rectè excipit, nisi celebratio Missæ esset certo loco, die, horâ præscripta propter commoditatem populi audituri Missam; hæc enim principalis intentio testatoris immutari non posset, possuntque etiam videri dicta L. 4. n. 824. 120.

§. 6. Episcopum moderari posse Officia, 121.

preces & eleëmosynas annexas anniversariis docet *Pasq.* q. 1170. contra *Tamb.* quia de illis non loquitur prohibitio, utì nec de istis Missis, ad quas sine stipendio congruo se homo privatus obligâsset; id enim esset in præjudicium Ecclesiæ & successornm, *Pasq.* q. 1174. An autem Fratres Minores vi cujusdam privilegii possint etiam nunc reducere Missam, examinat idem *Pasq.* q. 1182.

122. *Q. 10. An possit præscribi circa onera Missarum.* R. Dixi de hoc l. 4. à n. 852. Hoc adde, quòd Beneficiati, Capellani &c. non videantur posse præscribere, quò minùs applicent fructum Sacrificii Fundatoribus aliisque, ad quorum intentionem legere tenentur ex stipendio singulis Missis respondente, nam obligantur hunc semper in singulis Missis ob tale stipendium applicare, ergo non apparet, quomodo præscribere possent, cùm singula stipendia, si debeant fieri ipsorum, postulent applicari singulas Missas, ita *Pasq.* q. 1194. & satìs insinuatum est l. 4. n. 833.

123. *Q. 11. A quo & quomodo taxandum sit stipendium pro Missa.* R. §. 1. Non est illicitum paciscì de stipendio pro Missa, & quando hoc videtur prohiberi, intelligi debet de pactione, per quam vendatur Missa pro pretio, *Gob.* n. 560. Possúntque etiam divites Sacerdotes, qui aliunde ex proventibus Ecclesiasticis sustentationem habent, exigere stipendium pro hoc ministerio Missæ, neque hoc prohibi um fuit, nisi quando vergebat in præjudicium pauperum, utì habet communissima cum *Pasq.* q. 905. *Aversa* q. 11. s. 17. §. *secundò. Gob.* n. 569. contra S. *Anton. Rich. Silv. Caj. Arm. Tol.*

§. 2.

§. 2. Quamvis *Trid.* sess. 22. in Decreto de observ. in celebr. mandet, ut Episcopus contra avaritiam Sacerdotum ordinet circa mercedem, conditiones & pacta pro Missis, Episcopus tamen non potest idem stipendium taxare pro omnibus, nam si Missa sit cantanda aut legenda tempore vel loco incommodo aut longè distante &c. potest exigi majus stipendium, *Bonac. Lugo* Resp. mor. L. 5. dub. 18. *Averja* §. *septimò. Sporer* n. 359. Potéstque pro Missa solenni exigi duplum vel triplum, quia longior est & difficilior ac habet plures Ministros, maximè cùm secundùm dicta n.49. probabile sit habere majorem efficaciam ex opere operato, *Pasq.* q. 912. 124.

§. 3. Episcopus spectatis circumstantiis potest taxare rationabile stipendium, ità ut excelsus sit injustus & restitui debeat, quamvis enim stipendium non sit propriè pretium Missæ, quæ in se est invendibilis, tamen imitatur rerum pretia, ideoque debetur ex justitia ad sustentationem Sacerdotis, & quando negatur Sacerdoti, qui celebravit, huic contra negantem conceditur actio in foro externo, *Pasq.* q. 904. ergo sicuti id, quod supra legitimum pretium accipitur pro merce, debet restitui, ità hìc, *Pelliz. Lug.* suprà & De Euch disp. 21. s. 1. 125.

§. 4. *Caj. Henriq.* & alii putant, solum illud stipendium esse justum, quantùm requiritur ad sustentationem unius diei, additque *Petr. Nav.* nec lege, nec consuetudine posse minùs induci; sed meritò sententiam illam rejiciunt *Suar. Vasq. Dicast. Gob.* n. 563. quia per alia potest acquiri victus quàm præcisè per laborem mediæ horulæ; itaque hoc stipendium censeri debet 126.

bet justum, quod lege vel consuetudine est taxatum.

127. §. 5. Si illi, qui Missas petunt, sponte velint dare majus stipendium, frustra prohibebit Episcopus, ne sic detur, aut à Sacerdotibus acceptetur, dicent enim se non dare vel acceptare velut stipendium pinguius, sed merè ùt aliquid gratis donatum, *Pelliz. Lugo, Pasq.* q. 929. Et similiter possunt Sacerdotes liberè acceptare stipendium minus taxato. Id unicum potest prohibere Episcopus, ne ex pacto plùs exigant Sacerdotes, vel solvant alii, hoc enim unum est contra reverentiam Missæ & habet speciem avaritiæ, *Lugo* suprà.

128. §. 6. Sacerdos non ideo potest plùs exigere pro Missa, quòd nunc omnia ad sustentationem necessaria sint cariora, nam etiam pecunia est hoc ipso carior & rarior secundùm *Sporer* n. 359. Et saltem praxis ac Episcopi id non permittunt.

129. *Q. 12. Quid præterea notandum sit circa Missas pro stipendio.* R. seqq. §. 1. Quamvis n. 50. dixerim probabile esse, quòd Sacerdos possit sibi retinere vel alteri applicare saltem partem fructûs specialissimi, tamen celebrans pro stipendio debet habere talem intentionem, ut velit stipendium danti, hoc applicari, quod ei de jure debetur: Certum autem est, non posse ideo accipere duplicatum stipendium, nam *Alex. VIII.* damnavit hanc 8. prop. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem, idque poss. Decretum Urb. VIII.*

130. §. 2. Quæ n. 66. & 97. dicta sunt de retinente

partem

partem stipendii & curante per alium legi Missam, confirmat idem *Alex. VII.* damnans hanc 9. prop. *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.*

§. 3. Non tantùm beneficiatus potest per alium legere Missas, dato solùm ordinario stipendio, uti habet declaratio, & notavi L. 4. n. 820. sed hoc potest etiam Capellanus amovibilis. Item ille, cui commissa est celebratio Missarum perpetuarum, *Pasq.* q. 970. & 973. *Gob.* n. 572. ubi notat Ecclesiam vel locum, cui relinquitur Missa perpetua, si proprios Sacerdotes non habeat, teneri erigere Sacellanum, qui celebret, tribuendo ipsi totum proventum istius fundationis, eo enim ipso, quòd Sacerdotes non habeat, censetur eligi, ùt executor vel procurator. 131.

§. 4. Cui datur stipendium pinguius, quia putatur devotiùs celebrare, secundùm *Pasq.* q. 976. non potest Missam alteri committere, etiamsi huic det totum stipendium, nisi impedimentum vel justa causa excuset, quia devotio ipsius quasi in contractum ducta est: si tamen committeret æquè devoto, non videtur peccaturus; aut si etiam alteri non æquè devoto, non esset obligatio restituendi; nec facilè erit mortale, quia hic excessus devotionis non est tanti. 132.

§. 5. Si quis pro Missis dederit stipendia majora, non præcisè intuitu Missarum, sed ex affectu speciali ad hunc Sacerdotem vel ad hoc Monasterium specialiter juvandum in sua paupertate, putant *Pasq.* q. 976. & *Mendo* diss. 13. 133.

n. 80. Missas posse committi aliis Sacerdotibus pro ordinario stipendio, excessu retento, cùm hìc non sit species turpis lucri: sed *Steph.* meritò hoc tantùm admittit, si constituens hunc suum specialem affectum verbis expresserit.

134. §. 6. Si Cajo incumbat hodie legere Missam, pro qua accipit tres solidos, & petat à Titio, ut pro se legat, spondens se cras lecturum pro Titio, qui pro sua crastina Missa tantùm duos solidos accipit, hoc videtur licere, quia in hoc fit tantùm permutatio Missarum & dierum.

135. §. 7. Qui contra prohibitionem, partem stipendii retinet, & facit Missas legi per alium, peccat graviter vel leviter pro quantitate partium stipendii, quas retinet, éstque probabilius teneri ad restitutionem faciendam illis, qui Missas legunt, aut saltem qui constituit, utì notat *Pasq.* q. 969. quia pecuniam acceperat, non ut constitueret Missas pretio, quo posset, sed tantùm ut acquireret eam titulo celebrationis, ergo quod retinet, quando non celebrat, retinet sine titulo, ergo injustè; alter autem qui celebrat, hoc ipso habet jus ad stipendium, *Du Bois* ad prop. damnatas n. 232.

136. §. 8. Putant *Lugo* & *Aversa* q. 11. s. 17. §. *sextò*; si alter, cui Missa committitur, sit contentus, etiamsi retineatur pars stipendii, nihil peccari, quia sicuti potuit obligationem legendi admittere gratìs, ita potest pro minore stipendio: sed rectè monent *Diana*, *Steph.* t. 5. d. 5. n. 71. *Pasq.* q. 975. in praxi hoc periculosum esse, nam communiter fiet, ut alteram partem remittat, quia timet, ne in futurum non committantur sibi Missæ, vel videatur ingratus, adeoque potiùs coactè cedit juri suo.

§. 9.

§. 9. Quod dictum est n. 69., non posse per unam Missam satisfieri pluribus obligationibus, declarat idem *Alex.* VII. damnans hanc 10. prop. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere & Sacrificium unum offerre: Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmatâ danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.* Posset tamen Papa facere, ut additis in una Missa pluribus Collectis satisfieret pro pluribus Missis, supplendo de thesauro Ecclesiæ fructum, qui per Missas obtineretur, & totus per Collectas non ponitur, *Pasq.* q. 1151. *Aversa* §. *Rursus.* Probabilius tamen est, quòd in Missa pro stipendio licitè addatur Collecta pro aliquo alio, sicuti in *Memento* licitè oro pro alio, hoc enim nihil præjudicat stipendianti, ita plures, cum *Gob.* n. 154. contra *Bonac.* & alios. 137.

§. 10. Ordinariè non excusat paupertas Sacerdotis, ut accipere possit plura stipendia pro una Missa, *Gob.* n. 568. & doctè *Sylvius* p. 1. v. *Missa* casu 2. Nequidem si paupertas sit gravis, *Henao* à n. 1466. contra *Th. Hurt.* & *Steph.* n. 66. Addit tamen *Henao* à n. 1484. constitutum in extrema necessitate id posse; probatque *Steph.* ex eo, quia probabile est Sacrificium oblatum pro multis æquè prodesse singulis, ac si offerretur pro unico, sed ratio ista nihil evincit, quia secundùm dicta n. 47. hoc valde incertum est, & si verum non sit, probabilitas non faciet, ut Missa ita prosit singulis, ergo Sacerdos exponit se periculo formali defraudandi proximum. Itaque ideo tum licebit, pro una Missa accipere plura stipendia, quia extrema necessitas facit omnia communia, & magis convenit, ut accipiat 138.

piat necessaria ab illis, pro quibus Missam offert, quàm ab aliis, in quorum utilitatem nihil facit.

139. §. 11. Quamvìs multi & graves AA. apud *Pasq.* q. 942. antehac docuerint, si quis acceptârit stipendia incongrua, minora taxato, non ideo teneri legere tot Missas, sed posse reducere ad numerum taxæ ordinariæ, tamen oppositum nunc tenendum est, secundùm dicta n. 76. & 91. Imò in dubio, an acceptando decem incongrua stipendia intenderit se obligare ad decem Missas, tenetur ad decem, etiamsi sit pauper, quia per acceptationem jus est aliis acquisitum, & ipse sibi imputet, quòd acceptârit, *Pasq.* q. 943. *Aversa* §. *Quòd si*, qui addit, quando offeruntur incongrua stipendia, posse admonere dantem de incongruitate, & sic ex ejus consensu posse Missas reducere ad taxam ordinariam. Quòd si quis pecuniam acceptârit pro Missis absque præscripto harum numero, satisfacit numerando eas juxta taxam ordinariam stipendii, quamvìs in illa regione à quibusdam acceptetur pro Missa stipendium minus taxato, *Pasq.* q. 944. Similiter si putavit in pecunia data esse decem stipendia, & postea invenit tantùm esse octo, tenetur tantùm ad octo Missas, quia non consensit in plures, quàm essent stipendia, *Pasq.* q. 945. Putat tamen *Aversa* §. *Et similiter*, admonendum eum, si fieri potest, qui stipendia dedit. Si verò inscius admiserit monetam adulterinam, vel eo tempore statim ubique decedentem de valore, potest reducere ad numerum justi stipendii.

140. §. 12. Sacerdos non potest accipere duplex stipendium ex eo, quòd uni applicet Missam, alteri

alterì Indulgentias, v. g. altaris privilegiati, qui enim pro tali Missa vel indulgentia dat stipendium, petit sibi applicari utrumque, sicque fieri judicant omnes communiter, ergo ad hoc tenetur ex fidelitate saltem, *Lezana, Steph.*n.65. Hinc etiam quando acceptâsti stipendium ordinarium pro Missa, ubi voles, celebranda,non potes petere majus, quia celebrabis in altari privilegiato, applicaturus MissamDefuncto,utì contra *Bordon.* probabiliùs tenent *Tamb.*& *Gob.* n. 511.Si tamen stipendium acceperis pro Missa, ubi & quando voles, celebranda, & roget te aliquis, ut te obliges ad celebrandum certo loco vel tempore, putant *Caram.* & *Gob.* n. 556. te posse pro hac obligatione aliquid accipere, & quidem, si consuetudo non taxârit aliquid certum, quintam partem ordinarii stipendii, quia obligatio & onus illud videtur pretio æstimabile, possuntque videri dicta n. 124.

§. 13. Quamvis certum esset ab aliquo non peti nisi unum fructum, v.g.satisfactorium pro Defunctis,& non impetratorium, tamen adhuc rectè dicit *Pasq.* q. 949. illicitum esse acceptare secundum stipendium, nisi fortè liberaliter offeratur, quia qui dat ordinarium stipendium, illi debetur uterque fructus, qui saltem ejus amicis vel ipsimet aliter proderit, *Gob.* n. 155. Si tamen convenerit de fructu specialissimo aut alia parte fructûs non petiti applicanda tertio, ut ei prosit, quantùm potest, posse aliquid ideo sumi, notat *Gob.* n. 512., dummodo admoneat dantem de incertitudine, an ei prosit talis applicatio. Non potest tamen aliquid petì pro fructu ex opere operantis, utì contra *Con.* notant *Aversa* s. 18. §. *imò* & *Gob.* n. 510. Nec 141.

pro lectione plurium collectarum, nec pro majori devotione; quod ultimum, etsi asserant *Palud. Silv. Comit.*, tamen communiter rejiciuntur, *Pasq.* q. 957.

142. §. 14. Potest quis in Natali Domini pro tribus Missis acceptare tria stipendia, *Pasq.* q. 906. *Aversa* s. 18. An autem obligatus quotidie celebrare, possit aliquando abstinere, aut quando abstinere potest, si celebret, pro ea Missa acceptare stipendium, dictum est l. 4. à n. 840.

143. §. 15. Si alicubi sit penuria Sacerdotum, aut difficiliùs haberi possit, qui legat, v. g. die festivo, putant aliqui plùs peti posse pro stipendio, sed meritò contradicit *Gob.* n. 509., est enim species simoniæ & quasi venditio *Missæ*; sicuti si majus pretium petatur pro merce, quia plures sunt, qui petunt, & pauciores qui vendunt.

144. §. 16. Sacerdotes in diebus illis, quibus tenentur celebrare ratione Beneficii, Capellaniæ vel legati, non possunt acceptare aliud stipendium pro Missa talis diei, utì dictum est n. 92. limitat *Barb.* De off. Parochi c. 11. n. 13., nisi in fundatione expressè ponatur, aut aliunde sciatur, quòd non teneatur Sacrificium applicare Fundatoribus. Quid autem præsumendum sit, si in fundatione *Missarum* expressè non præscribatur quoties vel ab quam intentionem sit celebrandum, dixi l. 4. à n. 831. Item an Parochus possit accipere stipendium pro Missa, quando tenetur celebrare, dixi l. 3. p. 1. n. 762. potestque videri etiam *Aversa* §. *Alii*, ubi probabiliter docet non semper, quando tenetur celebrare, teneri applicare parochianis.

145. §. 17. Sacerdos, qui celebrat in quodam loco,

loco, v. g. in templo Monialium, si ideo stipendium habeat ab ecclesia vel Monialibus, non potest recipere aliud stipendium pro applicatione talis *Missæ*, uti à pari colligitur ex dictis n. 92. Si tamen alio titulo obligetur ad celebrandum, v. g. pro ornatu templi vel ut homines *Missam* audiant, *Suar. Vasq. Lugo* aliique multi cum *Pasq.* q. 908. & *Aversa* s. 17. §. *Admittendum*., dicunt pro applicatione talis Missæ posse accipere stipendium, quia hoc nullibi prohibetur, & applicatio mansit ipsi libera. Et idem intelligunt eidem AA. cum *Aversa* §. *Juxta* de legente Missam solennem aut conventualem, si simul non obligetur ad alium finem applicare. Docet tamen rectè *Pasq.* q. 955. pro Missa, quæ in Confessione imponitur pro pœnitentiâ, non posse accipi stipendium, nisi Confessarius expressè addiderit applicationem fore liberam.

§. 18. Sacerdotem Societatis JESU non posse acceptare pro se vel pro alio stipendium ratione Missarum, quas legit, dixi l. 4. à n. 136. Unde si offeratur pecunia pro Missis, potest per Superiores admitti, non cum rigida obligatione, sed ut, v. g. aliquæ Missæ spatio medii anni, vel etiam singulis annis una aut altera legatur ex gratitudine & quasi fidelitate, inquit *Castrop.* t. 16. d. 3. p. 11. n. 6., sicque declarâsse *Mutium* Generalem testatur *Burgh.* cent. 3. cas. 25. Item potest pecunia admitti liberaliter & vicissim liberaliter promitti Missæ, ita tamen ut posterior promissio non sit veluti compensatio seu solutio reciproca pro stipendiis, sed ut offerenti significetur admitti titulo eleemosynæ, uti dictum est l. 4. n. 136. Item potest Sacerdos 146.

Socie-

Societatis, cui pecunia offertur pro Missis legendis, dicere offerenti, Missas gratis legendas ad ipsius intentionem, & vicissim rogare ipsum, ut liberaliter applicare velit pecuniam oblatam ad hanc vel istam piam causam, sic enim ipsum, habiturum duplicatum fructum, imprimis ordinarium Missæ, non aliter ac si pro stipendio legeretur; deinde etiam cooperationis ad illam alteram piam causam.

147. §. 19. Quod dictum est n. 67., non posse absque licentia Superioris admitti nova onera Missarum; intelligitur de Missis in perpetuum. Notatque rectè *Aversa*, si alicui Ecclesiæ vel Monasterio offeratur certa pecunia cum onere celebrandi, v. g. ad 30. annos tot Missas, non esse æquum, si jam expendatur tota illa pecunia, & successoribus relinquatur solum onus celebrandi, sed saltem pars, quæ futuris oneribus respondeat, applicanda erit ad censum, aut asservanda successoribus.

148. §. 20. Docent multi, quòd colligens Missarum stipendia non possit sibi ratione laboris aliquid etiam modicum retinere, sed debere illi ab Ecclesia satisfieri: oppositum tamen tenent *Sot. Rodriq. Henriq. Vasq. Fill. Fagund. Tamb. Dicast. Pasq.* q. 977. Administratores autem Ecclesiarum nihil possunt ex stipendiis deputatis ad Missas retinere ratione expensarum pro ipsismet Missis, nisi aliunde non haberent: & tum non licet, nisi quantùm postulant expensæ, relicto adhuc Missarum fundatarum numero, uti dictum est n. 95.

149. §. 21. Si moriturus determinârit pro se legi, v. g. 100. Missas, sed nihil statuerit de quantitate stipendii, hæres tenetur ad justum stipendium,

dium, non indignum qualitate Defuncti, uti ait *Schild.* t. 7. c. 4. §. 2. Quòd si hæres Sacerdoti, quem putabat probum & fidelem, solverit stipendium pro Missis legendis, licèt postea dubitet, an eas legerit, videtur satisfeciſſe, quia Defunctus censendus est tantùm voluïsse obligare ad dandum stipendium & curandum prudenter, quantùm in se est, ut Missæ fierent, *Bardi*, *Schild.* suprà.

§. 22. Legatarius, si tantùm sit executor vel procurator, tradere debet, quidquid legatum est pro largiori stipendio Missarum; E contrà si esset verè legatarius, legans, qui voluit, v. g. singulis mensibus pro se unam Missam legi, & ad hoc destinavit stipendium superfluum, præsumitur erga legatarium exercuisse liberalitatem & & donationem, hinc secundùm *Pasq.* q. 971. satisfaciet, si minore stipendio Missas procuret. Videri potest *Pasq.* à q. 978. usque ad 1116., ubi plura habet de legatis Missarum. Occasione autem hìc dictorum resolvuntur seqq. casus. 150.

§. 23. Titius testator assignatis 100. florenis voluit fundari in perpetuum Missam anniversariam pro se in Monasterio aliquo: superior Monasterii re malè intellectâ indixit Religiosis tot Missas statim legendas, quot respondebant isti pecuniæ; *Quæritur*, an hæres teneatur solvere hæc stipendia, & nihil ominus fundare anniversarium. *Respondeo* 1. Si hæres non fecerit legi eas Missas, non tenetur pro eis lectis dare stipendium, sed sibi imputet ille Superior, quòd sine mandato processerit. 2. Si hæres fecerit legi, aut, licèt non fecerit legi, si pro lectis Missis dare velit stipendia, nihilominus 151.

nus tenetur instituere anniversarium, quia ita voluit testator. *Nec obstat*, quòd utilius esset testatori statim pro eo legi tantò plures Missas, *nam* hoc dato, non est in potestate hæredis, imò nec semper Episcopi, piam testatoris voluntatem convertere in aliquid etiam evidenter melius, sed fieri debet determinatè hoc, licèt minus bonum, quod testator fieri voluit, utì dixi l. 4. n. 841. & 847., maximè cùm potuerit hoc intendere, tum ad retinendam semper suî memoriam, tum ut secuturis temporibus Missa illa annuè legenda prodesset, si non ipsi, saltem aliis de familia mortuis aut morituris.

152. §. 24. Cajus ex legato 100. florenorum tenebatur curare singulis annis Missam pro testatore, & quia id per plures annos non potuit ob bellica tempora, *Quæritur*, an nunc, dum potest, teneatur facere suppleri anniversaria prætermissa. *Respondeo*, *Gobat* tr. 3. post n. 636. litt. b. & seqq. negat, 1. quia tale legatum habet se sicuti res locata, utì notant *Barb.* & alii, si autem res locata nullos afferat fructus, non debetur ulla pensio, ergo. 2. Talis obligatio curandi annuam Missam videtur esse affixa anno, ergo hoc elapso, illa desinit. 3. Talis videtur esse prudens interpretatio voluntatis in testatore, quòd tantùm intenderit obligare ad annua stipendia Missæ, quando ex tali legato provenirent.

153. §. 25. Quando quis à 10. hominibus accepit 10. stipendia, an teneatur sigillatim pro singulis applicare singulas Missas, an verò sufficiat in confuso: Item, an possit in 10. illis Missis applicare singulis decimam partem cujusvis Missæ, dicetur n. 209. & 210.

Q. 13. *An sit mortale unicam Missam omittere,* 154.
*quam quis promisit, vel pro qua accepit parvum sti-*
*pendium, v. g. quatuor blaffardos.* R. De Missa,
quam quis promisit, dixi l. 3. p. 2. n. 775. non esse
mortale, ubi addidi, si quis seorsim tribus Mis-
sam promiserit, non satisfacere legendo uni-
cam, sed teneri pro singulis unam legere. Quod
attinet ad Missam debitam pro stipendio, *Fa-*
*gund. Pelliz. Herinx, Gob.* n. 489. *Sporer* n. 353.
negant esse mortale unicam negligere, quia sti-
pendium illud non est materia requisita ad
mortale, ex illa autem videtur debere colligi
magnitudo peccati. E contrà affirmant com-
muniùs & probabiliùs alii, quia quamvis sti-
pendium non sit materia tanta, valor tamen
Missæ, quâ privatur alter, est maximus, neque
stipendium habet se ùt pretium æquale Missæ,
nam Missa est intrinsecè invendibilis & infiniti
valoris, sed Sacerdos, Ecclesiâ indulgente, pecu-
niam acceptans veluti stipendium pro susten-
tatione vitæ, absolutè se obligat ad opus hoc
maximè utile præstandum illi, qui stipendium
dedit. Ita' *Aversa* q. 11. s. 18. *Steph.* n. 72.

Q. 14. *Quisnam censeatur diu differre Missam,* 155.
*ad quam obligatur, ideoque peccare mortaliter.* R.
*Led. Villal. Dian. Lugo* De Euch. d. 21. n. 34. di-
cunt, eum non diu differre, qui non ultra 50.
aut 60. dies, qui autem ulteriùs, dicunt differre
diu: *Pasq.* q. 965. dicit vix plùs concedi à quo-
quam, quàm tres menses. Si autem ultra termi-
num concessum adderentur duo vel tres dies,
dicit adhuc moraliter pertinere ad hunc termi-
num: sed *Gob.* n. 597. *Steph.* n. 69. *Sporer* n. 354.
rectè dicunt attendendum esse ad circumstan-
tias, præsertim causæ, ob quam Missa petitur,
nam

nam pro Defuncto debet minùs differri, quàm pro vivo, cùm defuncto graviſſimum incommodum ſit, carere levamento in tantis pœnis. Item pro neceſſitate, quæ non patitur moram, v. g. pro præſenti periculo vel infirmitate adhuc minùs differri debet, utì patet, & ideo *Urbanus* in ſuo decreto mandat, non plures Miſſas ſuſcipi, quàm quæ *intra modicum tempus* poſſint legi.

156. *Q. 15. Quid faciet, qui obligatus eſt ad plurimas Miſſas, quas omnes legere non poteſt.* R. Imprimis peccavit tot onera acceptando, ſed ſuppoſito, quòd acceptârit, & ſtipendia illa conſumpſerit, ita ut nec per ſe poſſit ſatisfacere, quia alias Miſſas legere debet, nec per alium, quia pecuniam non habet, conari debet ſatisfacere, quantùm poteſt, v. g. gratis petendo *Miſſas* ab aliis, ſi ſperet obtinere, quotidianas *Miſſas* offerendo, ut proſint, quantùm poſſunt, illis, à quibus accepit ea ſtipendia, applicando his, quantùm licitum erit, partem ſpecialiſſimam ſibi competentem, item eiſdem applicando alia opera, v. g. jejunia, orationes, demum etiam audiendo *Miſſas*, eiſque applicando fructum.

157. *Q. 16. An Sacerdos poſſit pro libitu diſponere de illis pecuniis, quas accipit pro ſtipendiis Miſſarum.* R. Poſſe, quia ſunt veluti fructus propriæ induſtriæ & laboris. *Nec obſtat*, quòd fortè ad tales *Miſſas* ſtipendiatas teneatur ex Capellania collativa, *nam* adhuc hi fructus computantur inter bona quaſi patrimonialia, quia acquiruntur ratione proprii miniſterii, *Sot. Nav. Vaſq. Sanch. Lugo, Diana, Quarti, Henao* ſupra Parergo 30.

158. *Q. 17. Quid dicendum ſit de illo, qui accepto ſtipen-*

*stipendio non legit Missam talem, qualis petita est, aut non eo tempore.* R. §. 1. Quamvis multi cum *Aversa* q. 11. s. 18. §. *primò*, dicant eum satisfacere, qui legit Missam de tempore, quando ad hanc magis afficitur, licèt stipendium acceperit pro Missa de *Requiem*: Idemque admittant *Nav.* & *Lugo* De Euch. q. 21. n. 35. Si non ideo acceperit stipendium notabiliter majus, tum quia est eadem substantialiter Missa, tum etiam, quia alia Missa est longior, & devotio Sacerdotis erit major, ideóque addunt, nequidem opus esse addere collectam pro defuncto; tamen rectè dicit *Gob.* à n. 617. si expressè promiserit Missam de *Requiem*, sub veniali ad hanc teneri, si per Rubricas tum possit legere, maximè quia Missa de *Requiem* ex se magis prodest defuncto, pro quo fiunt speciales orationes etiam nomine Ecclesiæ, *Pasq.* q. 287.

§. 2. Quando per Rubricas non est licitum legere talem Missam, qualis petita est, per Missam de tempore obtinetur omnis Indulgentia, quæ obtineretur per *Missam* de *Requiem*, uti statuerunt *Alex. VII.* die 5. Aug. 1662. & *Clemens IX.* die 23. Sept. 1669., ut sic nulla supereset causa rationabilis mutandi ritum ab Ecclesia præscriptum. 159.

§. 3. Ad quid sit obligatio, quando fundatio præscribit *Missas* certo loco vel tempore, in certo Altari vel certis diebus legendas, dixi l. 4. à n. 823. Putántque *Henriq. Graff. Bonac. Barb.* de pot. Episc. alleg. 29. n. 8., Episcopum posse concedere, ut *Missa* in alia Ecclesia vel Altari celebretur, si ob justam causam celebrari nequeat in loco constituto. Quòd si corruat vel impediatur templum, in quo tenebatur legere, si 160.

Missæ intendebantur principaliter ob splendorem & cultum loci, erit interim liber ab onere Missarum. E contrà si principaliter intendebatur Missa ipsa, ad hanc tenebitur in alio templo. *Aversa* s. 18. in fine.

161. §. 4. Si Sacerdos teneatur, v. g. ter de septimana legere, potest hac septimanâ anticipare pro sequente, nisi aliud colligatur ex verbis, vel fiat in præjudicium alienum, utì si Missæ essent constitutæ pro commoditate audientium aut pro necessitate successivè morientium; tum enim anticipari non possent, P. *Nav. Bon. Lugo* & alii cum *Aversa* §. *septimò*.

162. *Q. 18. Quid notandum sit circa Sacerdotem, qui ex voto tenetur ad Missam.* R. §. 1. Qui vovit legere Misam, v. g. in gratiarum actionem, quia sanatus est, non potest pro tali Misa acceptare stipendium, quia intentio voventis præsumitur esse, quòd velit Deo dare Misam non aliunde debitam ex justitia, *Pasq.* q. 875. & 954.

163 §. 2. Si quis sibi reservâsset applicationem fructûs Missæ, quam vovisset, docet *Pasq.* posse quidem hunc gratis applicare, cui volet, sed non ideo posse acceptare stipendium, quia videretur fructum illum vendere: Contradicit *Tamb.* quia non ideo vendit, sed pro ejus applicatione acceptat stipendium, utì pro tota Misa acceptare posset.

164. §. 3. Probabile est votum etiam unius Missæ obligare sub mortali, quia materia hujus voti, quæ negligitur, est gravis, cùm sit oblatio Sacrificii infiniti Deo debiti, cultus Religionis perfectissimus Deo debitus, actio præcipua, per quam homo uniri potest Deo &c. *Pasq.* q. 871.

§. 4

§. 4. Votum Misſæ tum tantùm eſt perſo- 165.
nale & impleri debet à vovente ipſo, quando promittitur propria actio voventis, utì ſi voveat ex motivo, ut ipſemet colat Deum, ſi autem voverit ex alio fine, qui per quodcumque Sacrificium obtineri poteſt, erit votum reale, licèt promiſerit ſe celebraturum, & poterit impleri per aliùm. Quòd ſi nequeat ſe reflectere, an cogitârit de propria actione, cenſeri debet votum perſonale, quia ſi celebrationi non ſit appoſitus finis extrinſecus, votum ſiſtit in actione propria, *Paſq.* q. 872.

§. 5. Poteſt per unam eandemque Miſſam 166.
ſatisfieri, imprimis voto & promiſſioni, ſi promittens reſpexit ad fructum; nam ratione voti non debetur fructus; non tamen poterit, ſi petita ſit Miſſa pro gratiarum actione vel cultu divino. Deinde duplici voto, ſi unum illorum reſpiciat tantùm Dei cultum, alterum tantùm fructum, utì ſemper eſt, quando vovetur pro animabus: Unde ſi tertio vovisſem Miſſam ratione tantùm impetrationis alicujus beneficii, imò & quarto pro impetranda remiſſione peccatorum, putat *Paſq.* q. 875. me per unam & eandem Miſſam quatuor votis ſatisfacturum: dicitque hoc valere, ſive vota ab uno, ſive à pluribus ſint emiſſa: ſed notanda ſunt dicta l. 3. p. 2. n. 775., & ſpectanda eſt intentio voventis. Hoc certum eſt, ſi utrumque votum eundem finem reſpiciat, non ſatisfieri utrique per unam Miſſam.

*Q. 19. Quanta ſit obligatio ad Miſſas, quas Epi-* 167.
*ſcopus in ordinatione injungit Presbyteris, & quando hi primam Miſſam legere teneantur.* R. Utrumque reſolvetur, quando de Sacramento Ordinis.

168. *Q. 20. Quanta sit obligatio Sacerdotum Societatis JESU ad Missas, quæ ipsis quandoque præscribuntur legendæ.* R. §. 1. Quamvis peccare possint Superiores, si curam non habeant, ut scribantur, qui *Missas* legant vel orent, præsertim pro fundatoribus & benefactoribus, uti responsum Româ Anno 1904., tamen particulares, qui *Missas* & preces præscriptas non persolvunt, per se loquendo, non peccant, *Suar.* De Relig. Tom. 4. t. 10. l. 8. c. 2. n. 5. *Hautin.* in patroc. Def. l. 2. n. 612. Non videntur tamen satisfacere Regulæ, qui *Missas* à se legendas legunt per alium, uti responsum Româ Prov. Rheni sup. 1634. Attamen satisfacit eras lecturus primitias, si hodie pro obligatione, cujus tempus advenit, oret Rosarium, uti eidem responsum 1639.; sed debere non in genere sed in particulari applicari pro illis necessitatibus, quibus assignatæ sunt, responsum est Prov. Venetæ 1619.

169. §. 2. *Missæ* pro Defunctis ejusdem Ordinis, sive indicantur per generales constitutiones Ordinis, sive ex particularibus Regulis, sive ex Superiorum præscripto, non obligant sub mortali, quia ista tantùm habent rationem simplicis mandati, nisi accedat præceptum obedientiæ: & hoc esse omnium judicium ac usum, dicunt *Pelliz.* Tom. 1. t. 5 c. 9. n. 12. *Hautin.* n. 617. Quoad *Missas*, quas in aliis Ordinibus præcipiunt Superiores, accepto pro eis stipendio, vide dicenda n. 214.; An autem Sacerdotes Societatis JESU possint legere *Missas* pro stipendio, dixi l. 4. à n. 136. & hìc n. 146.

170. §. 3. Ex Decreto octavo Congreg. generalis XIII. *Missa* & Rosarium pro Defunctis in Socie-

Societate legitur post festum Animarum primâ die non impeditâ per Ecclesiam, non obstante renovatione studiorum, uti testatus est, qui Congregationi illi interfuit; & ita observatur hìc Coloniæ. Cantatur tamen pro renovatione Missa votiva de Spiritu Sancto. Pro Defunctis verò reliquæ Missæ leguntur, prout festo Animarum, omisso in orationibus, *famularumque*. Et pro renovatione studiorum Missa & Rosarium indicuntur pro die sequente.

§. 4. Missas affixas tempori, nempe quæ legi debent omni mense vel septimanâ, præponendas esse illis, quæ legendæ sunt pro Defunctis, respondit P. *Mutius* Germaniæ 1634.; quod puto intelligi, si aliàs essent omittendæ, nam si omnes legi possint intrà statutum tempus, charitas videtur suadere, ut priùs juventur Animæ magìs indigentes. 171.

§. 5. Missæ dictæ, quarum obligatio affixa est certo tempori, v. g. septimanæ, si eo tempore ob impedimentum, v. g. ob morbum, non potuerint legi, non necessariò postea supplendæ sunt, sed omitti possunt, uti responsum Prov. Rheni 1585. E contrà si ex negligenia sint omissæ, debent suppleri, Prov. Tolos. 1629. 172.

§. 6. Si Missæ vel preces indicantur ad tempus indefinitum, satis est dicere ad duos vel tres menses; Prov. Neapol. 1603. 173.

Q. 21. *Quid præterea notandum sit circa alias obligationes Sacerdotum circa Missas.* R. seqq. §. 1. *S. Th.* 3. p. q. 82. a. 10. *Sot Silv. Suar. Laym. Regin.* aliique cum *Aversa* De Euch. q. 10. s. 1. §. *Quartò.* docent Sacerdotem, etiam non habentem curam animarum, peccare, per se loquendo, si non celebret in præcipuis festis, & maximè illis die- 174.

bus, quibus fideles communicare solent, ideoque *Inn. III.* Cap. *Dolentes*, De celebr. Miss., inter peccata Sacerdotum numerat, quòd vix quater in anno celebrent; & hæc sententia est communior ac sine dubio probabilior, inquit *Sporer* n. 461., quamvis contradicant *Angles*, *Bon. Diana*, *Lugo*, *Tamb.* Ratio nostra est, tum quia talis non utitur gratiâ sibi concessâ, quod est contra verba *Apostoli 2. ad Corinth. 6. ℣. 1. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, tum etiam, quia eam obligationē satis interpretatur sensus communis & praxis Sacerdotum timoratorum. Nec verum est, quòd S. *Hieron.* Presbyter Missas non celebrârit, *nam* oppositum demonstrat *Surius* in ejus vita n. 22. Quale autem peccatum censeri possit, si hoc negligatur, refert duplicem sententiam, *Busenb.* suprà.

175. §. 2. An ille, qui ex vi fundationis tenetur legere Missas, ad hoc teneatur per se ipsum; & quæ tum sit obligatio, quando per se ipsum tenetur, dixi l. 4. à n. 817. An autem Parochus teneatur aliquando celebrare pro suis Parochianis, dixi l. 3. p. 1. n. 762. Et circa hoc refert *Genettus* post tractatum De Sacrificio, Decretū S. Congregationis 10. Maji 1681. declarans teneri applicare, *si reditus pingues sint, singulis diebus; si verò tenues*, saltem diebus festivis. Videtur autem satis certum cum *Pasq.* q. 138. contra *Th. Hurt.*, quemvis Sacerdotem nec ex charitate nec ex officio teneri applicare Missam vel partem fructûs pro quovis, qui vel petit vel optat, ut sibi prosit, quantùm potest, non enim est fundamentum talem obligationem imponendi celebranti, cui liberum est determinare personas, quibus Sacrificium prosit.

§. 3.

§. 3. Capellanus obligatus per se ipsum ce- 176.
lebrare, secundùm *Castrop.* t. 13. d. 1. p. 6. n. 25. contra *Barbosam* & alios, quantocumque tempore legitimè impeditur, v. g. morbo, captivitate, non tenetur curare vel supplere Missas omissas, quia excusatur per impotentiam, non aliter ac Beneficiatus non potens residere, non ideo privatur fructibus. Sententiam illam admittunt *Laym.* & alii cum *Henao* à n. 1608., si non habeat alia bona, ex quibus honestè sustentetur, alii autem Doctores brevius tempus, & satis timidè duos menses concedunt. Videri potest *Pasq.* q. 1123. à n. 7.

§. 4. Conficiens Eucharistiam debet esse li- 177.
ber, non tantùm ab omni cen-ſurâ, sed etiam ab omni peccato mortali, secundùm dicta in p. 1. n. 86. & 102. Attamen est satis ad vitandum mortale, si conteratur ante consecrationem, secundùm dicta ibidem n. 88. & 97. Quòd si consecret & præterea communicet in mortali, contrahit plures specie malitias secundùm dicta ibidem. n. 93.

§. 5. Quid faciendum sit in casu, quo in 178.
Missa recordatur vel committit mortale, sufficienter explicat *Busenb.* relatus p. 1. n. 511. Hoc tamen adde, si non possit nec confiteri nec conteri, nec Missam abrumpere sine gravi infamia vel scandalo, gravissimè peccare, si proferat verba consecrationis sine intentione consecrandi, aut si elevet hostiam non consecratam, & quidem peccat graviùs, quàm si in mortali consecraret, utì dictum est in eadem p. 1. n. 161. Unde in hoc casu secundùm *Tambur.* De commun. c. 1. n. 75. & alios apud *Busenb.* suprà, ordinariè loquendo, etiam non teneretur desistere

vel simulare deliquium animi, quia saltem minister violentè suspicaretur malum ipsius statum, ideoque non peccaturum mortaliter, si pergat, docent *Vasq. Hurt. Tamb. Lugo* De Sacram. d.9.n.8. & De Euch. d.14.n.3. *Gob.* t. 5. n. 354., eò quòd tanta necessitas videatur excusare irreverentiam: quod licèt probabile dicat *Diana*, tamen non omnino consentit *Bosco* De Sacram.d.1.s.8.n.58. *Aversa* autem q.8.s.5.dicit casum non posse moraliter contingere, quia quisque cum gratia Dei potest contritionem elicere. Quòd si recordaretur mortalis, non quidem confessi, attamen commissi ante ultimam contritionem vel confessionem, posset pergere sine nova contritione, uti dictum est p. 1. n. 542.

179. §. 6. Celebrans Missam debet proferre verba cum attentione aliqua, secundùm dicta p. 1. n. 84., & de attentione iterum dicetur hìc à n. 443. Deinde etiam proferre debet cum intentione debita, de qua etiam dictum est p. 1. à n. 54. & 457.

180. §. 7. Quando agitur de valore Sacramenti conficiendi, non potest sequi sententiam quantumvis probabiliorem vel etiam probabilissimam omissâ tutiore; secundùm dicta p. 1. à n. 104. Nec licitum est ei adhibere materiam vel formam dubiam, quando potest haberi certa, secundùm dicta ibidem. n. 122.

181. §. 8. Celebrans potest in aliquibus casibus dare laico partem majoris suæ hostiæ, secundùm dicta p. 1. n. 508. An autem unquam licitum sit consecrare vel sumere unam speciem sine altera, dicetur à n. 547. Præterea an aliquando licitum sit consecrare sine Altari, sine sacris

sacris vestibus &c. dicetur à n. 338. & jam de hoc aliquid dixi p. 1. n. 611.

§. 9. Quandonam celebrare liceat non je- 182.
juno, colligitur ex dictis p. 1. à n. 582. & à n. 611. Quid autem fieri possit, si quis dubitet, an fregerit jejunium, dixi ibidem à n. 575.

§. 10. An Sacerdos possit eâdem die post 183.
commissam pollutionem vel fornicationem legere Missam, colligi potest ex dictis de Communione, p. 1. n. 550., nam *S. Bonav. Gerf. Sot. Suar. Vasq. Côn.* aliique cum *Laym.* l. 5. t. 4. c. 6. à n. 14. rectè dicunt post veram de eo peccato pœnitentiam posse legere, si nulli manserint maligni effectus, quales sunt perseverans commotio carnis, perturbatio animi & phantasiæ, defixio imaginationis in actu vel voluptate præterita &c. cum his enim celebrare foret saltem veniale, hinc quia ista omnia difficulter aberunt, consultum est ob humilitatem & reverentiam tanti Sacramenti eo die à Missa abstinere, nisi adsit justa & peculiaris ratio celebrandi. Nec plùs evincunt illa, quæ fusè adducit *VVendroch.* ad Epist. 5. Provinc. *Montaltii* Not. 1. f. 3.

§. 11. Quamvis p. 1. n. 438. dixerim potiùs 184.
abrumpendam esse Missam, saltem ante Canonem, quàm vinum conserandum sine admixta aqua, tamen cùm secundùm ibidem dicta n. 437. admixtio illa fiat ex præcepto tantùm ecclesiastico, probabile est cum *Ledesm. Martinon. Henao* n. 1662., si v. g. in urbe obsessa absolutè haberi non posset aqua, & cives graviter egerent Communione, aut aliquis alioqui sinè Viatico decederet, licitam fore consecrationem. *Nec obstat*, quòd *Leander* dicat oppositum

sibi esse certissimum, *nam* per ipsius dictum vel sensum non eliditur auctoritas & ratio opposita, nempe quòd tanta necessitas soleat excusare à præceptis purè humanis. An autem ob admixtionem aquæ interrumpi possit forma consecrationis, dicetur n. 251.

185. §. 12. Celebrans tenetur complere Sacrificium, non tantùm supplendo consecrationem illius speciei, quæ fortè invalidè facta est, ùt dicetur à n. 535. & 547., sed etiam sumendo saltem partem utriusque speciei à se consecratæ. Hinc volens renovare hierothecam malè faceret imponendo hostiam à se consecratam, & sumendo illam, quæ in hierotheca fuerat, sic enim non sumeret hostiam de suo Sacrificio, utì rectè *Præp. Lugo, Diana, Dicast.* De Sacrif. d. 1. n. 201. *Pasq.* q. 40. contra *Henriq. Fagund.* & alios: Itaque consecrare debet duas, quarum unam etiam sumat cum illa, quam accipit ex hierotheca renovanda.

186. *Q.* 22. *An Sacerdos laborans morbo caduco vel lepra licitè celebret.* R. §. 1. Laborans morbo caduco cum spuma aliisque horrorem incutientibus, quamvis antequam labatur, præsentiat casum, celebrare non debet, nisi probatione per annum durante ita curetur, ut nunquam putetur sic casurus. Neque sufficit, quòd rarò cadat vel rarò casurus putetur, si enim adhuc aliquando sic cadat, est irregularis, & peccat mortaliter, si celebret, *Nav.* c. 27. n. 203. & alii, ex Cap. *In Litteris*, 7. q. 2. Quòd si rarò caderet, id est, semel in mense, inquit *Tamb.*, & sine spuma talibusque signis, non posset quidem ordinari, attamen ordinato posset permitti celebratio, dummodo assistat alius, qui juvet

juvet & suppleat, si quid adversi accidat, *Less.* in auct. v. *Missa* cas. 7. *Gob.* t. 3. n. 819. ex Cap. *Nuper.*

§. 2. Si cui jam ordinato superveniat lepra, licitè celebrat privatim, vel coram aliis leprosis publicè, quibus etiam licitè administrat Sacramenta, *Tann. Gob.* n. 831. 187.

*Q. 23. An liceat legere Missam siccam & Gregorianas.* R. §. 1. Missa sicca dicitur, in qua non fit consecratio, sed tantùm fiunt aliæ solitæ ceremoniæ, v. g. apud navigantes in mari: Et licèt aliqui cum *Pasq.* q. 234. putent talem Missam esse illicitam, saltem quia est aliquid insolitum, ac etiam ideo prohibeatur in Synodo Colonienſi anno 1662. pag. 91., tamen alii probabiliter dicunt esse, per se loquendo, licitam, nam sunt orationes, lectiones & ceremoniæ de se piæ ac devotioni conformes; ideoque etiam *Gob.* n. 71. dicit pueros vel quemcumque alium non esse reprehendendũ, qui sine vestibus Sacerdotalibus piè & decorè recitat, quæ in Missa latina dicuntur à Sacerdote, exceptis verbis consecrationis. An autem aliquando licitum sit consecrare in navi per aquas vecta, dicetur n. 261. 188.

§. 2. Missæ Gregorianæ sunt 30. Missæ de Requiem, quæ celebrantur sine interruptione dierum ab eodem Sacerdote: inde autem habent initum, quòd *S. Greg.* M. rescripserit Abbati *Pretioso*, ut per se vel alium illas legeret pro aliquo Monacho defuncto, utì refert *Gob.* n. 731., ubi cum aliis notat, non esse opus, ut legantur ab eodem, neque ut sint de Requiem: imò *Beja* p. 1. Cas. 23. dicit solam ultimam esse de Requiem, reliquas de aliis, quas omnes ibi enu- 189.

enumerat; additque plura, quæ à celebrante facienda sunt ante & post Missas, ut censeantur Gregorianæ. Et has legere aut curare legi, est, per se loquendo, licitum, dummodo vis non ponatur in tali præcisè numero, aut in hac vel illa conditione requisita. Quamvis autem aliqui putent eas habere majorem cæteris efficaciam, tamen non apparet, unde illa esset, *Pasq.* q. 296. Denique *Aversa* q. 11. s. 18. §. *primo.* etiam dicit eum, qui eas legendas suscepit, non teneri continuatè legere per 30. dies: excipe tamen, nisi accepto stipendio hocipsum expresè appromiserit, secundùm dicta n. 158. Plura de 30. Missis Gregorianis videri possunt apud *Raynaudum* in Heter. Tom. 15. p. 2. s. 3. puncto 4. q. 9.

190. Q. 24. *Quid dicendum sit de Sacerdote, qui circa consecrationem vel Missam est scrupulosus.* R. Sacerdos specialiter tenetur excludere scrupulos in Sacrificio, quia summè dedecent hunc Ministrum non tantùm nomine sed etiam in persona Christi operantem, inhonorant hanc divinissimam actionem, pariunt apertum scandalum populo, cujus etiam devotionem maximè turbant. Ut autem hos scrupulos emendet, poterit Sacerdos sequentibus principiis se dirigere.

191. §. 1. Si laboret circa intentionem consecrandi, notet doctrinam, quam dant omnes cum *Pasq.* q. 322. *Gob.* tr. 3. n. 783. *Herinx* d. 3. n. 32. *Bosco.* d. 1. s. 7. n. 115., nempe vix possibile esse, ut Sacerdoti ratione utenti & alicujus conscientiæ desit intentio sufficiens, nam secundùm dicta p. 1. n. 58. & 59. sufficit intentio virtualis, directa & exercita, contenta in actionibus,

bus, quibus lavat manus, apponit hostiam, induit vestes, accedit altare &c. hæc enim faciendo vult aliquid, & non aliud quàm sacrificare & consecrare, uti hactenus solitus est velle per ista. Neque illa intentio impeditur aut revocatur per distractionem, *Henriq. Regin. Tamb. Burgh.* cent. 2. cas. 62. ergo irrationabiliter ex hac parte dubitat postea de valore consecrationis.

§. 2. Securissimus erit quoad intentionem, 192.
si ante *Missam* recitet orationem: *Ego volo celebrare Missam &c.* quod si faciat, etiam lucrabitur 50. annorum indulgentias ex concessione *Greg. XIII.* Postmodum in *Missa* non cogitet de intentione renovanda, nec dicat, nequidem internè, volo consecrare &c. sed certus sit, hoc ipso quòd timeat, ne non habeat intentionem sufficientem, se habere sufficientissimam, *Caj. Suar. Tamb. Gob.* n. 787.

§. 3. Assuescat verba consecrationis dicere 193.
non altiùs quàm reliqua, quæ secretè dicuntur: & quamvis fortè ob strepitum vel turbationem non audierit se illa proferentem, non ideo repetat quicquam, si enim moverit linguam & organa vocis, uti solet, quando audibiliter loquitur, imprudenter timet, ne nunc non satis expresserit. Accedit, quòd mutilatio vel abscissio alicujus etiam syllabæ rarò invalidet formam, uti dictum p. 1. n. 360. unde ex eo capite adhuc non esset ipsi licitum quicquam repetere.

§. 4. Proferat verba consecrationis sine ti- 194.
more, nec vi quasi exprimens, nec halando super hostiam vel in calicem, in hoc enim est irreverentia, nec ullum nutum det capite, sed continuatè

tinuatè & immotus proferat, ſicutî profert alia, certum enim eſt, quòd nimia ſollicitudo rectè proferendi cauſa ſit non proferendi rectè.

195. §. 5. Caveat, ne verbum ullum repetat, quamvìs timeat, ne non bene expreſſerit, utì jam inſinuatum eſt, hoc enim foret peccatum ſecundùm dicta p. 1. n. 129. Et de hoc ſic ſcribit *Gob.* n. 94. *Qui ita unum verbum bis terve repetunt, per ſe loquendo, peccant graviter, quia inducunt novum ritum circa actionem digniſſimam, mutant formam Sacramentalem, repræſentant nobis Chriſtum ridiculè loquentem: Credo tamen*, inquit, *tales coram Deo non peccare graviter, quia ſcrupuli eos adigunt ad hanc parvam ſtultitiam.*

196. §. 6. Si incidat apprehenſio, quaſi per Tò *meum* vel *mei* ſignificet aut ſignificârit corpus vel ſanguinem ſuum Sacerdotis, aut ne per Tò *hic* velit aut voluerit ſignificare in hoc loco, quamvìs hoc ipſum vivaciter imaginetur, dum conſecrat, nihilominus pergat contemnendo, nec curet formare intentionem contrariam, certum enim eſt illum habere & habuiſſe intentionem generalem prævalentem ſignificandi hoc, quod ſignificari debuit, quod etiam inde evincitur, nam certum eſt ipſum potiùs voluiſſe proferre, ſicuti proferri debent, quàm voluiſſe peccare mortaliter, voluiſſet autem peccare mortaliter, ſi exclusâ intentione generali maluiſſet proferre in ſenſu illo, de quo ſcrupulum habet, ergo certus eſt ſe habere & habuiſſe intentionem ſufficientem.

197. §. 7. Si diſtractus fuerit, & poſtea neſciat, an non fortè omiſerit aliquid, imò ſi non recordetur ſe conſecrâſſe, non debet ex hoc turbari, inquit *S. Th.* q. 83. a. 6. ad 5., non enim, qui

qui multa dicit, recordatur omnium, quæ dixit, hinc monent omnes cum *Pasq.* q. 317. n. 4. ut pergat & supponat se omnia debitè dixisse & fecisse, nam solet ista facere sine errore, & ex communiter contingentibus est prudens præsumptio.

§. 8. Si circa aliquid fiat quasi perplexus, & nescíat, an hoc, an illud facere debeat, non hæreat, sed statim faciat, quod primò ipsi videtur esse melius, quod autem semel resolverit, in eo permaneat, nec rursus examinet, an bene sic statuerit, sed pergat. Et quamvìs postea reperiat se errâsse, non ideo debet inquietari, quia bona fides excusat, nec debebat hærere, tum ne in populo causaret admirationem, tum etiam quia debet in ista actione se ostendere irreprehensibilem, utì dicetur n. 533. 198.

§. 9. Timor, ne sit in malo statu, excuti debet secundùm principia communia, de quibus dictum est L. 1. à n. 546. hinc generaliter loquendo judicet se non amisisse gratiam, quamdiu indubitanter & certò non scit se amisisse. 199.

§. 10. Denique in his aliisque ejusmodi exquirat judicium probi, prudentis & docti Confessarii, cui si totum humiliter aperuerit, quod hic dicet faciendum, illo stet, quantumcunque remordeat conscientia vel obluctetur judicium proprium, hæc enim debet deponere. Atque hoc ultimum est universale, tutissimum simúlque facillimum remedium, utì dictum est l. 1. n. 540. 200.

DUBIUM

## DUBIUM II.

*Cujus sit applicare fructum Sacrificii.*

201. »RESP. Solus Sacerdos offerens validè id fa-
»cit, per suam intentionem : quia est actus
»potestatis sacerdotalis. Ita commun. *Suar. Lug.*
»*d. 19. n. 511. &c. Unde resolves*

» I. Is validè applicat, etsi peccet sacrificando
»vel applicet contra voluntatem Superiorum.
»Ita *Suar. Laym. Dian. Lug. l. c.* contra *Nav. Le-*
»*d. s.* & alios, quorum sententiam probabilem
»dicit *Dian. p. 2. t. 14. R. 27.*

» II. Sacrificium, quod neque formaliter, ne-
»que virtualiter ulli applicatum, vel ante vel in
»ipsa consecratione saltem secundæ speciei, non
»potest postea ulli applicari saltem adæquatè ;
»quia producit effectum, quando existit, neque
»is suspenditur : ideóque nec licet accipere sti-
»pendium pro Missa præterita. v. *Laym. l. 5.*
»*t. 5. c. 2.*

» Dixi, *vel ante* : quia non requiritur, ut ap-
»plicatio fiat in ipso Sacrificio; sufficítque, si pri-
»die facta sit, etsi ipso die de ea non cogitet. *Bon.*
»*d. 4. q. 3. p. 2.* ex *Suar.* & *Dian. R. 47.* contra *Vasq.*

» III. Si nulli applicetur, vel incapaci, fru-
»ctus manet in thesauro Ecclesiæ, ùt docet
»*Suar.*, vel cedit ipsi Sacerdoti, vel illis, pro qui-
»bus tenetur specialiter offerre, quòd ita impli-
»citè censeatur intendisse. Ita *Laym. c. 2. v.*
»*Lug. n. 225.*

» IV. Applicatio sub conditione jam impleta,
»est valida, v. g. ad intentionem, quam habuit
»hodie Superior, non autem sub conditione
futura

futura contingente, v. g. applico illi, cui Ti-»
tius interrogatus voluerit; vel ei, qui priùs mo-»
rietur; vel qui primò stipendium offeret. Ita»
*Suar. in 3. p. to. 3. d. 79. s. 9. Laym. l. c. Dian. R. 15.*»
*Lugo n. 209.* contra *Bon. q. ult. p. 7. §. 5.* qui ta-»
men ipse in praxi dissuadet.

V. Non satisfecit, qui te mortuum putans,»
Missas, quas pro Defuncto teneretur, cele-»
bravit. »

VI. Sacerdotes Societatis non satisfaciunt,»
celebrando pro defunctis per anticipationem;»
nisi tamen jam mortui sint, etsi postea pro-»
mulgentur. *Laym. l. c.*

VII. Non omnes Sacerdotes tenentur die»
animarum applicare Missam pro omnibus de-»
functis. *Tamb. l. 3. exp. Sac. c. 3. §. 2.* contra *Fra-»*
*xin.* & *Gavan p. 4. t. 15.*

VIII. Missa celebrata in Altari privilegiato»
pro Defunctis, non suffragatur illis, nec satisfit»
indulto, nisi sit de Requiem. *Dian. p. 4. t. 4. R.»*
*233.* ex *declar. Card.* & *p. 9, t. 2. R. 8.*

## ADDENDA.

Q. *25. Quid præterea notandum sit circa illum,* 202.
*à quo & pro quo applicari potest Missa.* R. §.
1. Quamvis *Busenb.* dicat solius Sacerdotis esse
applicare Missam, tamen tenendum est, quod
dixi n. 21. nempe etiam illos, qui Missæ assi-
stunt, vel ad eam positivè cooperantur, posse
alteri applicare hoc, quod ad ipsos spectat, cùm
sint simul offerentes, secundùm dicta n. 20.

§. 2. Missa potest applicari pro illis omni- 203.
bus, pro quibus à n. 24. recensui posse offerri.

*Q. 26. Quid addendum sit circa intentionem* 204.

*pro applicanda Missa.* R. Seqq. §. 1. Requiri intentionem applicantis, ut Missa prosit uni potiùs, quàm alteri, dixi in. 50.; attamen non requiritur intentio formalis & explicita, sed sufficit virtualis & implicita; hinc si Religiosus nemini applicavit suam Missam, censetur esse ejus voluntas, ut prosit illis, pro quibus sacrificari mandavit Superior, *Gav. Dian. Gob.* t. 3. n. 662. *Steph.* t. 3. d. 4. n. 61.

205. §. 2. Etiam sufficit intentio habitualis, id est, intentio semel posita & non revocata, quamvis ante 10. annos præcesserit, *Suar. Côn. Bon. Tamb. Gob. Quartus, Steph.* Pasq. q. 162. contra *Vasq. Gran.* & alios. Ratio est, quia applicatio Missæ est veluti donatio de præsenti, sive assignatio rei futuræ, quæ fieri potest anticipatò & sub conditione, quâ positâ sortiatur effectum.

*Obji.* Applicare Missam est illam offerre pro aliquo, sed ad offerendum non sufficit intentio habitualis, secundùm dicta p. 1. n. 56., ergo. R. Applicare Missam est illam offerre, donando & transferendo jus ad illius fructum, C. est illam offerre actu, exhibendo Deo Sacrificium vel consecrando, N.

*Inst.* Sacerdos applicat Missam, ùt *Minister* Christi, sed non est *Minister* Christi, nisi quando actu exhibet Sacrificium, ergo R. Applicat ùt *Minister* Christi, officio, potestate & charactere, C. ùt *Minister* exercitio, actu & exhibitione suæ functionis, N.

206. §. 3. Etiam probabile est secundùm *Laym. Gob.* n. 164. *Pasq.* suprà, sufficere intentionem interpretativam, id est, illam, ad quam velles sacrificare, si cogitares de intentione facienda, sic enim benignè præsumimus de acceptatione Dei,

Dei, qui novit nostri animi comparationem. Hinc probabiliter dicit *Pasq.* q. 167. si scias aliquem habere onera *Missarum*, te posse etiam illo insçio validè applicare juxta illius intentionem, quia habebit voluntatem saltem interpretativam adimplendi obligationes suas.

§. 4. Communis sententia est, intentionem 207.
fieri debere ante consecrationem saltem secundæ speciei, quamvis *Lugo, Tamb. Pasq.* q. 163. putent, sed minùs probabiliter, satis esse, quòd præcedat Communionem, eò quòd adhuc substantialiter duret Sacrificium.

§. 5. Secundùm dicta n. 50. nulla requiritur 208.
applicatio ad hoc, ut Sacrificium fidelibus causet fructum generalissimum, aut Sacerdoti & coofferentibus specialissimum.

§. 6. Si quis acceperit à 10. hominibus sti- 209.
pendia pro 10. *Missis, Bonac. Dian. Averja* q. 11. s. 17. §. *Hinc*, dicunt satis esse, si primas decem *Missas* legendas conjunctim & in confuso applicet : Alii requirunt, ut sigillatim determinet dies & Missas pro singulis, quod tutius est, & omnino faciendum esse dicit *Steph.* n. 75., si stipendia data sint pro Missis dicendis ad diversas intentiones, quæ suis temporibus essent faciendæ.

§. 7. Si quis acceptis 10. stipendiis obliga- 210.
tus sit pro 10. hominibus legere 10. Missas, *Possev.* & alii cum *Pasq.* q. 95. dicunt non satisfacere, si in singulis Missis applicet ad intentionem singulorum hominum partem decimam illarum Missarum : sed *Bonac. Averj.* aliique cum *Henao* parergo 29. docent satisfacere, supposito, quòd usque ad decem dies posset differre Missam pro singulis legendam, quia singulis

melius est, quòd maturiùs aliquid participent de fructu Missæ: & quotidie dividendo partem fructûs in singulos, in fine omnibus solutum est, quantùm debetur: quod maximè valet, si vera est aliquorum sententia, de qua n. 47., quòd Missa pro multis oblata tam prosit singulis, quàm oblata pro uno. *Rayn.* tamen in Heter. spirit. Tom. 15. p. 2. s. 3. pu. 3. n. 50. non probat hoc fieri.

211. *Q. 27. Quid præterea sit notandum circa applicationem Missæ.* &. seqq. §. 1. Quando aliquis applicavit ad unum finem, & postea immemor illius applicationis applicat ad alium, multi dicunt posteriorem applicationem semper prævalere, uti ultimum testamentum prævalet omnibus: E contrà *Tamb.* dicit priorem valere, quia illâ positâ Deus jam acceptavit Missam ad illum finem. *Pasq.* q. 172. probabiliùs dicit attendendum esse ad causam seu motivum posterioris applicationis, si enim nulla sit specialis causa ultimæ applicationis ponendæ & primæ mutandæ, prævalet prior, quòd autem prius testamentum nunquam prævaleat, est ex dispositione juris positivi, & quia testamentum non censetur firmari, nisi morte testantis. Si autem adsit specialis causa, valet posterior, quia voluntate interpretativâ revocat priorem, neque Deus absolutè acceptârat, sed sub conditione, si non revocaretur, maximè cùm Deus prævideat, quandonam sit aliquis revocaturus. In praxi autem ille, cui casus contigisset, certus esse potest, quòd pro uno ex illis finibus satisfecerit, hinc secundam Missam offerat pro eo, qui non participavit primam.

212. §. 2. Quando aliquis voluit primam applicatio-

cationem valere, etiamsi postea alio modo applicaret, si postea aliter applicet memor prioris applicationis, volénsque ei derogare, posterior valet, quia revocatur prior voluntas. Si applicet immemor prioris applicationis, prior valet, quia prior voluntas derogavit posteriori applicationi. Si applicet memor quidem prioris applicationis, sed nolens ei derogare, *Tamb.* dicit neutram applicationem valere, è contrà *Pasq.* q. 171. probabiliùs dicit valere æqualiter ad utrumque finem, minùs tamen, quàm si ad unum tantùm esset facta.

§. 3. Missa potest gradatim pro pluribus ap- 213.
plicari, v. g. ut si non prosit huic, prosit isti; si quantùm obligor acceperit Titius, reliquum habeat Cajus &c. *Pasq.* q. 173.

§. 4. Si Superiores Ordinum, qui legunt 214.
pro stipendio, præcipiant *Missas*, tenentur subditi eas legere ad eorum intentionem, *Pasq.* q. 176. 178. Attamen nimis durum videretur, si de septimana nequidem unicam Missam relinquerent subditis liberam, nisi aliter non posset subveniri necessitati *Monasterii*, *Pasq.* q. 179. Potéstque etiam Episcopus Sacerdotibus sæcularibus imponere applicationem *Missarum*, si sit causa & necessitas publica urgens, *Pasq.* q. 180. Et ut Missa prosit, sufficit applicatio Superioris, si non contradicat subditus: É contrà si Superior applicet contra voluntatem subditi, prævalet subditi applicatio, etiamsi esset contra obedientiam, charitatem vel etiam justitiam, *Duran. Suar.* aliique plurimi cum *Pasq.* q. 183. & *Rayn.* suprà s. 2. p. 2. n. 8. contra *Scot.* & alios: vide dicenda n. 1335.

§. 5. Si Sacerdos offerat pro illo, qui petit 215.

offerri, hic non potest applicare alteri, attamen posset, si peteret offerri ad suam intentionem, *Pasq.* q. 185. Dixi autem n. 175. non teneri Sacerdotem applicare pro unoquoque, qui petit vel optat sibi applicari.

216. §. 6. Si putâsti stipendium tibi priùs à Titio solvendum, ideoque crastinæ Missæ applicationem, quam antea feceras pro Cajo, postea facias pro Titio, qui tamen tibi priùs non solvat, *Pasq.* q. 187. putat hanc posteriorem applicationem esse irritam & manere primam factam pro Cajo, quia errantis nullus est consensus. Sed oppositum videtur probabile, nam applicâsti Titio, non sub conditione, si priùs solveret, sed quia erat spes, ut priùs solveret, in quo non fuit error, quòd autem non sequatur res, non ideo tollitur valor applicationis, sicuti si mihi conferas Beneficinm ex spe remunerationis, licèt remuneratio non sequatur, non ideo invalida est collatio. Hoc tamen videtur verum, quòd quando applicas alicui Missam putans te accepturum stipendium ab eo, si non es accepturus, applicatio sit nulla, quia videris ei voluisse applicare sub conditione, si esses ab eo stipendium accepturus, quia non voluisti pro eo gratis legere, ergo Deus videns te non accepturum, etiam non acceptavit Missam pro illo. Denique rectè docet *Rayn.* suprà l. 3. pu. 4. n. 40. si per errorem Missas offeras pro aliquo tanquam mortuo, qui tamen vivat, vel contrà, æqualiter prodesse secundùm fructum, quì vivo aut mortuo potest competere, quia Deus eum confert pro exigentia necessitatis secundùm interpretativam tuam intentionem.

217. §. 7. Si dubites de posteriore applicatione con-

contraria, censendum est mansisse priorem, quæ in possessione erat, hinc censere potes te celebrâsse secundùm hanc, *Pasq.* q. 187.

§. 8. Obligatus applicare Missam, non li- 218.
beratur, si applicârit secundùm opinionem, quam putabat certam, si re ipsâ sit incerta, quia obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam; neque probabile est, quòd applicatio Missæ incerta extinguat obligationem certam, *Pasq.* q. 184.

§. 9. Neomysta in Ordinatione consecrans 219.
cum Episcopo, secundùm *Pasq.* q. 170. non potest applicare illam Missam, nisi secundùm intentionem Episcopi, quia Episcopus est primarius celebrans: secundùm *Merat.* & *Gob.* t. 3. n. 117. potest æquè ac si solus celebraret, quamvis enim non sit primarius celebrans, revera tamen etiam ipse celebrat, neque ulla ratio est, cur non possit discordare ab applicatione Episcopi.

§. 10. Possum Missam applicare pro illo, 220.
quem scio de facto velle à me petere Missas, quamvis necdum petierit. Excipe, nisi scirem, velle petere pro aliquo effectu, ad quem necdum juvaret Sacrificium, *Pasq.* q. 167. *Sylvius* in append. ad 2. p. Resol. Orat. 2. concl. 2. & seqq.

§. 11. Valet applicatio facta pro eo, pro quo 221.
Deus vult applicari, *Scot. Suar.* & alii communiter cum *Pasq.* q. 169. contra *Tamb.* & alios, qui negant, eò quòd putent Deum non velle applicare, sed hoc relinquere homini: verùm in rigore Deus non applicat, sed tantùm acceptat applicationem hominis secundùm beneplacitum Dei factam.

An vivens validè applicet Missas pro se mor-

tuo legendas, dicetur n. 1334. Cui autem prosit fructus applicatus alicui, qui illius est incapax, vel non indiget, dicetur n. 1330.

222. *Q. 28. An satisfaciat, qui celebrat pro illo, quem Deus novit primò daturum stipendium* R. Affirmant *Pelliz. Diana* p. 11. t. 2. R. 15. *Burgh.* cent. 2. Casu 98. *Rayn.* suprà s. 3. pu. 3. n. 40. aliique multi, quos retulerunt *Mendo* d. 13. q. 7. & *Aversa* q. 11. s. 18. §. *Sextò*, quia cùm apud Deum omnia sint præsentia, intentio illa in præcognitione Dei est absoluta, & Missa æquè proderit sic applicata, quàm aliter post datum stipendiũ: unde sicuti Sacellanus obligatus ad sex Missas intrà 20. dies, satisfacit, si legat illas intrà dies sex, ita hìc poterit fieri anticipatio. *Castrop.* t. 22. p. 6. *Lugo* De pœn. d. 13. n. 137. & alii dicunt talem applicationem esse validam sed illicitam, quia ita fieri prohibuit *Clemens VIII.*, cujus decretum postea promulgavit *Pius V.* die 15. Nov. 1605., utì refert *Bassæus* in Morali V. *Missa* 4. n. 4. Hinc dicendum est cum communi apud *Gob.* n. 169. & 609. *Pasq.* q. 168. *Aversa* suprà semper illicitè, & sæpe etiam invalidè fieri talem applicationem, quia cùm Missa consistat in actione transeunte, si non prosit, quando fit, fructus ejus reponitur in thesauro Ecclesiæ, communiter autem non posset prodesse, quando fit, quia illo tempore necdum existit intentio petentis; imò nec sæpe motivum vel causa petendi; vel quandoque ille, pro quo petitur, esset in peccato, & incapax gratiæ: opposita omnia sunt in Sacellano, de quo *Burgh.* Admittunt tamen *Vasq. Rayn. Aversa* posse Missam legi pro actualiter defuncto, pro quo postea primò petetur Missa oblato stipendio, quia sic utiliter

liter offertur pro illa determinata persona jam indigente & capace totius fructûs.

## DUBIUM III.

### *Quando & quoties liceat celebrare.*

RESP. I. Ordinariè non licet celebrare post» 223.
meridiem, sed debet inchoari ante duo-»
decimam: nec ante auroram; quam ante so-»
lis ortum *Regin.* quadrantem horæ, *Hen.* &»
*Kon.* mediam horam, *Azor* horam cum qua-»
drante, *Suar. Fernand.* & *Posser.* sesqui horam»
comprehendere dicunt; & consequenter cùm»
secundum *Hen. Suar.* & alios, Missa possit in-»
choari tantò ante auroram, ut sub ejus initium»
finiatur, licet duabus horis ante solis ortum»
incipere, Ita *Rodriq.* & alii. Unde ulteriùs infe-»
runt quidam, cum *Suar.* Religiosis habentibus»
privilegium celebrandi hora ante diem, licere»
tribus horis ante ortum Solis incipere: quod»
*Lugo De Euch. d. 20. n. 32.* non improbat, etsi»
*Lay.* tantùm permittat horis duabus cum di-»
midia, *Diana* verò duabus horis post mediam»
noctem, *Lug. l. c.* Quacunque autem horâ licitè»
(sive ex, sive sinè privilegio) celebrant, eâdem»
etiam, (atque adeo in Missa, quæ nocte Nati-»
vitatis, cæterisque, quæ post illam celebran-»
tur) licere iis Eucharistiam aliis ministrare, »
contra *Bordon.* docet *Dian. p. 9. t. 7. R. 43.* »

Dixi *ordinariè*: quia antevertere licet sequen-»
tibus casibus, in quibus etiam paulò post meri-»
diem, v. g. uno vel altero quadrante inchoari»
potest, uti etiam secundùm *Sotum* & *Palud.* ex»
quavis rationabili causa, v. g. ob supplicatio-»

»nem vel concionem publicam protractam ul-
»tra meridiem, ob funus Principis, vel quia Sa-
»cerdos die festo propter iter fuit impeditus,
»quo casu etiam integrâ horâ post, licere in-
»choare dicunt. *v. Lay. l. c. Fern. hic c. 3.*

» 1. In necessitate, v.g. ut morituro detur Via-
»ticum: quo casu licere mediâ nocte celebrare,
»ait *Dian. p. 1. t. 14. R. 33.* ex *Lay. &c.*

» 2. Ubi est mos rationabilis, ut opifices & fa-
»muli summo manè possint audire Sacrum,
»*Lay. l. 5. t. 5. c. 4. n. 3.* ex *Nav. &c.* (v. *Dian. p. 2. t.*
»14. *R. 34.*) non tamen idcirco post meridiem
»licebit.

» 3. Ex privilegio, de quo suprà.

» 4. In nocte Nativitatis, in qua omnes tres
»Missas ante auroram dici posse probabiliter
»docet *Suar. Kon. Laym. Dian. p. 4. t. 4. R. 236.*
»contra *Sylv. Fern. & alios. Unde resolves,*

» I. Graviter peccat, qui sine aliqua harum,
»aut saltem justa causa, citiùs manè, vel seriùs
»post prandium celebrat: ubi *Azor* tertiam ho-
»ræ partem, *Lay.* mediam horam, *Bon.* tres qua-
»drantes, *Sylvius* horam requirit, ut differendo
»peccet mortaliter. *v. Dia. p. 2. t. 14. Res. 34.* ubi
»notat Religiosos ex suis privilegiis, posse cele-
»brare usque ad tres horas post meridiem, post
»tertiam verò nullo modo. *v. Bon. l. c.*

» II. Non est peccatum, celebrare ante dictam
»Primam, vel etsi ob infirmitatem non possis
»Horas dicere; vel etiam ante *Matutinum*, si
»causa subsit, sine qua erit veniale, ùt docet *Fill.*
»*Laym.* & alii; videturque sententia tuta, con-
»tra multos, dicentes esse mortale.

» Resp. II. Per se loquendo, quotidie licet ce-
»lebrare. Dico, *per se*, quia præcepto obligante

sub

sub mortali, prohibentur die Veneris Sancto,»
(non tamen Eucharistiam sumere, vel aliis»
præbere, ùt habet *Hurt. de Sac. d. 4. dis. 3. Quint.*»
ex *Suar. Vasq. Tann. &c.* licèt suppositis declara-»
tionibus *Cardin.* non licere ministrare, nisi so-»
lis infirmis, velit *Dia. p. 4. t. 4. R. 237. p. 6 t. 6. R.*»
*19. & p. 9. t. 9. R. 24.* ex *Barb. Gavant. &c.*) in Cæ-»
na Domini verò, etsi ex consuetudine, uno ce-»
lebrante reliqui communicare debeant; plu-»
res tamen ex causa licitè privatim celebrant, »
non tamen post finitam Missam solennem, &»
sacrarium reconditum, ùt vult *Palaus tr. 22.*»
*p. 7. n. 2.* licèt alii id non admittant, apud»
*Dian. p. 9. t. 9. R. 24.* De Sabbatho sancto alii ne-»
gant licere, ùt *Vasq. &c.* alii probabiliùs affir-»
mant, ùt *Suar. Fag. Dia. Gasp. Hurt. dis. 3. Palaus*»
*nu. 5.* qui non vult fieri ante inchoatam Mis-»
sam solennem) & *Lugo num.* 18, qui addit, »
non esse tunc legendas prophetias, quia non»
sunt pars Missæ; neque benedictionem cerei;»
imò nec Litanias, quia est ratio eadem. *v. l. c. n.*»
20. & *Bon. p. 2.* ubi notat, quòd usus id vix ha-»
beat. *Vid.* etiam *Dian. p. 4. t. 4. R. 237.*, ubi cum»
*Mercero*, contra *alios* permittit eo die ante *Mis-*»
sam solennem celebrare de Sancto incidente,»
vel votivam. »

Resp. III. Sæpius in die celebrare non licet»
ordinariè: quod addo, quia si sis jejunus, lici-»
tum est sequentibus casibus bis, vel etiam ter,»
requisito tamen, si facilè haberi possit, Episco-»
pi judicio, præterquam in primo. »

1. Nocte Nativitatis: quâ tamen non tene-
tur, ne Parochus quidem, celebrare tres Mis-»
sas, sed potest aliquam pro arbitrio omittere»
*Dian. R. 236.* Neque ter communicare, vel»
semel

»semel communicare, & bis celebrare *p. 8. t. 1.*
»*R. 87.*

» 2. Si Pastor habeat duas Parochias dissitas.
»*Fill. Lug. n. 46.*

» 3. Si concursus populi sit tantus, ut eccle»sia non capiat, ùt habet *Laym. l. 5. t. 5. c. 4. n. 6. &*
»*v. Lug. l. c.* etsi tunc potiùs expediat celebrare
»extrà.

» 4. Si ante ablutionem moneatur de com»municando infirmo, & suam jam hostiam
»sumpserit, nec sit alius Sacerdos. *Syl. Nav.* Sed
»casum esse metaphysicum, dicit *Lug. n.* 44.

» 5. Si die festo adveniant personæ, quas non
»deceat Sacrum omittere, v. g. Rex aut Princeps;
»quamvis hic ultimus dicatur non esse in usu. *v.*
»*Bon. d. 4. q. ult. p. 7. n. 9. Lug. l. c.* & *Lay. c. 4. Kon.*
»*Dian. p. 2. t. 14. R. 65.* ubi rectè monet, in his o»mnibus attendendum ad loci consuetudinem,
»quæ ferè omnes nunc sustulerit.

» *Quæres.* An aliquando liceat interrumpere
»Missam.

» *Resp.* Etsi abrumpere essentialiter, sive u»nam tantùm speciem consecrare, nullo casu
»liceat, ùt dictum suprà *c. 1. d. 2.*; accidentaliter
»tamen abrumpere, vel etiam interrumpere
»aliquid interponendo, licet his casibus:

» 1. Ob concionem post Evangelium, vel
»processionem excipiendam.

» 2. In gratiam supervenientis Principis vel
»turbæ peregrinorum die festo, quo aliàs Mis»sam audire non possunt, vel simili justâ causâ,
»ex qua si non sit facta oblatio, posse incipere de
»novo, ut totum Sacrum audiant, etsi non te»neantur, docent varii Auctores cum *Sa* apud
»*Bonac. n. 9.* qui bene monet, consuetudine lo-

corum

corum ſtandum: *Henr.* autem docet, id tantùm licere ſinitâ Epiſtolâ vel Evangelio: *Tambur.* planè improbat.

3. Si ante Canonem Sacerdos recordetur alicujus impedimenti, v.g. ſe non eſſe jejunum vel in gratia, vel irregularem, vel excommunicatum; vel excommunicatus non toleratus præſumat intereſſe, nec poſſit expelli.

4. Si urgeat gravis neceſſitas, vel propria, v.g. morbus; vel proximi, ùt ſi moriturus ſit baptizandus vel abſolvendus, *Trull. Diap. 5. t. 3. R 70.* In aliis tamen Sacramentis non ita neceſſariis, non decet inter conſecrationem & ſumptionem interrumpere, niſi moriturus eſſet in propinquo, nec opus eſſet veſtes exuere, vel niſi pœnitentiæ Sacramentum ob phrenesin ſuſcipere non poſſit, *Lay. Tamb. l. 2. exp. Sac. c. 7.* Revertens autem ad Sacrificium Sacerdos, ſi fuerit antè facta conſecratio, incipiet, ubi deſiderat, utì & ſi facta non fuerit, & parva mora interceſſerit, v.g. minor quàm unius horæ; ſi autem longior, ordietur ab initio. *Tamb. c. 8. §. 7.*

## ADDENDA.

224. Quæſt. 29. *Quid præterea notandum ſit circa horam pro legenda Miſſa.* &c. ſeqq. §. 1. Amiſſio notabilis lucri apud homines, qui negotiatione victitant vel non abundant, æquiparatur damno gravi, ideoque cenſetur cauſa ſufficiens anticipandi pro illis horam Miſſæ, *Paſq.* q. 409. Inter alias autem cauſas præveniendi auroram ponit *Henriq.* etiam occaſionem itineris, ut commodiùs fiat, quod tamen *Sot. Laym. Quartus* in Rubr. Miſſ. p. 1. t. 15. d. 4. tantùm admittunt

mittunt in casu, quo v. g. populus deberet ire peregrè, sed etiam admitti potest, si tu alioquin deberes & non posses solus proficisci.

225. §. 2. Generales, Provinciales & Superiores locales possunt etiam seclusis privilegiis cum suis Religiosis dispensare, ut concurrente causâ rationabili anticipent aut postponant tempus celebrandi, sunt enim Ordinarii ipsorum, & possunt, quod potest Episcopus cum Sacerdotibus sæcularibus, *Pasq.* q. 422.

226. §. 3. Aurora in Martio circa æquinoctium præcedit Solem per horam cum quadrante. In Junio circa Solstitium, per duas horas cum quadrante. In Februario & Septembri, per horam & mediam. In aliis mensibus, aliquando per duas horas vel per unam cum tribus quadrantibus. Itaque excepto *Martio* semper durat saltem per horam & dimidiam, *Aversa* q. 11. s. 15. §. *quartò. Quartus* suprà D. 2. notans auroræ tempus sumendum esse non mathematicè sed moraliter, ideoque nihil peccare, qui tum celebrat, ut dici possit adhuc in aurora celebrasse vel absolvisse cum aurora, ita ut saltem finis *Missæ* attingat auroram, *Suar. Aversa* & alii.

227. §. 4. Inter causas exspectandi post meridiem etiam est solennitas, nam *Suar. Vasq. Aversa*, *Tamb.* dicunt, & praxis confirmat, inquit *Quart.* si Missa solennis & concio diu durant, post eam *Missam* dici solere aliam privatam ob commoditatem populi, etiam usque ad tertiam; attamen quoad hoc attendenda est consuetudo locorum: Hinc quamvis *Nav. Vivald. Dicast. Gob.* t. 3. n. 202. dicant, & probabile agnoscat *Tann.* D. 5. q. 10. n. 6. Sacerdotem licitè incipere Missam etiam horâ tertiâ post meridiem, ut sic

festo

festo die ipsemet Missam audiat, tamen *Suar.* & alii meliùs negant, quia non videtur esse tanti, ut unus privatus Missam audiat.

§. 5. Docet *Quartus* meridiem etiam sumi debere moraliter & non mathematicè, ex quo videtur sequi, posse etiam sine causa differri inchoationem Missæ, quamdiu non longè distatur à meridiè: sed quamvis possit esse veniale tantùm, si non sit notabilis distantia à meridie, aut etiam nullum, secundùm *Aversa*, si sit parva; quia sic habet consuetudo, tamen probabilius videtur, assignatum tempus meridiei debere attendi ad momentum, quia quando Leges, utì hìc, determinant tempus, intelligendæ sunt ad momentum, si hoc cognosci possit, utì dixi l. 1. n. 583.; quamvis autem certò non cognoscamus punctum mediæ diei mathematicum, tamen per horologia communiter bene ordinata certò cognoscimus punctum mediæ diei Ecclesiasticum, & ad hoc tempus Ecclesiasticum nos astringit Ecclesia, utì ibidem n. 584. est dictum. *Neque his obstat*, quòd n. 226. dixerim tempus auroræ sumendum esse, non mathematicè, sed moraliter, *nam* disparitas est, quòd tempus auroræ reseiri non possit, nequidem secundùm punctum temporis Ecclesiasticè sumpti, oppositum autem est de meridie, utì dictum est. 228.

§. 6. Putant aliqui licere apud Principes Germaniæ per consuetudinem receptam differre Missam usque ad primam, quod verum est etiam pro die feriali, si causa publica ita postulet, v. g. si Princeps debeat interesse consilio, excipere Legatos, dare necessarias audientias, nec aliter sine magno incommodo disponi possit 229.

de

de tempore Missæ. Et pro Sacerdotibus Societatis JESU habetur facultas in Comp. Privil. v. *Missa* §. 3. itineris vel alterius legitimi impedimenti causâ legendi infra primam, quæ facultas communicatur omnibus Superioribus, & iis, quibus ipsi commiserint. Putantque plures cum *Aversa* §. *Admittunt.*, & *Sporer* n. 449. absque ullo privilegio etiam licere cuivis Sacerdoti per horam post meridiem celebrare die festo, si antè fuit impedius ratione itineris.

230. Q. 30. *Quid addendum sit circa obligationem orandi Matutinum & Laudes ante celebrationem Missæ.* R. Hoc unicum, quòd quamvis multi graves Authores ex Antiquis, quorum octodecim recenset *Aversa* q. 11. s. 22. §. *Octavò*, dixerint esse mortale hoc negligere, tamen præter citatos à *Busenb.* n. 223. & 308. docent *Silv. Arrag. Henriq. Valent. Vasq. Bellarm. Victor. Bonac, Can. Côn. Sanch. Less. Bass. Baldel. Castrop.* aliique plurimi cum *Fagund.* præcepto 1. l. 3. c. 17. *Illsl.* t. 5. n. 73. non esse mortale, & quando adest causa rationabilis, licèt non omnino gravis, v. g. major commoditas studii vel itineris, nequidem esse veniale. Imò *Sot. Suar. Tamb.* & alii apud *Gob.* t. 3. n. 667. dicunt per se loquendo, nullum esse peccatum, quia nullibi invenitur præceptum, nec videtur esse ulla specialis connexio aut dependentia Missæ ab illis precibus: hinc etiam *Marchant* & *Quartus* p. 2. t. 1. d. 1. dicunt esse consilium & quandam congruentiam, ut fiat. Attamen probabilius est cum *Aversa* & aliis communiter esse veniale, nam in Rubrica §. 10. hoc numeratur inter defectus peccaminosos; & ratio præcipiendi potuit esse, ut celebraturus advertat, quas orationes & commemorationes

facere

facere debeat, an dicere debeat *Gloria* vel *Credo* &c. quæ omnia colliguntur ex recitatione Matutini & Laudum.

*Objicies.* In Missali præscribitur, ut Matutinum cum Laudibus præmittatur Missæ, *Pius V.* autem in suo Brevi ante Missale præcipit in virtute S. Obedientiæ Missam dici juxta ritũ Missalis, ergo gravis est ad hoc obligatio, R. n. conseq., nam non est obligatio sub peccato ad servanda singula, quæ in Rubricis habentur, cùm certum sit multa esse tantùm directiva: & quamvis sub peccato sit obligatio ad aliqua, ut tamen sit sub mortali, debet materia esse magni momenti & spectare ad substantiam vel reverentiam notabilem Sacrificio debitam, quale quid non est præmittere Matutinum & Laudes. Denique ex vi præcepti *Pii V.* tantùm est obligatio gravis ad generaliter utendum eo ritu & non inducendum alium.

*Q. 31. Quid addendum sit circa Missam tribus ultimis diebus Quadragesimæ.* R. §. 1. Est sententia satis communis, quòd die Jovis S. liceat omni Sacerdoti privatim celebrare, saltem ante inceptam Missam solennem, ita enim docent *Nav. Ang. Suar. Vasq. Lugo, Diana, Quartus, Gob.* t. 3. n. 219. *Aversa* q. 11. s. 15. & alii passim. 231.

§. 2. Habens plures Parochias debet in Cœna Domini Missam habere & erigere sepulchrum in sola principaliori, si tamen per errorem erexerit in utraque, *Pasq.* q. 385. dicit debere die Veneris habere officium in sola principali, & in altera hostiam reponere in sacrario. Quòd si utraque Parochia esset multùm populosa & ab invicem distans, deberet uno anno in una, alio in alia Missam & officium peragere, 232.

Sylvius in Append. ad 1. p. resol. Orat. 4. quamvis *Suar. Præpos.* aliique cum *Gob.* n. 189. dicant non solùm die Jovis, sed etiam Veneris posse in utroque loco habere officium, non factâ infusione, nec immissâ hostiâ, nisi in ultimo loco, & rationem dant, quia cùm æquivaleat duplici Parocho, videtur posse, quod duo possunt: sed contrà est, quia infusio vini & immissio hostiæ in illud videtur esse primaria ceremonia illius officii, quæ omitti deberet propter jejunium servandum.

233. §. 3. Si Parochus die Jovis, sancto nullam reliquerit hostiam pro die Veneris, debet potiùs omittere omnia, quàm consecrare in Officio diei Veneris, tum quia eo die prohibetur fieri consecratio, tum etiam quia illicitum est consecrare panem sine vino. Si tamen habeat parvam hostiam consecratam, utatur illâ, si nec illam habeat, sítque in pago, *Gob.* à n. 217. dicit posse celebrare manè privatim Missam de Passione & consecrare duas hostias ablutione non sumptâ. Si sit in urbe, facilè habebit Sacerdotem, qui tum celebret de Passione, eíque hostiam consecret, putat enim melius esse observari præceptum naturale de scandalo populi vitando, quàm Ecclesiasticum de non celebrando illâ die. Et in omnibus consentit *Sporer* n. 452.

234. §. 4. Sabbatho sancto cuivis licere celebrare saltem inceptâ Missâ solenni, præter citatos à *Busenb.* docuerunt *Sot. Sylv. Mercer. Pers. Gart. Amic. Quartus, Leander* n. 445. *Gob.* n. 221. sed *Aversa* suprà rectè dicit hoc consultum non esse: Directoria autem Colonienſe & Leodienſe jam pluribus annis dicunt id resenter esse prohibitum

tum à S. Congregatione. An autem liceat præsente funere, dicetur n. 507.

*Q. 32. Quid addendum sit circa Missam eodem die sæpius ab eodem legendam.* R. §. 1. Olim liberum fuit toties de die Missam legere, quoties quis vellet, hinc de S. *Leone III.* referunt *Gob.* t. 3. n. 183. & *Aversa* q. 11. s. 15. quòd de die quandoque novies legerit, nunc autem peccat mortaliter, qui sine legitima causa bis in die celebrat, quia prohibetur tum per Canones, tum per universalem consuetudinem. Et ob eam etiam causam non potest aliquis eodem die ordinari Sacerdos & Episcopus, quia deberet cum ordinante bis celebrare. In regno tamen Valentiæ possunt Sacerdotes sæculares in d e commemorationis Animarum dicere duas Missas, & Religiosi in eodem regno ac pluribus aliis Hispaniæ tres. Idem possunt Dominicani Conventûs Pampilonensis, S. Jacobi & Trinitarii per communicationem privilegii, utì pluribus notat *Leander* à n. 1885. 235.

§. 2. Causam sufficientem pro iteranda Missa dicit *Pasq.* non esse, nec Officium Conventuale duas Missas postulans, nec benedictionem Nuptiarum, nec adventum Episcopi vel Principis in die festo, nec supervenientem magnum numerum itinerantium, nec paupertatem Ecclesiæ aût Sacerdotis, pro singulis tamen illis sententiis refert graves & multos Authores. Addit ipse contra alios 10., si Princeps vel Magnas superveniat, Missam non debere repeti ab initio, quamvìs necdum ad Offertorium pervenerit, sed celebrantem debere pergere, quamvìs q. 386. fateatur sufficientem causam diebus festis iterandi Missam esse, si celebratu- 236.

rus pro populo, celebrârit manè pro Episcopo, Principe aut Magnate, aut si in aliena Parochia desit, qui celebret, aut si aliter non possit vitari scandalum vel gravis querimonia populi. E contrà *Gob.* n. 192. *Leand.* n. 447. & alii admittunt, si superveniat Princeps vel Magnas, celebrantem posse peragere illam Missam, & retento jejunio pro adventantibus inchoare alteram. *Gob.* ibidem adducit quosdam, qui dicunt Sacerdotem ratione defuncti manè sepeliendi, si sine Missa sepulturæ fieri non soleant, posse iterare Missam. Et pro Viatico habendo dicit n. 193. cum *Quarti*, *Tamb.* *Leand.* n. 447. & aliis posse etiam non jejunum iterare, de quo tamen dubitat *Henao* n. 1518. Dicunt etiam *Silvest.* & *Nav.* apud *Aversam* §. *Plures*, quando quæcunque alia similis causa occurrit, quæ arbitrio viri prudentis sufficiens judicetur, Sacerdotem posse iterare Missam. Præterea putant *Suar.* *Lugo* aliique cum *Gob.* n. 189. etiam die profano posse ab uno legi duas vel tres Missas, si devotio populi id exigat, v. g. si superveniat inexspectata processio. Item in locis hæreticis, inquit *Verjuys* t. 8. a. 1., ubi frequens populus solatio illo non videtur privandus, sed sic fovenda est Catholicorum pietas, nam talis gravis causa videtur æquiparari necessitati, in qua Pontifices dicunt licere. Sed non obstantibus omnibus illis sententiis *Henao* n. 1502. ex sequente declaratione colligit requiri graviores causas: *Cùm in civitate, quam dicunt de La Assumpta in Provincia Paraquariensi pars magna nobilium domi se contineat, quòd apparatu decente careret, ideo ut Nobiles mulieres ac viri è domibus ad templa educerentur, opus fuerit Missam ante Solis ortum celebrare, sed*

non

*non reperto Sacerdote, qui absque stipendio munus hoc subire vellet, Episcopus prædictæ civitatis Missam antelucanam nobilium gratiâ celebravit. Proposito dubio in S. Congregatione Eminentiss. Card. Conc. Trid. interpretum, an Episcopus absque Apostolico indulto posset bis in die Sacrificium offerre ex prænarrata causa, Die 1. Sept. 1657. eadem S. Congregatio censuit non posse.* Hinc etiam cùm Archi-Episcopus Sipontinus obligatus esset in Ecclesia Sipontina die Jovis sancto celebrare, conficere chrisma, quamvis deberet in Ecclesia Garganica recipere peregrinos, ideoque eum Clerus & Populus compelleret ad hìc priùs celebrandum, *Honorius III.* Cap. *Te referente* De Celebr. Missarum, sic decrevit: *Cùm cuilibet Sacerdoti, quacunq; dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat, nam & valde felix est, qui celebrat dignè unam, Fraternitati tuæ mandamus, quatenus die Cœnæ Domini in Ecclesia Sipontina duntaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solennia celebrare.*

§. 3. Si Parochus habens plures Parochias & ideo potens binare, impediatur, rogétque alium Sacerdotem, etiam Societatis JESU, potest hic pro ea necessitate binare, *Suar. Henriq.* L. 9. c. 30. 237.

§. 4. *Pasq.* q. 392. dicit Regulares non teneri recurrere ad Episcopum pro examinanda causa sæpius celebrandi eâdem die, sed illis sufficere judicium & licentiam suorum Superiorum: Quòd si ad neminem recurri possit, prudens quisque potest de causa judicare. 238.

§. 5. Non est opus causam pro tertia celebratione esse graviorem, quàm pro secunda, *Lugo* in Resp. Mor. l. 1. d. 12. *Pasq.* q. 190. *Henao* 239.

n. 1511. *Aversa* contra *Henriq.* & *Castrop.* Ratio est, quia quamvis sæpius repetita celebratio sit minùs usitata, tamen quandocunque est vera necessitas, cessat præceptum prohibens.

240. §. 6. Habens duas Parochias, posset in Natali Domini legere sex Missas, utrique enim Parochiani ad fovendam devotionem suam quasi jure suo petunt tres Missas; & cùm ipse Parochus æquivaleat duobus, frui potest privilegio duorum. Putantque *Suar.* *Lugo* suprà & alii contra *Nugnum* etiam tali Parocho posse concedi, ut in singulis Parochiis repetat Misam diebus ferialibus, ne alteruter populus privetur potestate offerendi Sacrificium.

241. §. 7. Qui uno loco, ubi est novum calendarium, celebravit tres Misas in Natali Domini, si eodem anno veniat ad locum, ubi est calendarium vetus, potest iterum cum his tres Misas celebrare, applicando sibi præsens privilegium loci, *Gob. n. 188.*

242. §. 8. Pessimè ageret Sacerdos, inquit *Gob.* n. 185. si die Natali Domini bis celebraret & semel communicaret more laico, quia datur tantùm potestas triplicandi Sacrificium. Posset tamen Episcopus eâ die Ordinatus communicare in Misa, in qua ordinatur, & postea legere alias duas Missas, nam in *Missa*, in qua ordinatur, est etiam simul sacrificans.

243. §. 9. Si Sacerdos in *Missa* post consecratam majorem hostiam ante consecrationem calicis advertat appositas fuisse minores hostias consecrandas, de quibus intentionem non habuerit, non potest super has minores repetere formam, quia sic poneret duo Sacrificia, & eâdem die bis celebraret, nam & minores hostiæ non habe-

haberent se per modum unius hostiæ vel unius materiæ totalis consecrandæ, prior enim consecratio fuisset completa in majore hostia, & minores terminarent unam novam totalem consecrationem, neque una harum consecrationum de se esset referibilis ad alteram : si autem aliquid sciverit de appositis hostiis minoribus, & postea dubitet, an intentionem sufficienter extenderit etiam ad illas, agendum erit secundùm dicta p. 1. n. 458. Quòd si dubitaret de valore consecrationis majoris hostiæ, quamvis certus esset de invaliditate consecrationis minorum, posset repetere formam cum intentione conditionata circa majorem & absolutâ circa minores, & tum omnes haberent se per modum unius materiæ.

*Obji. S. Th.* docet, si Sacerdos post consecratam hostiam deficeret, debere supplentem de novo consecrare aliam hostiam, & tamen ibi censetur esse unum Sacrificium, ergo idem censeri posset in nostro casu. R. n. conseq., ideo *S. Th.* vult consecrari novam hostiam, quia putat hoc spectare ad integritatem hujus Sacrificii (quamvis alii hoc negent, & secundùm dicenda n. 545. fortè probabiliùs) E contrà dici non potest, quòd altera consecratio parvarum hostiarum spectet ad integritatem talis Sacrificii, nam consecratio parvarum semper per accidens se habet ad Sacrificium, quod integraliter habetur per consecrationem majoris hostiæ & calicis, ac per reliquas partes substantiales, ergo.

*Q. 33. Quid addendum sit circa illum, qui abrumpit vel interrumpit Missam.* R. §. 1. Deserens Missam parvâ etiam parte inceptam, secundùm 244.

*Pasq.* q. 188. peccat mortaliter, incurritque suspensionem: sed hoc aliis videtur durum. Si in fine parvam partem omittat, est veniale tantùm *Pasq.* q. 189.

245. §. 2. Probabile est ob periculum mortis relinqui posse Missam imperfectam absque sumptione vel etiam absque consecratione alterius speciei, *Gob.* t. 3. n. 807. Imò & ex urgentissima necessitate ad vitandum gravissimũ incommodum relinqui posse substantialiter imperfectam, v. g. sine sumptione, docet *Pasq.* q. 190. 191. additque q. 192. alias causas Missæ relinquendæ: sed quod consecrationem unius tantùm speciei attinet, *Castrop.* t. 12. p. 2. & 11. putat esse ita intrinsecè malum, ut nullo casu liceat, eò quòd sit de jure Divino per homines indispensabili, & quia esset positiva irreverentia vitam suam præferre essentiæ & integritati Sacrificii nunc ita pro hominibus instituti. *Henao* n. 1785. in re consentit, putat tamen Papam posse dispensare, sive hoc permittere, interpretando præceptum Christi. Quidquid sit de hoc, fatetur etiam *Castrop.* posse à Sacerdote ex metu mortis unam speciem consumi sine altera, potéstque videri *Pasq.* q. 47. ubi refert casus, in quibus excusat alia moralis impossibilitas utramque speciem consecrandi.

246. §. 3. Interruptio per quadrantem vel mediam horam non est notabilis. Quòd si facta sit per horam in negotio impertinente, præsertim exutis sacris vestibus, non debet reassumi Missa, sed reincipi, nisi longitudo interruptionis fuisset prævisa, & sic per intentionem interrumpentis conjungerentur partes, *Pasq.* q. 195. 196.

§. 4

§. 4. Si tempore Missæ fiat concio ab alio, non debet celebrans vestes Sacerdotales exuere, multò minùs exire è templo, quia quantùm fieri potest, debet moraliter permanere in celebratione, *Gob.* n. 810. 247.

§. 5. Ante consecrationem potest tantisper relinqui Missa, ut ministretur Viaticum vel extrema Unctio, quamvis moribundus receperit alia Sacramenta. *Pasq.* q. 197. *Henao* n. 1789. contra *Lugo*, & *Tamb.* Idem fieri potest post consecrationem, si moribundus sit in templo, *Castrop.* Aut si sit in vicinia, saltem si Sacerdos indutus eò accedat, *Zambra. Diana, Aversa* q. 11. s. 12. §. *Debet.* Quòd si confessio moribundi longior ultra mediam horam fieri deberet, auditis quibusdam peccatis esset absolvendus & Sacramentis muniendus, ac post peractam Missam residuo confessionis audito iterum absolvendus, & in agone juvandus. Et Sacerdotem saltem ex charitate ita teneri interrumpere Missam docet *Pasq.* q. 198. contra *Henao.* Potest idem fieri ob corporalem gravem proximi necessitatem v. g. ut à morte liberetur. *Pasq.* 248. 249.

§. 6. Putat *Pasq.* q. 199. grave peccatum esse Missam etiam necdum ad offertorium perductam deserere & ab initio repetere ob adventum Principis, alii putant esse veniale tantùm, multi omnino nullum, uti relatum est n. 236.

§. 7. Aliqui putârunt Communionem posse dari populo statim post introitum absolutâ confessione & osculato altari, sed rectè contradicit *Henao* n. 1620. nisi adsit notabilis necessitas, quia talis interruptio est de se illicita & contra usum. 250.

251. §. 8. Si quis post inceptam formam calicis recordetur non esse admixtam aquam, secundùm *Henao* n. 1782. potest interrumpere, qui est justa causa ob ritum gravissimum: secundùm *Pasq.* q. 308. non potest interrumpere, quia hæc interruptio est major inconvenientia, quàm omissio illius ritûs. Utraque sententia est probabilis: sed in prima, deberet saltem mente fieri oblatio illius aquæ, quia nihil consecrari debet, quod priùs oblatum non fuerit, *Henao* contra *Quarti*.

252. §. 9. *Dicast.* reprehendit, *Gob.* n. 755. & *Lohm.* meliùs laudant eos, qui ante Communionem in Missa eliciunt affectus privatæ pietatis, etiam ad tempus unius Pater & Ave, uti cum eisdem habet *Merolla*, nam si permittatur brevis meditatio post sumptionem, cur non ante? maximè quia censetur continuatio, cùm mens maneat applicata Communioni, quæ est mysterium Missæ.

253. §. 10. Si tempore Missæ ecclesia polluatur, v.g. notoriâ effusione sanguinis, si adhuc sit ante consecrationem, abrumpi debet Missa, *Con. Gob.* n. 802.

254. §. 11. Rubrica §. 8. n. 5. ait, *si Sacerdos recordetur se esse excommunicatum vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem*. Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere. Et quia *S. Th.* q. 803. a. 3. ad 2. tantùm dicit esse tutiùs deserere, *Pasq.* q. 194. n. 10. notat probatque pluribus textibus Juris, quòd verbum, *Debet*, aliquando, & speciatim hìc tantùm significet decentiam.

*Du-*

## DUBIUM IV.

### Quo loco celebrandum sit.

RESP. Communiter non licet celebrare, nisi in ecclesia, eâque consecrata, vel saltem benedicta, & non violata vel exsecrata, nec interdicta. Patet ex *Trid. sess. 22. Lugo* d. 20. n. 48. 255.

Dixi, *communiter*: quia in decenti loco, & altari portatili, (quod semper sub mortali requiritur) cum licentia Episcopi, si adsit, vel sine ea, si absit, licet sequentibus casibus: extra quos si fiat, esse mortale docet *Fill. Lay.* & *alii commun.* contra *Sotum* & *Sa.*

*Primò*, si sit necessitas; qualis esse censetur, 1. Si ecclesiæ dirutæ sint. 3. Si populum in solenni festo templum non capit. 3. In castris pro exercitu: sed festis tantùm diebus, *Fag.* & *Lug.* &c. licèt *Pasqual.* apud *Dia. p. 9. tr. 1. R. 44.* etiam non festis censeat posse permitti Generalibus, & primariis Ducibus in suis tentoriis. 4. In portu pro appulsu navis, non tamen in flumine vel mari, propter periculum effusionis Sanguinis, ùt *commun.* docetur apud *Bonac.* Contrarium tamen dicitur jam habere praxis Lusitanorum euntium in Indiam, ex permissione *Clement.* VIII. & *Pauli* V. ex qua licitè tunc fieri docet *Fagund. Gran.* nec improbat *Lugo*, Limitat autem *Dia. p. 5. t. 3. R. 40.* cũ *Hurt. Mercer. Trull.* &c. si magna sit tranquillitas sine ullo tempestatis indicio, adsítque præter celebrantem Sacerdos alius, qui post consecrationem firmiter teneat calicem: Cum qua cautione etiam Episcopum posse ad hoc concedere facultà-

»cultatem in necessitate ( v. g. nè magna multi-
»tudo non audiat Sacrum, vel moribundus de-
»cedat sine Viatico ) docet *Gran.* apud *Dian. l. c.*
»contra *Kon.* & *Tur.* qui soli Papæ eam reserva-
»tam volunt. V. etiam *Dia. p. 9. t. 1. R. 45.* ubi ad-
»ducit declarationem Cardinalium, quâ juben-
»tur Episcopi id prohibere.

» *Secundò.* Ex dispensatione Episcopi, ob ra-
»tionabilem causam, etsi in *Trid Sess. 22.* id per-
»mittere prohibeantur, nisi ex justa causa, in o-
»ratoriis privatis divino cultui destinatis licèt
»non benedictis: Verùm etiam hanc potestatem
»illis nunc esse ademptam, docet *Gavant. l. c.* &
»*Dia. R. 42.* Eo tamen non obstante, posse eos
»in aliquo casu particulari, ex justa causa per-
mittere, ut celebretur extra ecclesiam in altari
»portatili, docet idem *Dian. R. 41.* ex *Marchin.*
»*Garc. Hurt. Lugo, Aversa., Persic. &c.*

» *Tertiò.* Ex privilegio, quale dicuntur habe-
»re Minores, & qui cum iis participant: quod
»esse revocatum à *Trid. sess. 22.* licèt multi velint,
»negant tamè *Dia. p. 3. t. 2. R. 80.* & *p. 4. t. 4. R. 106.*
»*Salas, Rodriq. &c.* Idque secundùm *Lug. d. 20. s.*
»*2. nu. 51.* probabiliter, & *Tamb. De exp. celebr. l.*
»*1. c. 3. §. 3.* probabiliùs. *Vid. Barbos. in Trid. l. c.*
»Item religiosi Societatis, à Gregorio XIII. ut
»possint tum in missionibus cum facultate Su-
»perioris, in quovis loco decenti; tum in domi-
»bus suis, in loco honesto, à Provinciali desi-
»gnato, Missas dicere; in quo idem licebit aliis.

» Dixi II. *Non violata*: quia in ecclesia inte-
»riùs violatâ, nisi priùs reconcilietur, non licet
»sub gravi peccato, ùt *Lay. l. 5. t. 5. n. 7.* ex *Nav.*
»*Suar. Kon. &c.* nisi in necessitate, cum venia E-
»piscopi, ( si is adiri possit; alioqui sine ea, ùt

habet

habet *Lugo n.* 53.) celebrare, aut mortuos se-
pelire.

Addo I. *Ecclesia*: quia Oratoria, etsi deputata ad cultum divinum, cùm tamen benedicta non fuerint, nisi in ipsis extet altare ad faciendа divina, ùt *Bon.to. 1. de Mat. q. 4. punct. ult. n. 9.* non sunt capacia violationum. Quod etiam consequenter de hospitalibus docent *Nav. Sot. &c.* sed probabiliùs contrarium docent alii, cum *Lugo n. 60.*

Addo II. *Interiùs*: quia quod fit in turri, sacristia, supra tectum vel fornicem, in crypta, sub pavimento (nisi sit sepultura, aut singulariter benedicta) non violat ecclesiam.

Addo III. *Nisi reconcilietur*: quod fieri debet ab Episcopo, vel Sacerdote ex privilegio Papæ, (quale Superiores Regularium pro suis templis habere, ex *Avila* notat *Dia. p. 4. t. 4. R.* 91.) si fuit consecrata; (quod præsumendum est, si celebretur festum Dedicationis) si verò tantùm fuit benedicta, potest fieri reconciliatio à simplici Sacerdote, aspersione aquæ benedictæ, cum facultate Episcopi, vel sine ea secundùm *Dia. R.* 91. Censeri etiam reconciliatam, si Sacrificium in ea peractum fuerit, docet *Tamb.* §. 4. ex *Henr. Sa* & *Dia.* esse probabile, negat autem *Lugo n.* 62.

Porrò ecclesia, utì & cæmeterium, violantur seu polluuntur sequẽtibus casibus, non tamen, nisi postquam res evulgata fuerit, *Lay. c. 5.*

I. Per factum in ea homicidium mortaliter malum seu injuriosum, saltem immunitati ecclesiæ; quale etiam est, quod aliàs justum esset per sententiam Judicis: nisi tamen Reipub. perturbator aliter capi non posset. Non est au-

»tem tale, 1. Quod fit casu, vel ab amente. 2. »Quod in suî defensionem. 3. Cujus causa data »est extra ecclesiam: quia requiritur, ut vulnus »sive causa physica fiat intra ecclesiam. V. *Lugo* »*n.* 53.

» II. Per mortaliter malam effusionem pro»prii, vel alterius sanguinis, vel seminis, causa»tam vel factam in templo, licèt non in tem»plum: Unde non violat 1. Si pauculæ guttæ »effluant, quia non est effusio. 2. Si ex percus»sione, vel vulnere levi, v.g. narium, in rixa pue»rorum, etiamsi copiosus sanguis effluat. 3. Si »fiat ex sectione venæ. 4. Actus conjugalis, quá»do excusatur à sacrilegio. 5. Fornicatio facta »ab amente. 6. Pollutio inculpata. V. *Lugo n.* »54. & 55.

» III. Per sepulturam excommunicati, non »tolerati, vel infidelis, (quo nomine hìc non »comprehendi hæreticum, docet *Lugo nu.* 57.) »etiam infantis, ùt ex *c. Ecclesiam, De consecratio»ne* docet *Præp.* Quamvìs, si pueri parentes sint »fideles, neget *Sayrus*. V. *Bon. De Euch.* & *Mat. d.* »*4. q. 4. p. ult.*

» IV. Per destructionem ecclesiæ ex toto, vel »majore parte, (quanquam eo casu dicatur po»tiùs exsecrari, quàm pollui) non autem, si so»lum tectum, vel si successivè per partes modi»cas destruatur & reficiatur: neque etiam per »desolationem, exercitum hæreticum, spurci»tias hominum vel animalium istic stabulato»rum, &c. etsi deceat & praxis habeat, ut per »Episcopum, vel saltem Sacerdotem, cum ali»qua cæremonia reconcilientur & abluan»tur; quod in simili casu intellige de altari, »*Laym. c. 5.*

*Quæres.*

*Quares.* Quid sit, & quando fiat exsecratio, seu resecratio.

R. Exsecratio dicitur, cùm res sacra perdit suam consecrationē, ita ut de novo consecrari debeat, quod fit, quando ita destruitur, ut formam & usum suum perdat. *Unde resolves,*

I. Pollutâ Ecclesiâ, polluta etiam sunt Altaria ejus fixa: non tamen exsecratâ Ecclesiâ, exsecrantur Altaria: nec contrà.

II. Ecclesia exsecratur, si parietes secundùm majorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta, aut major saltem pars simul auferatur. Secus autem, si una post alteram, *Vid. Lugo n. 56.* non autem, si tectum corruat; quia consecratio est in parietibus, V. *Lay. l. c.*

III. Altare exsecratur, 1. Si cùm fixum est, lapis consecratus removeatur ab inferiore structura. 2. Si ita frangatur, sive fixum, sive portatile sit, ut in nulla ejus integra parte calix cum patena possit consistere. 3. Si spolietur sepulchrum, quod tamen quidam negant, ùt Lugo, *Tamb. l. 1. c. 5.*

IV. Calix exsecratur, si notabiliter frangatur, vel ita, ut fiat inutilis ad usum Sacrificii, v. g. si foramen sit in fundo, licèt minutissimum; vel si figura destruatur: non tamen si in tornatili pes separetur à cuppa, quia in tornatili consecratur sola cuppa, *Bon. d. 4. q. ult. p. 9.* ex *Suar. &c.* Neque exsecratur, si pereat inauratio. Unde licèt communiter calix & patena post novam inaurationem, quoad eam partem, quâ Christi Corpus, vel Sanguinem contingunt, denuò consecrentur, id tamen necessarium non esse, docet *Durand. Kon. & alii*: contra *Suar. Bon.* & *alios*: etsi deceat, ut abluatur aquâ bene-

»benedictâ. Ita *Dia, p. 2. t. 15. Res 3.* & *Lay. hic.*
»Item *Lug. n. 94.*
» V. Vestes sacræ exsecrantur, quando ita de-
»struuntur, ut perdant suum usum; ùt si cinguli
»parte te non ampliùs cingere possis; vel si ma-
»nica ab alba separetur, etiamsi postea repare-
»tur. Non perdunt autem, etsi attritis pars ali-
»qua assuatur, vel cinguli parti, aptæ adhuc ad
»cingendum, altera annectatur, quia tunc acces-
»sorium sequitur principale, *Lug. Tamb. de exp.*
»*sac. l. 1. c. 3. §. 2.* Similiter si stola, vel casula du-
»plicata, facili separatione fiant duæ, quarum
»utraque apta sit ad Sacrificium, non perdunt
»benedictionem, *Tamb. l. c.*
» VI. Partes avulsæ à re consecrata, destructâ
»ejus formâ, desinunt esse sacræ, v.g ligna & la-
»pides Ecclesiæ dirutæ, vel altaris: ob respectum
»tamen ad rem sacram, cujus sunt reliquiæ, non
»possunt applicari ad usus profanos, aut diven-
»di sine licentia Papæ. Statuæ autem sacræ, &
»imagines templi destructi, debent in alio col-
»locari, & in loco Ecclesiæ Crux erigi. Lacera
»etiam paramenta, aut vetustate consumpta,
»debent igne absumi, & non adhiberi ad usus
»profanos, ùt habetur in *c. Altaris, De cons. dist. 1.*
»*v. Suar.* & *Sa. V. Missa* & *Lay. l. c. cap. 6. Tamb.* ta-
»men *c. 2. §. 3.* ex *Palao*; item *Dia. p. 5. t. 13. R. 76.*
»docet, probabile esse, quòd non sit saltem mor-
»tale, si mutatâ formâ ad profanos usus appli-
»centur, v. g. calix confractus, alba dissoluta,
»frustula corporalis, &c. *v. suprà l. 3. t. 1. c. 2. d. 2.*

## ADDENDA.

256. Quæst. 34. *Quid præterea sit notandum circa ce-*
*lebrationem extra ecclesiam vel locum suæ ju-*
*risdictio-*

risdictionis. R. seqq. §. 1. Si non improvisò, sed certo die concurrere soleat tantus populus, ut Ecclesia non capiat omnes, debet Parochus prævenire & petere ab Ordinario facultatem celebrandi extra Ecclesiam, talis enim facultas non censetur data, nisi quando casus est improvisus, *Gob.* tr. 3. in Append. ad n. 265.

§. 2. Potest quivis Sacerdos absque privile- 257.
gio vel speciali licentia celebrare in Altari fixo consecrato, ubicunque sit positum, nam cùm erigatur auctoritate Episcopi, celebrabitur in loco publicâ auctoritate destinato, & non ubi quis voluerit, *Pasq.* q. 705., qui q. 706. idem dicit de celebratione cum Altari portatili in quocumque loco destinato pro celebratione, sive sit Ecclesia consecrata, sive tantùm benedicta, sive oratorium, dummodo ad divinum cultum sit deputatum auctoritate Episcopi.

§. 3. Cap. ult. De privileg. in 6. conceditur 258.
Episcopo, ut in itinere possit quovis die in loco decenti non sacro, in portatili celebrare vel facere celebrari coram se, dum non potest commodè ad Ecclesiam accedere: quod *Nav.* & *Sa,* limitant ad propriam Diœcesin, sed *Gav. Ugol. Dian. Portel, Aversa* q. 11. s. 14. §. *Item.* rectè contradicunt, tum quia non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed usus privilegii personalis, tum maximè, quia textus habet de Episcopo iter agente etiam per alienas Diœceses. Observari tamen debet nunc Decretum sequens.

# DECRETUM CLEMENTIS XI.

## De Celebratione in oratoriis privatis emanatum 15. Decembr. 1703.

NOnnulli Episcopi,& complures Regulares sub prætextu privilegiorum ea ubi licere putant, quæ prohibita sunt : siquidem Episcopi, etiam in aliena Diœcesi extra domum propriæ habitationis in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibíque per unum aut plures è suis Capellanis vivificam Christi hostiam immolare; Regulares verò in quibusdam Magnatum, seu aliarum nobilium personarum privatis oratoriis , quæ certis quandoque ex causis à Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quàm in iis sit indultum , vel absque præsentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diœcesanas,aut etiam decreta S.Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipsis Indultis Apostolicis excipiuntur , quò minùs in illis celebrari possit, aut etiam Altari portatili uti non verentur in sanctarũ sanctionum contemptum, ac sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandá venerationem, tremendo Mysterio debitam,Sanctissimus Dominus noster ex unanimi voto S.R.E.Cardinalium Concilii Tridentini interpretum , inhærendo

rendo declarationibus, aliàs hac de re editis, expresè declarat, Episcopis & his majoribus Prælatis, etiamsi Cardinalatûs dignitate fulgentibus, neque sub prætextu clausi in Corpore Juris, neque alio quocunque titulo, nullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus Laicis, etiam in propria Diœcesi, quod fortiùs intelligitur in aliena, etiamsi Diœcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibíque Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere. Ac pari modo in oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis JESU, aut etiam cujuscunque Ordinis militaris, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscunque Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni festis solennioribus, ac diebus in Indulto exceptis: in reliquis verò diebus prædictis Regularibus, & Sacerdotibus, quibuscunque etiam Episcopis in præfatis oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, fuerit celebrata, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optimè informare; atque illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem, demandando ulteriùs, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus personas quascunque, dictas Missas audientes, nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere. Quò verò ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in Cap. *In his,*

De priv., & per aliquot Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eóque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium (Tridentinum) atque idcirco eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscunque contravenientes, quamvis Regulares, procedant etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati ad pœnas præscriptas per idem S. Concilium in dicto decreto SS. 22. Cap. unico, usque ad Censuras latæ sententiæ, tributâ etiam iisdem facultate per hoc Decretum, ita procedendi, perinde ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita Sanctitas sua declarat, & servari mandat.

*Cardinalis Panciaticus Præfectus.*

259. §. 4. Episcopum posse in alterius Diœcesi conferre tonsuram, consecrare portatilia &c. etiam dare benedictionem solennem, canere Missam Pontificalem absque facultate Episcopi ejus loci, docet *Henriq.* nec reprobat *Dicast.* t. 3. n. 132., quia hoc nullo jure videtur prohiberi, cùm tonsura conferri possit domi privatim sine Pontificalibus, benedictio autem & Missa solennis non videantur comprehendi nomine Pontificalium, quæ *Trid.* sess. 6. c. 5. De reform. prohibet fieri in aliena Diœcesi. *Henao* Parergo 28. fusè in utramque partem discurrit, sed meritò cum *Sanch. Bon.* & aliis inclinat in eam partem, quòd ista non liceant Episcopo.

260. §. 5. An Abbas in Ecclesiis suæ jurisdictioni possit constituere capellam, id est, indutus plus

via

viali & mitrâ in Sede Pontificali assistere Missæ vel Officio per alium celebrato, & exercere prærogativas Pontificales, benedicere incensum &c.; item in fine benedicere populo, 'examinat in utramque partem *Sylv.* p. 1. V. *Abbas* casu 4. & concludit ex Jure Canonico Cap. *Abbates* in 6. De privilegiis, non posse, nisi ipsemet celebret. Potest videri *Henao* suprà, ubi multa discutit circa Abbatum potestatem ad varias consecrationes.

*Q. 35. Quid addendum sit circa celebrationem* 261.
*in navi.* R. Hoc unicum: Si absit periculum effundendi calicis, licitum esse in ea celebrare, præter citatos à *Busenbaum* & *Aversa* q. 11. s. 14. §. 1. docent *Gob.* t. 3. n. 238. & alii, & etiam docent plurimi licere servare Eucharistiam loco decenti in navi. An autem sit licitum etiam tempore tempestatis legere saltem siccam Missam, dictum est n. 188.

*Q. 36. Quid addendum sit circa celebrationem* 262.
*Missæ in privatis oratoriis.* R. Quis locus dicatur privatum oratorium, & an die festivo satisfiat, si in illo aut in alio quocunque loco audiatur Missa, dixi l. 3. p. 1. à n. 626. ubi etiam n. 676. dixi, an talis habens privilegium privati oratorii teneatur procurare, vel saltem audire Missam, si die festivo ibi legatur. Hìc adde seqq. 263.

§. 1. *Tridentinum* sess. 22. in Decreto *De celebratione Missæ*, mandat, ne Episcopi patiantur in privatis domibus celebrari à quoquam, hinc *Gallem.* in declar. ad illum *Trid.* locum n. 6. aliique communiter & probabiliùs dicunt, nunc post *Trid.* Episcopos non posse concedere oratoria privata sæcularibus, ut in iis semper & per modum habitûs celebretur; possunt tamen

dispensare, ut pro gravi persona ægrotante Missa celebretur aliquoties in anno, *Fagund. Hurt. March. Dian.* p. 8. t. 3. *R.* 9. *Pasq.* q. 447. *Quartus* p. 3. t. 10. n. 1. s. 3. & alii contra alios multos: Dicitque *Pasq.* q. 451. etiam posse Episcopos dispensare, ut celebretur indefinitè pro infirmo vel pro dando Viatico: Item si tutus alicui non sit egressus, v. g. tempore belli aut pestis. Et docet praxis, quòd Episcopi in Germania habeant potestatem ex causa justa concedendi privata oratoria, etiam ad longum tempus, v. g. ad vitam alicujus, qui aliàs diebus festis carere deberet Missâ, quod ipsi nimis grave foret; Et idem posse etiam Episcopos alibi, insinuat alia declaratio apud *Gallem.* eodem n. 6.

264. §. 2 Oratoria in aulis publicis Civitatis, ubi Senatores conveniunt, sunt privata, attamen Capellæ carcerum publicorum non comprehenduntur Decreto tollente oratoria privata, *Dian. Quarti.*

265. §. 3. Si oratorium privatæ domûs habeat ingressum publicum, potest Episcopus dare licentiam, ut per modum habitûs ibi celebretur, censetur enim publicum eo ipso, quòd aditum & liberum ingressum habeat per viam publicam, semelque destinatum sit ad usus sacros, unde non poterit redire ad profanos, si semel factum sit cum destinatione publicum, ita quoad omnia *Averf.* §. *Quintò. Nald. Homob. Quart. Diana*, qui addit ex *Pasq.* posse in tali oratorio nihilominus celebrari januis clausis, ita ut accedant tantùm Dominus & alii, quos ipse admittere voluerit, non enim præcipitur, ut publicè celebretur, sed ut in publico oratorio. Alia privata oratoria possunt iterum converti in

usus

usus profanos, si quis nolit ampliùs uti privilegio, *Sanch. Tamb. Quart.*

§. 4. Non est opus esse quatuor muros, qui 266.
tale oratorium separent ab aliis locis, sed potest pro quarto muro aptari tela seu tapes, qui aperiri possit & claudi ad commoditatem audientium Missam. Et qui in tali oratorio prandium institueret, biberet, aliosque similes usus profanos haberet, peccaret tantùm venialiter, licèt faceret sine necessitate, quia actiones illæ de se licitæ non trahunt ratione loci gravem deformitatem, nam licèt ista fierent in Ecclesia consecrata, tamen non esset mortale, uti habent DD. apud *Bon.* & *Suar.* De Religione t. 1. l. 3. c. 5. Si tamen id fieret constanter & per modum habitûs, utendo eo loco velut alio profano, videtur esse mortale. Supra oratoria autem & Ecclesias non est illicitum ponere lectos aut alia profana exercere, *Quartus* suprà.

§. 5. Privilegium oratorii privati datum à 267.
Papa durat ad mortem privilegiati tantùm, *Sanch. Dian.* & alii. Nec perit mortuo Papa, qui concessit, vel Episcopo, qui designavit, quia est gratia, *Sanch.* & *Tamb.* Unde nec erit opus licentiâ & approbatione novi Episcopi.

§. 6. Si in privilegio dicatur, ut una Missa 268.
quotidie celebretur, communior interpretatio est, quòd permittatur unica uno die: Hinc *Quarti* putat peccari mortaliter, si plures legantur: è contrà tamen P. *March.* in resol. Miscellaneis cas. 3. dicit non ideo prohiberi plures, quia Tò *una*, nisi dicatur unica, vel addatur tantùm una, non est particula exclusiva plurium, uti si in fundatione ponatur, volumus, ut una quotidie Missa celebretur in illo Altari, non ideo prohi-

bentur plures: Et saltem secundùm *Quarti* dub. 4. & alios, qui habent Bullam Cruciatæ, possunt in suis oratoriis jam constitutis facere legi plures Missas quotidie: Et quoad oratoria à S. Sede concessa observari debet, quod habet Decretum *Clementis XI.* n. 258. relatum.

269. §. 7. Quamvìs privilegiatus mutet domicilium in aliam Diœcesim, secum fert privilegium Papæ, quia est personale; tamen requiritur inspectio loci & approbatio novi Episcopi, *Silv. Bon. Barb. Pelliz. Aversa, Tamb.* & alii cum *Diana* p. 9. t. 1. R. 7. Valetque magìs, si in eadem civitate domum mutet: & à fortiore mutare potest ex uno loco domûs in alium. Quòd si in eadem civitate vel domo fiat mutatio loci, putat *Quintanadv.*, & consentire videtur *Diana*, non esse opus novâ approbatione Episcopi, sed opus esse probabiliùs putant *Tamb.* & *Quarti*, quia prima non extendebat se ad hunc locum. Quòd si privilegiatus sit alibi tantùm peregrinus, non potest curare hìc celebrari privatim, neque etiam potest habere unum oratorium domi, alterum in prædio, seu villa, nam vi talis privilegii conceditur potestas habendi uno in loco tantùm, licèt contrarium sentiat *Pasq.* putans haberi etiam posse in villa.

270. §. 8. Ut Sacerdos sæcularis etiam licitè celebret in concessis privatis oratoriis sæcularium, sufficit approbatio generalis celebrandi Missam, *Pelliz. Diana, Quartus* dub. 8. Sacerdoti regulari sufficit etiam generalis approbatio & licentia tacita seu præsumpta suorum Superiorum, *Quintanadv. Pelliz. Dian. Quartus* & alii: unde non requiritur licentia Parochi, quamvìs hìc non debeat exerceri munus parochiale, nisi

cum

cum licentia illius saltem tacitâ : extra Paschatamen potest præsumi licentia ad Pœnitentiam & Eucharistiam , item ad denuncianda festa aliaque similia , *Tamb.* & alii cum *Quarti* dub. 9.

§. 9. S. Congregatio 17. Nov. 1607. apud *Gavant.* p. 1. tit. 20. declaravit, quòd in his oratoriis sæcularium non liceat celebrare festis Nativitatis Christi, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Annunciationis, Assumptionis, Apostolorũ Petri Pauli, & omnium Sanctorum; quæ confirmantur Decreto *Clementis. XI.* quod n. 258. retuli. Aliis diebus licitum est, v.g. in Corporis Christi & Ascensionis festo, item in feria 2. & 3. Paschatis ac similium festorum, *Quarti* suprà. Optant tamen Ordinarii, ut etiam abstineatur festo Patroni principalis, *Gavant.* Sed notandum est, quòd quando tale oratorium concessum est propter infirmitatem, non sit opus ratione personæ infirmæ, quæ ecclesiam accedere non potest, excipi ullos dies solenniores. 271.

§. 10. Nomine familiæ intelliguntur, qui habitant in domo privilegiati cum quadam habitudine ad illum, utì dictum est l. 3. p. 1. n. 627. alioquin merè per accidens habitantes in ea domo non sunt de familia , utì nec illi secundùm plerosque , qui aluntur solo titulo amicitiæ vel simili, quod non est servitium. *Pelliz.* putat privilegium hoc extendi ad fratrem privilegiati, ejusque uxorem, habitantes in eadem domo, licèt habeant separatos reditus & mensam aliam , idémque affirmat de filiis & filiabus nuptis, separatis tamen à victu parentum, modò habitent cum parente privilegiato , & consentit in hoc *Tamb* contra *Bardi*, *Quintanadv.* & alios. Admittendum tamen est hoc quo- 272.

ad fratres, commensales, & non omnino separatos quoad reditus. Quòd si famulus vivat ex salario privilegiati, sed habitet & dormiat extra illius domum, si ex officio in ejus domo famuletur semper, adhuc censeri de familia dicunt *Castrop. Pelliz. Dian. Tamb. Quart.* & alii contra *Bon. Barb. Lezan. Gobat* in Quin. t. 5. c. 42. n. 270., qui probabiliter contradicunt. Posse autem familiares seu familiam curare celebrari Missam, licèt Dominus privilegiatus non adsit, docuerunt *Quintanadv. Pelliz. Aver. Castrop. Dian.* & alii cum *Quarti* dub. 11. sed quoad oratoria à Sede Apostolica concessa, videtur oppositum declarare *Clemens XI.* relatus n. 258. Additur autem, nec non in hospitum tuorum nobilium præsentia, per quos putat *Pelliz.* intelligi eos, qui ejusdem civitatis sunt, si inviteatur etiam ad solum prandium, licèt eo fine, ut in privato oratorio possint audire Missam, & consentit *Tamb.*, sed *Quarti* dub. 12. cum *Dian.* putat intelligi solos hospites ex alia civitate advenientes, quia quod est contra Jus commune, strictè interpretandum est.

273. §. 11. *Gregorius XIII.* die 1. Octob. 1572. dedit hoc privilegium bullatum Generali & Presbyteris Societatis JESU: Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Usum Altaris viatici Societati vestræ à fel. record. *Paulo Papa III.* concessum, deinde à Conc. *Trid.* universè sublatum, vobis, eatenus restituimus, ut inter missiones, quæ à Superioribus fiunt, Presbyteri vestri servatâ aliàs formâ dictæ concessionis Missæ sacrificium licitè valeant celebrare super hujusmodi Altari ubique Gentium, etiam in castris militum, modò loca, etsi communia

& pro-

& profana, tuta & honesta sint, & Generalis aut per eum Provinciales præpositi eo tum utendum fore judicaverint. Itidemque possint ibi Presbyteri ipsi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrare fidelibus ad illud sumendum debitè præparatis, nō obstantibus, &c.

§. 12. Cap. *In his.* De privilegiis, conceditur FF. Prædicatoribus & Minoribus, ubicunque fuerint, attamen absque præjudicio juris Parochialis, non requisito Ordinariorum assensu in altari portatili celebrare, sed in Comp. v. *Missa.* §. 8. dicitur solius Generalis esse, Sacerdotibus Societatis JESU usum hujus facultatis concedere. Hoc autem privilegium non esse revocatum per *Trid.* putârunt *Rodriq. Salas, Dicast.* & alii cum *Spor.* n. 440., quia est clausum in Corpore Juris, multi autem tenent ista non revocari per generales clausulas, utì dixi l. 1. n. 837. Et præcipuè quia tantùm dicitur, ut Episcopi non patiantur in privatis domibus celebrari, ergo quamdiu patiuntur & non prohibent, manet istis Religiosis illud privilegium. Oppositum tamen tenendum est cū *Nav. Suar. Henriq.* & aliis, quia *Greg. XIII.* relatus n. 273. & *Clemens XI.* relatus n. 258. dicunt usum Altaris viatici à *Conc. Trid.* universè sublatum esse. 274.

§. 13. Provinciales Societatis JESU aliique participantes privilegia, possunt nullius licentiâ requisitâ erigere privata oratoria. Et quamvis pro Societate notetur in Comp. priv. v. *Oratoria.* §. 1. ut non utantur hac facultate, nisi in locis remotis ab oppidis, in quibus Ordinarii existunt, tamen nunc passim videmus etiam in ejusmodi oppidis fieri. Similia oratoria erige- 275.

erigere possunt in villis suis aliisque locis, in quibus non sunt ecclesiæ vel capellæ, uti habetur ibidem in comp. §. 2. Neque Regularium oratoria indigent Episcopi designatione vel approbatione, possuntque in illis legi plures Missæ eodem die; non tantùm à Regularibus, sed etiam à quocunque alio Sacerdote, quia privilegium illorum non est personale tantùm sed etiam locale, seu redundat in locum ipsum: ideoque gaudent immunitate, non autem sæcularia *Lez. Dia.* p. 9. t. 2. R. 32. & 33. *Quartus* p. 3. t. 10. n. 1. dub. 9.

276. §. 14. Ad Constituendum oratorium, verba privilegii requirunt, ut Provinciales per seipsos locum inspiciant & designent, hinc putat *Lugo* in Resp. mor. l. 1. dub. 14. id non posse committi alteri, quia videtur postulari hujus personæ industria: Potest tamen Provincialis committere Rectori vel alteri, ut judicet de decentia & idoneitate loci, tumque ab eo informatus & ei fidens debet approbare per se & deputare, quamvis absens sit nec viderit, non enim magis hìc videtur requiri præsentia, quàm in absolutione à censura, quæ ab absente fieri potest. Plus adhuc concedunt *Dian.* & *Quarti* dub. 8. putant enim Superiorem localem posse designare & approbare locum saltem ex ratihabitione aut commissione præsumpta Provincialis, sed standum est sententiâ *Lugonis*.

277. §. 15. Regulares non possunt permittere, ut in schola vel aula aliqua celebretur Missa, v. g. nocte Nativitatis Christi, quia tantùm habent potestatem deputandi capellas vel oratoria ad Missas & usus Sacros, per hoc autem quòd semel ibi legatur Missa, non fit capella vel oratorium,

torium, nec deputatur ad usus sacros, *Lugo* dub. 13.

§. 16. Quamvis non præjudicet Juri paro- 278.
chialis Ecclesiæ, si in oratorio privato cantetur Missa solennis, tamen ob rei novitatem putat *Henao* Parergo 27 id non videri esse faciendum sine licentia Ordinarii.

*Q. 7. Quid addendum sit circa benedictionem,* 279.
*consecrationem & pollutionem Ecclesiæ.* R. seqq.
§. 1. Benedictio Ecclesiæ committi potest simplici Sacerdoti, sed consecratio perfecta fit à solo Episcopo, hinc Episcopus non potest simplici Sacerdoti licèt in dignitate constituto committere consecrationem vel reconciliationem Ecclesiæ pollutæ, etiamsi aqua ab Episcopo esset benedicta, utì statuitur Cap. *Aqua.*, De consecr. Eccles. & Altar. ubi *Greg. IX.* contrariam consuetudinem vocat corruptelam, datque causam, quia licèt committere possit simplici Sacerdoti ea, quæ sunt jurisdictionis, non tamen, quæ sunt Ordinis Episcopalis. Potest tamen Papa consecrationem Ecclesiæ committere simplici Sacerdoti, quia hoc est tantùm ex institutione Ecclesiæ annexum Ordini Episcopali. Notat autem rectè *Pasq.* q. 271. Missam Dedicationis legi non posse, nisi Ecclesia sit consecrata.

§. 2. Docent *Castrens. Rodriq. Sylv.* invalidè 280.
consecrari Ecclesiam ab Episcopo hæretico aut excommunicato vitãdo, quia sunt extra Ecclesiam, sed probabiliùs contradicunt *Laym.* & alii cum *Henao*, quia non obstante, quòd sint extra Ecclesiam, validè baptizant & consecrant Corpus Christi, ergo etiam Ecclesiã. Addit *Henao* cum communissima recentiorum contra anti-

antiquos nequidem censeri debere ideo pollutam, utì nec polluta est, si in ea celebret degradatus, cùm nec ideo polluantur vestes sacræ vel altaria, cap. *Anobis 2.* De Sacram. non iterandis.

281. §. 3. Probabilius est ecclesiam per hoc non esse consecratam, quod in ea oblatum sit Sacrificium, alioquin omne oratorium, in quo esset celebrata Missa, hoc ipso esset consecratum, & hoc ipso, quòd semel iterum esset celebratum in ecclesia publicè polluta, non esset opus novâ consecrationem, *Gob.* t. 3. n. 366. *Pasq.* q. 509. 526. *Verjuys* t. 8. a. 6. contra *Dianam* p. 5. t. 13. R. 60. & p. 9. t. 7. R. 18. quæ magìs confirmabuntur ex dicendis n. 352.

282. §. 4. *Gob.* in app. 1. ad n. 265. lit. H. dicit ecclesiam pollui per actionem lethiferam, quando nimirum alicui existenti in ecclesia infertur vulnus lethale, ex quo debeat ibi vel alibi mori, esto in ecclesia non effundat sanguinem, dummodo illa actio lethifera fuerit mortaliter injuriosa: Et consentit *Delb.* De immun. eccles. c. 2. d. 2. s. 1. n. 2. & 50. citans pro se alios 15.; addit tamen non esse improbabile, quòd requiratur sanguinis effusio in ecclesia, quia Jus Canonicum hoc dicit, & materia est odiosa.

283. §. 5. Si perturbator Reipubl., quia aliter tolli & alibi capi non potest, occidatur in loco sacro, hic locus non ideo polluitur, quia ob necessitatem prudenter præsumitur consensus Ecclesiæ, *Sa, Henriq. Delb. Passer. Busenb.* suprà, *Henao* Parergo 26. contra *Fagund.* & *Dianam* p. 6. t. 1. R. 35.

284. §. 6. Si hostia consecrata perfoderetur, ita ut copiosus inde sanguis effluueret, non ideo pol-

pollueretur Ecclesia , tum quia humor ille effluens non esset verus sanguis , tum etiam quia non effunderetur ex corpore hominis , cùm Corpus Christi ibi sit impassibile, *Passer. Henao.* Imò si quis perfoderet cadaver hominis mortui, ex quo effunderetur sanguis, non ideo pollueretur Ecclesia, utì habet communis cum *Henao* contra *Silv. Bachon.* & *Sa* v. *Ecclesia* n. 13.

§. 7. Quamvìs in sacristia facta sit percussio, 285.
& effusio sanguinis fiat in Ecclesia , non ideo semper violatur Ecclesia, utì præter *Lugo* & *Busenb.* tenent *Laym.* l. 5. t. 5. c. 5. n. 7. *Gob.* litt. L. *Sanch.* De Matr. l. 9. d. 15. n. 31., quia hìc nomine Ecclesiæ intelligitur, quod est intra tectum & pavimentum ipsius , unde si sacristia proprio muro dividatur, percussio non censebitur facta in Ecclesia.

§. 8. Licitum est celebrare in Ecclesia, in qua 286.
hæretici sua sacra habent & sepeliuntur , si Catholicis non permittatur celebratio aliis locis , nam sepultura hæretici non denuntiati non violat Ecclesiam, *Verj.* a. 9. *Gob.* litt. I.

§. 9. Probabile est Ecclesiam non pollui per 287.
sepulturam Catechumeni, utì nec polluitur per sepulturam dubiè baptizati, *Gob.* litt. K. Si autem in Ecclesia sepeliatur non baptizatus infans parentum infidelium, communis est cum *Pasq.* q. 582. pollui, quia Jura dicunt pollui per sepulturam infidelis, talis autem infans censetur infidelis in professione parentum. Quòd si sit infans fidelium, pollui affirmant *Gloss. Hostiens. Tabien. Arm. Angel. Rodriq. Piasec. Suar. Avila. Az. Fagund. Regin. Laym. Cõn. Castrop. Less. Dicast. Amic.* uterq; *Lugo, Quarti, Delb.* & alii, quos citat *Pasq.* q. 584. quia talis infans est infidelis saltem

nega-

negativè: Negant pollui *Palud. Sayr. Ugol. Paxjord. Bordon. Ann. Pass. Pasq.*, & probabile dicit *Gobat.* litt. I., tum quia infantes non baptizati censentur tales, quales sunt parentes, tum etiam quia Jura odiosa intelligi debent de illo, qui positivè est infidelis saltem professione parentum, & quandoque nominatur paganus, paganus autem est, qui professione est infidelis. Et idem dicit *Passer.*, si saltem unus parentum sit fidelis, imò etiam quando dubitatur de hujus parentis fide; sed in hoc postremo contradicit *Pasq.* Saltem talis infans sepeliri non debet in loco sacro sepulturis fidelium destinato, sed in loco diviso à cemeterio per murum vel sepem interjacentem, utì habet consuetudo.

288. §. 10. Ecclesia polluitur per emissionem mortaliter peccaminosam seminis, sive muliebris, sive virilis, non tamen per emissionem menstruorum, seminis corrupti vel similium, nec per distillationem. Et requiritur copia seminis, alioquin non dicitur effusio, *Pasq.* q. 570.

289. §. 11. Si effusio sanguinis aut seminis non sint publicè notoria per evidentiam facti aut per Juridicam confessionem, ita ut inducta sit opinio communis de maculata sanctitate Ecclesiæ, hæc censeri non debet polluta, *Pasq.* q. 502. *Gob.* litt. G. *Verj.* t. 8. a. 9. Hinc Sacerdos sciens ex confessione, quòd in Ecclesia contingant pollutiones, imò & Sacerdos, qui in ea commisit, potest pergere in ea celebrare, *Pasq.* q. 597.

290. §. 12. *Henao* Parergo 24. docet, si crimen, ob quod, si ab initio fuisset notorium, polluta esset Ecclesia, priùs innotescat etiam post 50. annos, tum Ecclesiam pollui: è contrà *Mascaren.*

putat

putat pollutionem aboleri, si crimen maneat occultum per tres vel quatuor menses, sicut Cap. *Præterea*, 2. De Clerico percussore dicitur, Episcopum non esse irregularem, ex cujus mandato cæsa mulier post 8. menses obiit, putantque probabiliter *Pax-jord.* & *Passer.* De pollut. Eccles. d. 5. c. 6. n. 5. si fidelium scandalum vel sublatum vel temperatum sit ex longi temporis lapsu, tunc ex facti circumstantiis posse prudentem Episcopum arbitrari Ecclesiam non esse pollutam.

§. 13. Si solum tectum cum fornice sit de- 291.
structum, non desinit consecratio, sed si etiam paries unus sit destructus, videtur desinere, quia de Ecclesia, quæ tectum amiserat, dicitur Cap. *Ligneis*, De consecrat. Eccles., quòd non amiserit consecrationem, *cùm parietes in sua integritate manserint*, ergo cùm ablato uno pariete parietes non manserint in sua integritate, periit consecratio, quia nempe periit forma veri templi, quod constare debet quatuor parietibus, *Pasq.* q. 537. n. 3. Docet tamen *Pax-jordan.* manere consecrationem, si tantùm modica pars cum tecto perierit, sed intelligi debet, si sit tam modica pars, ut moraliter censeatur manere etiam iste paries. Per dealbationem etiam totius Ecclesiæ non perit consecratio.

§. 14. Per hactenus recensita polluitur vel 292.
exsecratur sola Ecclesia strictè dicta & non quivis locus sacer; per Ecclesiã enim intelligitur locus communis ab Episcopo consecratus vel benedictus, *Suar. Lugo* De Euch. d. 20. n. 59. *Gob.* Litt. E. Putat tamen *Laym.* etiam pollui illam, quæ per Episcopum est deputata ad officia divina, v. g. per solam erectionem Crucis. Addit

*Gob.* Litt. T. illicitè deponi beanos in aulis Gymnasiii in quibus quotidie legitur Missa.

293. §. 15. In dubio, an polluta sit Ecclesia, habenda est non polluta, quia possessio est pro illius sanctitate, *Pasq.* q. 502. Si autem aliqui affirment, alii negent esse pollutam, standum est judicio Episcopi, qui si toleret, hoc ipso tollit pollutionem, *Pasq.* q. 598.

294. §. 16. Pollutâ Ecclesiâ etiam pollutum est cœmiterium, sed polluto cœmiterio non ideo est polluta Ecclesia, *Gob.* Litt. K.

295. §. 17. Aliqui putârunt Ecclesiam violatam reconciliari substantialiter per Sacrificium in ea post violationem, etiam malâ fide celebratum, attamen indigere reconciliatione rituali, antequam in ea licitè celebretur, *Pasq.* q. 509. Imò Sa, *Gob.* & alii cum eodem *Pasq.* q. 526. videntur dicere non peccari, si celebretur in ea non reconciliata ritualiter, sed secundùm dicta n. 281. probabilius est non ideo reconciliari, quòd in ea celebretur etiam bonâ fide, & consequenter illicitum erit in ea ritualiter non reconciliata celebrare.

296. *Q. 38. Si destruatur Ecclesia, quid fieri debeat de lignis, lapidibus, fundo* R. §. 1. Cap. *Ligna*, De consecr. dist. 1. sic habetur, *ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio Fratribus: in laicorum opera non debent admitti*: Hoc est, utì explicat *Azor* p. 2. l. 9. c. 3. q. 11. Si Ecclesiæ destruantur, ligna & lapides converti nequeunt ad privatos laicorum usus, quamvis, ùt *Gloss.* ad Cap. *Quæ semel*, ex hujusmodi lignis & lapidibus construì possit dormitorium vel capitulum Religiosorum, quod

vocant

vocant, vel possunt hujusmodi ligna in coquina Monachorum comburi. Eadem habet *Paxjord.* l. 5. tit. 8. n. 79. & *Less.* in Auct. V. *consecratio*, Casu 4.

§. 2. L. *Æde sacrâ*, 72. ff. De contrah. empt. 297. dicitur, *Æde sacrâ terræ motu dirutâ, locus ædificii non est profanus, & ideo venire non potest.* Nihilominus *Zerola*, qui fuit Episcopus, in Praxi p. 1. v. *Visitatio*, dub. 9. ait, *passim vidi in civitatibus magnorum Archi-Episcepatuum ex causa rationabili profanari Ecclesias & vendi, & emptores ibi ædificare domos & quidquid velint*: Et ratio est, quia licèt fortè locus maneat sacer, utì docet etiam *Silv.* v. *Ecclesia* n. 7., tamen ex Cap. *Quæsemel* 19. q. 3. *Tridentinum* sess 21. c. 7. De Ref. dat Episcopis potestatem, si Ecclesiæ dirutæ reædificari non possint, eas (id est, locum ipsum & materialia, utì explicat *Engel* l. 3. tit. 48. n. 9.) convertendi in profanos usus non sordidos, erectâ tamen ibi Cruce.

§. 3. Declarationes apud *Gallem.* ad dictum 298. locum *Tridentini* n. 8. habent, quòd Ordinarius sine causa non debeat profanare capellas, si autem causam habeat, cæmenta danda potiùs Ecclesiæ, quæ est caput capellarum. Ibidem n. 7. postquam dictum est de profanando loco Ecclesiæ translatæ ad matricem, additur, cœmiterium item profanandum, & deinde ossa transferenda sunt ad novum cœmiterium: Hinc videtur inferri contra *Farinac.* & *Engel*, posse authoritate Episcopi etiam cœmiterium profanari: Probat tamen *Azor* suprà ex Jure Canonico, oratoria converti non posse ad usus profanos.

§. 4. Ex dictis resolvitur sequens casus: Ti- 299. tius ædificaverat sacellum in suo fundo ad

viam: Pastor aliquot annis pòst, cum potestate ab Episcopo accepta benedicit illud sacellum insçio Titio: *Quæritur*, an Titio jam contradicente possit sacellum destrui & fundus per Episcopum redire ad usus profanos. R. Videtur non posse, imprimis quia hoc nullibi conceditur Episcopo. Deinde quia sacellum est sacrum & censetur acquisitum Ecclesiæ, res autem acquisita Ecclesiæ non potest, præsertim sine utilitate Ecclesiæ, alienari per Episcopum; si autem remitteretur ad usus profanos, re ipsâ virtualiter alienaretur. *Si dicas*, saltem fundum mansisse Titii: *Contrà* est, nam si Ecclesia inædificetur fundo profano, Ecclesia non cedit fundo, sed fundus Ecclesiæ, quem ad se trahit & reddit sacrum, *Sperell.* decis. 57. n. 20.

300. *Q. 39. Quid addendum sit circa exsecratianem Altarium.* R. §. 1. Si fractura Altaris non sit enormis, non amittitur consecratio, sive Altare sit fixum, sive portatile: Tum autem censetur enormis, si ita destructa sit forma artificialis, ut non censeatur esse idem, quod antè, hoc autem tum est, si tertia saltem pars sit destructa, item si sit ea mutatio, ut qui antè vidisset, jam non recognosceret pro eodem: non ideo tamen amittit consecrationem, quòd fractum sit in quatuor cornibus, *Laym. Castrop. Lugo, Pasq.* q. 689.

301. §. 2. Si lapis consecratus frangatur in duas partes, quarum quælibet apta sit sustentare hostiam & calicem, secundùm communem sententiam apud *Henao* n. 1807. potest utraque pars postea servire pro duplici ara, totus enim lapis erat consecratus, & cùm partes divisæ non amittant usum ac finem, non est, cur illarum desinat consecratio: E contra si neutra par-

tium

tium fractarum possit continere hostiam & calicem, uni tamen earum majori agglutinetur aliquid, cum quo jam continere possit, non ideo recipit consecrationem, tam parùm, quàm duæ partes cinguli fracti, utì dicetur num. 329. Notat tamen *Aversa* q. 11. s. 13. §. *Primò*, ad Altare sufficere, quòd calicem & patenam saltem pro majore parte capere possit.

§. 3. Missionariis conceditur privilegium, 302.
ut celebrare possint in portatili fracto aut læso, etiam carente Reliquiis, attamen requiritur, ut adhuc capere possit calicem & hostiam, *Verj.* t. 8. a. 7. n. 1. quod quamvis nunc ubique liceat, antehac tamen non licebat, ideoque appositum est inter missionum privilegia.

§. 4. Si Altare non sit fractum, sed tantùm 303.
fissum, dummodo partes nec ab invicem, nec ab inferiori structura separentur, non amittit consecrationem, quia illa fissura non tollit formam, nec facit aliud Altare, sed se habet sicut vulnus, quod relinquit idem numero corpus hominis, unde sicuti sanatur vulnus, ita potest illa sciissura glutine aliquo sanari seu uniri. *Pasq.* q. 689. n. 10. *Nec obstat*, quòd Altare debeat constare uno lapide, *nam* hoc dato, de quo dicetur n. 314., gluten uniens partes facit remanere unum lapidem, nec ratio est, quare talis unitas artificialis non sufficiat.

§. 5. Si structura Altaris fixi tota integra cum 304.
superiore & inferiore parte simul transferatur ad alium locum Ecclesiæ, non amittit consecrationem, *Suar. Aversa.* §. *Deperditur*. Notat autem *Gobat* n. 275. tum tantùm Altare fixum amittere consecrationem separatâ parte superiore ab inferiore, si simul consecrata sit pars superior & inferior.

305. §. 6. Portatile non polluitur pollutâ Ecclesiâ, neque si addatur vel removeatur capsula, cui includitur. *Suar. Aversa. Pasq.* q. 694.

306. *Q. 40. Si frangatur sigillum, vel removeatur sepulchrum cum Reliquiis, an Altare per hoc amittat consecrationem.* R. §. 1. Affirmant absolutè *Dur. Az. Angel. Henriq. Bonac. Barb.* De potest. Episcopi. alleg. 27. n. 26. aliique Canonistæ, consentit *Gob.* in Quin. t. 5. n. 540. dicens esse certum: *Sporer* in Theol. sacram. De sacrif. n. 376. dicit videri certum: Rationem dant 1. ex his verbis Cap. 1. De consecr. Eccles. *Ad hæc si Altare motum fuerit, aut lapis ille solummodò suprà positus, qui sigillum continet, confractus aut etiam diminutus, debet denuo consecrari*: quod *Barbosa, Tann.* De Euch. d. 5. q. 10. n. 47. *Amic.* De Euch. d. 33. n. 354. dicunt tenere, si sigillum frangatur etiam in Altari portatili. 2. Quia sigillum videtur esse de essentia & forma Altaris, nam circa impositionem Reliquiarum & consecrationem sepulchri præcipuæ benedictiones, inunctiones & cæremoniæ in Pontificali præscribuntur. 3. Quia in multis Diœcesibus usu receptum est, ut violato sepulchro non ampliùs in Altari illo, sed in alio portatili superposito celebretur. 4. Si absint Reliquiæ, non est verum, quod Sacerdos post introitum osculans Altare dicit, *Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum Reliquiæ hic sunt.* E contrà Altare ideo perdere consecrationem negant absolutè *Panormit. Lugo, Sot. Vasq. Con. G. Hurt. Dicast. Tamb. Burgh.* cent. 2. cas. 43. Idem senserunt *Bujeus* aliique Theologi Romani, ideoque *Gob.* in Exp. t. 3. nu. 276. se corrigit, & ea, quæ suprà dixerat in Quin., scribit se retulisse ex *Pasq.*, de cætero se non damnatu-

rum

rum peccati istum, qui pergeret celebrare in tali Altari sine nova consecratione: Et hanc sententiam *Arr.* De Euch. d. 55. n. 4. dicit esse tutam: Rationem dant *Suar.* De Euch. d. 81. s. 5. *Laym.* l. 5. t. 5. c. 6. n. 8. *Dicast.* De Missa d. 4. n. 148., quia quamvis in VII. Synodo aliisque conciliis provincialibus olim dicatur, ut nullum Altare, nequidem portatile, consecretur absque Reliquiis SS., tamen *Côn.* & *Castrop.* t. 22. p. 9. n. 5. probant consideratis omnibus textibus nunquam id fuisse de præcepto, sed de congruentia factum, ad resistendum eo tempore hæreticis, qui negabant honorem Reliquiis, nullo autem modo esse de necessitate, & si fuisset præceptum, *Vasq.* & alii dicunt consuetudine contrariâ exoleviſse, ideoque Altaria nunc consecrari absque ulla dependentia à Reliquiis, quod certum est & usus habet de portatilibus, de fixis autem etiam docent *Suar.* & alii, ideoque cum *Sa* & *Lugo* De Euchar. d. 20. n. 75. absolutè dicunt, non esse necessarium imponi Reliquias, saltem ideo, inquiunt *Laym. Castrop.* & *Tamb.* De Sacrif. l. 1. c. 5. §. 1. n. 10. quia pro tot Altaribus non facilè reperirentur satis probatæ Reliquiæ: Hinc *Ad 1.* Respondet *Laym.* nu. 9. his verbis: *Non dicitur Altaris consecrationem amitti, si sigillum frangatur, sed si lapis sive mensa consecrata frangatur, in qua sigillum seu Reliquiarum receptaculum continetur.* Addit tamen ejusmodi Altaria esse iterum consecranda, quia ita habet consuetudo, sed alii dicunt id esse consilii tantùm, hinc *Castrop.* n. 6. tantùm dicit indecens esse recedere ab ea consuetudine. *Ad 2.* Etiam ista fiunt, quando consecratur Altare portatile, nam in Pontificali, De Altaris portatilis consecratione,

cratione sic habetur, *parantur .... aliquæ Reliquiæ cum tribus granis incensi in Altari recludendæ*: & postea Episcopus dicit, *consecretur & sanctificetur hoc sepulchrum, &c.* Et tamen nemo jam dicit de necessitate debere inesse sepulchrum vel Reliquias. Item quatuor cornua Altaris tam fixi quàm portatilis sæpius signantur Crucibus, inunguntur Chrismate, thurificantur, cera & thus in eis crematur &c., adeoque circa ea cornua fiunt etiam præcipuæ ceremoniæ, & tamen secundùm dicta n. 300. illis fractis & amissis licitum est celebrare in Altari, quamdiu sufficit ad sustentandum calicem & patenam. *Ad* 3. Id faciunt sequendo sententiam primam, quæ tutior est & consilii, vel quia non omnes sciunt secundam sententiam esse practicè probabilem. *Ad* 4. Respondet *Tamb.* suprà per hoc verum dici, quia Reliquiæ communiter adsunt, & saltem sunt super Altare vel in templo; aut debet intelligi conditionaliter, si ibi sint, inquit *Castrop.* suprà, sicuti dicitur, Dominus vobiscum, orate fratres, ite Missa est, quamvis unicus Minister adsit.

Hæc sunt fundamenta utriusque sententiæ, quarum prima videtur probabilior, nam ratio secundæ plùs non evincit, quàm quòd Altare fortè nunc consecrari possit sine sepulchro, & in eo sic consecrato licitè sacrificetur, non autem si consecratum sit cum sepulchro, quod postea effringatur, hoc tamen non obstante puto etiam secundam sententiam esse absolutè probabilem, nam si Altare sufficienter consecretur sine sepulchro, adeoque sepulchrum se per accidens habeat ad consecrationem Altaris, non apparet, cur Altare non remaneat sufficienter

cienter consecratum, etiamsi tollatur sepulchrum.

§. 2. Si supponamus cum prima sententia, quòd facto sepulchro tollatur consecratio, hæc non ideo rediret, per se loquendo, si per Episcopum reponerentur Reliquiæ, & iterum claude-retur sepulchrum, quia altare semel exsecratum habet se, ac si nunquam fuisset consecratum, si autem nunquam fuisset consecratum, non posset ab Episcopo consecrari per impositionem solius sepulchri. *Dixi*, per se loquendo, nam sicuti, secundùm *Gob.* n. 337. altaria & alia ejusmodi possunt desinere esse sacra ex voluntate solius Papæ, ita multò magis posset Papa dispensare ac velle, ut si reponatur sepulchrum, hoc ipso restituatur consecratio. 307.

## DUBIUM V.

### *Quæ sint requisita ad Missam.*

REsp. Hæc sequentia. 1. Et quidem sub» gravi sacrilegio, altare consecratum ab E-» piscopo vel Abbate (hunc enim altaria, calices» & campanas posse consecrare, etiam ad usum» alienarum Ecclesiarum, docet *Dia. p. 3. t. 2. R.*» 15. cum *Barbos.* & *aliis* 4. ex declaratione Card.» & privilegio Innocentii III.) vel Sacerdote» privilegiato, stabile vel portatile: utrumque» tamen ex integro lapide, quantùm ad superio-» rem mensam, quæ consecratur; debetque esse» tanta, ut possit capere calicem cum patena.» Non sufficit autem hostias esse in ara conse-» crata, dum consecrantur, verùm etiam de-» bent (tam parvæ, quàm magnæ) in eadem re-» 308.

»linqui tempore Sacrificii, & non alibi (licèt »ſupra aliud corporale) deponi, v. g. propter »loci anguſtias; quia omnes ſunt unica victi»ma, & per modum unius offeruntur: Quapro»pter rubricæ Miſſalis eas ſupra corporale, ante »vel poſt calicem poni volunt. Hinc etiam mi»nùs rectè faciunt, qui conſecratione factâ mox »hoſtias minores à ſe conſecratas, dant alteri »Sacerdoti diſtribuendas populo; quia ſicut Sa»cerdos non debet de ſua hoſtia dare, priuſquam ipſe ſumpſerit, ſic nec de aliis, cùm ſint »una victima & hoſtia, omneſque orationes, »oblationes, & benedictiones ſequentes non »minùs ſpectent ad parvas hoſtias, quàm ad »magnam: neque ante ſumptionem Sacerdo»tis perfectè & integrè ſacrificata ſit victima, »*Lug. d. 20. n. 69.* Eum tamen, qui contrarium »fecerit, à peccato ſaltem mortali, imò ſi neceſ»ſitas fuit expediendi Communionem populi, »ab omni excuſat *Tamb. l. 5. exp. ſac. c. 5.*

» 2. Mappa linea triplex: etſi enim ſecundùm »quoſdam, una duplicata, imò ſecundùm *Sa,* »*Aug. Azor c. 28. q 8.* & *Lay. l. 5. t. 5. c. 6. n. 17.* una »ſimplex ſufficit in neceſſitate, Miſſale tamen »Romanum, auctoritate Clementis VIII. & Pii »V. editum expreſsè tres requirit, *tit. de defect.* uti »& *Gavant. vid. Lug.* Ut ea benedicta ſit, non eſt »omnino neceſſarium, ùt habet *Sylv.* Unde in »neceſſitate vulgaris adhiberi poteſt, & aliis »uſibus reddi", *Laym. l. c.*

» 3. Sub gravi ſacrilegio, veſtes ſacræ; (hoc »eſt, benedictæ ab Epiſcopo, vel Sacerdote ha»bente privilegium, ùt habent Mendicantium »ſaltem Superiores, ſive Prælati. *Tamb. l. 1. c. 3.* »*§. 2. exp. ſacr.*, quarum tamen colores non eſſe

præ-

præcepti, sed directionis, notat *Homob.* apud *Dia. p. 2. t. 14. R. 57.* In gravi autem necessitate etsi præstet, si sine scandalo fieri possit, Missam (cujus audiendæ, vel faciendæ obligatio tunc cessat) omittere, licere celebrare sine stola vel manipulo, vel etiam uti cingulo non benedicto, vel si fractum sit, rursus connectere, vel stolâ pro cingulo, vel manipulo pro stola, docet *Lay. l. 4 t. 5. c. 6. Dia. R. 57. & 67.* contra *Fill. t. 1. l. 5. c. 5.*, qui tamen concedit in necessitate sine una vel altera ex minoribus, v.g. stolâ, vel cingulo celebrare, non esse mortale. *Vid. Dia. p. 5. t. 5. R. 62.*, ubi contra *Fil.* ex *Henriq.* & *aliis sex*, docet esse probabile, quòd ex parvitate materiæ excusari possit à mortali, qui secluso scandalo & contemptu, aliquam harum citra necessitatem omittit, v. g. qui celebrat cum cingulo non benedicto, vel ejus loco utitur aliâre. Denique metu mortis aut gravissimi damni, licere aliquando celebrare sine sacris vestibus, & altari, (dummodo non fiat in contemptum religionis) ex *Azor t 1. l. 1. c. 11. q. 11.* docet *Escob. E. 2. c. 2. Nav. Hurt. &c.* Limitat autem *Tamb. c. 5. §. 1.* ita ut permittat sine aliqua etiam ex gravioribus, non tamen sine omnibus fieri ob scandalum & irreverentiam, *v. Dia. p. 3. t. 6. R. 48. & p. 5. t. 3. R. 39.* Porrò hujusmodi sacras vestes conficere ex profanis, v.g. planetam ex veste serica muliebri, non est prohibitū, *Suar. Palaus, Tamb. c. 2. §. 4.* qui monet §. 1. cavendum esse, ne sint valde attritæ, ùt & ne reliqua supellex sacra sit valde immunda, in quo graviter peccari potest. *Suar. Laym. Tamb. l. c.*

4. Sub mortali requiritur calix & patena consecrata: si tamen in nondum consecratis aliquis

»aliquis bonâ, imò addit *Bord.* & *Tamb.* malâ fi-
»de celebrâſſet, (licèt ſic celebrando peccâſſet
»mortaliter) probabile eſſe, quòd hoc ipſo
»cenſeantur conſecrata, liceatque in iis celebra-
»re, contra *Lug.* & *Lay.* docet *Dia. part. 2. t. 14. re-*
»*ſol. 69.* & *part. 5. t. 13. R. 69.* & *p. 9. t. 7. R. 18.* ex a-
»*liis octo.* Idemque de ſacris veſtibus, item de
»corporali, pyxide, &c. quæ immediatè tangunt
»ſpecies, cenſet *Tamb.* c. 3. §. 1. Ac licèt decens ſit,
»ut etiam pyxis, ſive ciborium, & luna, ſeu ſphæ-
»rula hierothecæ, & quodcunque vas conti-
»nens & immediatè tangens Euchariſtiam, uti
»etiam ſecundùm *Lay. l. 5. t. 5. c. 6.* vaſculum
»chriſma continens benedicatur; (benedicere
»autem præter ea, in quibus unctio adhibetur,
»poteſt idem, qui cætera ornamenta) cùm in
»Rituali Romano propria ſit pyxidis benedi-
»ctio, id tamen neceſſe eſſe, negant *Suar. Hurtad.*
»*Lug. Tamb. c.* 1. §. 6.; nec eſſe neceſſe imponere
»pyxidi vas lineum benedictum benedictione
»corporalis. Porrò calix & patena confecta eſſe
»debent ex auro, argento, vel ſtanno, ſaltem
»quoad cuppam, (admittunt etiam aliqui ex
»plumbo ſed non ex ære, *C. ut calix, de conſ. diſt.* 1.
»quamvis *Tamb. c.* 1. cum *Hurt. Fag.* & *Gavant.*
»admittant etiã ex gemma, quæ æquè pretioſa
»ſit ac aurum vel argentum, modò ſpecies non
»imbibat, nec ſit periculum, ne effringatur: Ac
»licèt rubrica præſcribat, ut ſaltem cuppa & ſu-
»perior pars patenæ ſit deaurata, eam tamen
»non obligare ſub mortali, *Gran.* imò nec ſub
»veniali, propter uſum contrariũ, vult *Tamb. l. c.*
» 5. Corporale lineum, ſaltem quoad eam par-
»tem, quâ hoſtiam vel calicem tangit, *C. conſulto,*
»*de conſ. diſt.* 1. (nam in extremitatibus poteſt
eſſe

esse sericum, vel auro elaboratum, (& benedictum ab Episcopo, vel privilegiato, *vid. comp. priv. Societatis JESU v. Bened.*) non tamen iterum benedicendum post lotionem, nec nisi notabiliter rumpatur. S. *Th. Sylv. Bon. d. 4. q. ult. p. 9. Lug. d. 2. num. 76.* & *Gavant. p. 2. t. 1.* ubi addit ex *Sa* (& dicit esse communem) peccare mortaliter, qui utitur notabiliter immundo.

6. Palla item linea, quâ parte calicem tegit (superiore enim parte potest auro constare, vel serico) quæ cùm habeat communem cum corporali benedictionem, utpote cujus pars antiquitùs fuit, pro eodem servire posse, docet idem *Lug. l. c.* si sit satis capax.

7. Purificatorium item lineum, non tamen necessariò benedictum, ùt contra *Laym.* docet *Suar. Gavant* & *Lug.* neque ulla reperitur in Ritualibus ejus benedictio.

8. Sub gravi peccato Missale, Canonem saltem continens, ùt habet *Bon.* & alii *commun.* etsi *Led.* & *Lay.* doceant in gravi necessitate, licitum esse celebrare sine libro, ei, qui moraliter sit certus se non erraturum, & sic *Lug. l. c.* cum *Dia. &c.* probabiliter excusat eum, qui propter visûs debilitatem legere non potest.

9. Minister (secundùm *Nav. Fag.* & *Zerol.* sub mortali) & quidem masculus: in necessitate tamen gravi, v. g. diei festi vel dandi Viaticum, posset quis sibi ipsi respondere, inquit *Sa, Bon.* & *Dia. ref.* 43. ex aliis. In quo casu etiam fœminam adhiberi posse, docet *Nugnus a. 6. d. 1.* & *Sylv.* (idque quibusdam Belgii partibus consuetudine inductum esse, docet *March. Ref. past. cap. 4.*) contra communem apud *Lay. Fernand. Dia. l. c. Tamb. l. c.* & *March. de ord. t. 3. cap. 15.* ubi

vult

»vult id esse mortale. Ministrante tamen circa »altare viro, qui nesciat respondere, Moniales »ex choro respondere non esse prohibitum no»tat *Lugo*, & *Tamb. l. c.* ubi etiam cum *Henriq.* & »*Hurt.* permittit celebranti Missam cœptam »prosequi sine ministro, si hic fortè abiit, & ali»quantulùm exspectatus non revertatur.

» 10. Crucifixus (nisi sit expositum Vene»bile Sacramentum) non tamen sub obligatio»ne gravi. Idem est de velo, *Lug. n. 79. Gavant.*

» 11. Candela accensa duplex ex cera, & qui»dem secundùm *Fag. Regin. Vasq.* & *alios*, sub »mortali, contra *Nugnum* & *Marchinum*: In ne»cessitate tamen, præciso scandalo, sufficit una »etiam ex sebo; vel lucerna, aut lampas ex oleo. »*V. Dian. l. c. Lay. c. 16. n. 17. Azor c. 28. q. 15.* Sine »omni autem lumine celebrare nunquam licet. »*Lug. n. 77.* adeo ut si extingueretur ante conse»crationem, & aliud haberi non posset, Missam »esse relinquendam, etiam in necessitate con»secrandi pro moribundo Viaticum, dicat *Fa»gund. p. 1. lib. 3. c. 22. n. 19.* & *Quint. t. 4. s. 1.*

» 12. Requiritur etiam antipendium, pulvil»lus, candelabra, bursa, velum, manutergium, »sed non benedicta, & si quid ex his desit, ex »profanis congruenter mundis mutuò accipi, »& deinde priori usui reddi potest. *Tamb. l. 1.* »*c. 1. §. 3.*

» 13. Operto capite celebrare non licet, etiam »in infirmitate, sine licentia, ùt docet *Fag. Lay. Dia. R. 58.* Et quidem Summi Pontificis, ùt ex »Declaratione Cardinaliũ notat *Gav.* & *Tamb.* »licèt *Lay.* & *Sot.* Episcopis, & cum Regulari»bus, eorum Prælatis permittant: Quod *Tamb.* »*l. c.* rectè limitat ad casum necessitatis, in quo

ad

ad Papam difficilis sit recursus. Qui tamen sine» venia faceret, eum non peccare mortaliter,» (secluso contemptu & scandalo) vult *Ledes.*» & *Tamb. l. c.* Quod *Dian. p. 2. t. 14. R. 58* censet» probabile, si tempus Canonis excipiatur. »

Plura de his omnibus *v.* apud *Aut. cit. Gav.*» *Dia. Lay. Bon. Lug. d. 20. s. 4. Escob. E. 11.* ubi notat,» etsi gravis sit obligatio servandi ritum cele-» brandi præscriptum in rubricis Missalis, ideo-» que grave sit, omittere v.g. oblationem hostiæ» vel calicis, vel infusionem modicæ aquæ,» *Tamb. l. 2. c. 5.*, nihilominus levitatem materiæ» sæpe excusare à culpa mortali omissionem, et-» iam intrà canonem, monet *Escob. l. c.* unde ve-» niale tantùm erit. »

I. Omittere orationes dici solitas, dum Sa-» cerdos se induit, ùt contrà *Nav. Sylv.* & *Azor*» docet *Lay. Fag. Dia. R. 21. &c.* Lotionem au-» tem manuum ante vel post Missam (etsi facilè» omitti non debeat) non videri sufficientem» materiam rigorosi præcepti tenet *Suar. &*» *Tamb. §. 6.* »

II. Omittere Gloria vel Credo; vel in Cano-» ne nomen alicujus Sancti, vel ea, quæ tempore» Paschali interponuntur inter Communican-» tes, aut infra actionem, *Dian. p. 2. t. 14. R. 49.* &» *89.* ex *Fill. Quin. &c.* In Missa autem, quæ cani-» tur, non legere Evangelium submissâ voce,» *Dia. R. 4* negat esse peccatum, ex *Sanch. & aliis*» *10.*, quòd Rubrica sit tantùm directiva: Si» quis autem in Missa advertat aliquid à se omis-» sum, regulariter non esse repetendum ait *Suar.*» & *Tamb. c. 5.* Dicit *regulariter*: quia 1. Si sit de» substantia, v. g. aliquid pertinens ad consecra-» tionem, certum est debere repeti. 2. Si dum»

secretò

»secretò orat, post pauca verba certò advertat,
»se aliquid notabile omisisse, ( v. g. die Paschæ,
»Communicantes, ) paululum regrediendum
»esse, & repetendum censet *Tamb. l. c.* Ita *Fill.*
»*Dian. R. 59. Escob.*

» III. Ex devotione leve aliquid in Missa (etiam
»dum secretò orat) addere, v.g. orationem Do-
»minicam, vel Psalmum aliquem; vel in Cano-
»ne nominibus Sanctorum nomen Patroni lo-
»ci, *Tamb. l. 5. c. 5.* Dixi, *leve*; quia notabiliter
»addere, esse mortale vult idem *Tamb. l. c.* ex *Bon.*
»*d. 4. q. ult.*

» IV. Celebrare ante dictum Matutinum, ut
»contra *Azor*, & *Regin.* docet *Sylv. Valent. Suar.*
»*Vasq. Less. Fag. Lay. &c.* quorum plerique tamen
»cum *Palao* dicunt esse veniale, si fiat sine causa;
»licèt & hoc *Tambur. l. 1. a. 7. §. 1.* in dubium vo-
»cet.

» V. Quæ altâ voce dicenda præscribuntur,
»adeo submissâ dicere, ut astantes audire non
»possint, *Tambur. l. 2. c. 9.* quidquid dicat *Nav.*
»apud *Sa V. Missa.* Imò notat idem *Tamb.* ex
»*Lug. d. 22. s. 2.* à timoratis passim sine scrupulo
»voce depressâ legi.

» VI. Mutare Missam, & die Dominico vel fe-
»sto duplici, vel iis diebus, quibus prohibetur
»fieri de festo duplici ( v. g. infra octavas Epi-
»phaniæ, Paschatis, &c. Feria IV. Cinerum, infra
»hebdomadam majorem, Vigiliâ Nativitatis
»Domini) sine gravi causa legere votivam, vel
»pro defunctis, vel de alio Sancto in numerum
»SS. relato, *Suar. Dian. Lug. l. c. Escob.* contra
»*Quint.*, qui *t. 7. s. 40.* putat in hebdomada sancta
»licere legere votivam; quod refutat *Gavant.* &
»*Dian. p. 9. t. 8. R. 53.* ex *Declar. Cardin.*

Dixi

Dixi 1. *sine gravi causa*: talis autem censetur, » 1. quæ spectat ad bonum Reip. vel Principis, v. » g. necessitas pluviæ, ingruentis belli vel pestis » vel similis mali universalis: item solennis gra- » tiarum actio, solennis expositio Eucharistiæ, » (v.g. diebus antecineralibus in oratione 40. » horarum. *Tamb. l. 2. c. 6.* 2. Quando cadaver » præsens est in Ecclesia, ubi usus obtinuit, *Gav.* » *p. 1. t. 5.* 3. Si quis celebret in Ecclesia, in qua » agitur dies festus loci proprius; hunc enim non » tantùm posse, sed debere ex congruitate con- » formare se loco, notat *Gav. Vid. Tamb.* qui §. 2. » & 4. addit, etiamsi Sacerdos (accepto stipen- » dio) homini promiserit votivam, vel pro de- » functis, etiam in Altari privilegiato, non solùm » posse sed debere celebrare Missam currentem » diebus, quibus istæ prohibentur: Imò etsi Deo » per votum tales Missas promiserit, non tamen » ad eas obligari istis diebus, eò quòd votum » non obliget, quando impedit bonum majus, » quale esse dicit conformitatem Officii cum » Missa; secus diebus aliis. »

Dixi 2. *In numerum Sanctorum relato*, quia si » sit Beatificatus tantùm, de quo certis Sacerdo- » tibus, (v.g. quorum Ordinis fuit,) concessum » sit Missam legere, docet *Gran. 2. 2. cont. 1. cap. 7.* » *d. 4. s. 2. n. 2.* & *Escob.* contra *Palaum*, non licere » aliis Sacerdotibus, etsi nullum aliud sit festum, » de eo legere, eò quòd sic expressè determinârit » Sacra rituum Congregatio, apud *Gavant. Vid.* » *Escob. n. 41.* & *Tamb. l. c. c. 6.* ubi *Palaum* sequens » dicit contrariũ esse probabilius, ac magis pium. » Imò de Sanctis Societatis certum esse, si cele- » brent in templis ejusdem Societatis, ex conces- » sione Pontificum: Idem tenet *Quint. t. 7. sing. l. c.* »

» VII. Si quis violet rubricam spectantem ad
»essentiam vel quasi essentiam Missæ, vel si nul-
»lam planè servet, peccat mortaliter, *Escob.* ex
»*Fag. p. 1. l. 3. t. 21. n. 9.*

## ADDENDA.

309. Quæst. 41. *Quid circa Altaria sit præterea notandum.* R. Præter dicta à n. 300. de Altarium exsecratione, advertenda sunt seqq. §. 1. Si quis sine Altari consecrato, vel in enormiter facto ideoque exsecrato celebret, peccat mortaliter *Pasq.* q. 699. *Gob.* in Exp. t. 3. n. 279. Non est tamen opus petere aut inspicere, an Altare sit consecratum & integrum, ut enim prudenter censeatur esse tale, quale esse debet, sufficit, quòd sit celebrationi expositum ab iis, ad quos pertinet attendere, *Pasq.* q. 700.

310. §. 2. Post Communionem Sacerdotis possunt parvæ hostiæ ab eo consecratæ poni extra aram in corporali, uti habet communis cum *Aversa* q. 11. s. 13. §. *Super*, contra *Vasq.*

311. §. 3. *Az. Barb. Quart. Tamb.* aliique communiter cum *Less.* in Auct. v. *Consecratio* Cas. 2. docent solum Papam posse simplici Sacerdoti committere consecrationem Altaris fixi, quamvis aliqui apud *Henao* n. 1796. putârint posse ab Episcopo committi Abbati. Quoad portatilia scio Nuntios Apostolicos Missionariis sæpius ad hoc dedisse potestatem.

312. §. 4. *Joannes Andreæ* putavit, si desint Reliquiæ, posse earum loco in sepulchro Altaris recondi particulam hostiæ consecratæ, sed *Aversa* §. *Debet*, meritò hoc reprehendit tanquam alienum à lege & ratione.

§. 5.

§. 5. Secundùm aliquos cum *Pasq.* q. 683. & *Gob.* suprà, Altare per hoc sanctificatur substantialiter & sufficienter in ordine ad licitè celebrandum, si quis etiam malâ fide in eo Missam legerit, quia Missa est sanctissima actio, & attactus Corporis Christi censetur afferre consecrationem: alii tamen meliùs contradicunt, secundùm dicta n. 281. & dicenda n. 352. 313.

§. 6. Communis sententia est Authorum, quos relatis locis citat & sequitur *Henao* num. 1797. lapidem Altaris fixi debere esse unum, qui simul contineat hostiam & calicem, nec posse constare duobus adunatis, quia alioquin in duobus Altaribus fieret consecratio, in uno hostiæ, in altero calicis, sicque quasi divideretur Sacrificium, quod illicitum est: Sed quod Altare portatile attinet, putat *Hurt.* & *Pasq.* q. 694. tot modis posse fieri ex duobus lapidibus, quot modis conjungi possunt hi unione aliquâ artificiali, adeoque secundùm ipsos sic formari potest, 1. Ut capsula lignea habeat in se immobiliter insertos duos lapides; qui ratione capsulæ claudi & aperiri possint instar libri, ita tamen ut maneant contigui, quando aperiuntur, sic enim putant fieri unum ratione capsulæ, in qua continentur. 2. Ut duo lapides ad modum libri nexu ferreo aut alterius materiæ permanente invicem connectantur ante consecrationem. 3. Ut duo lapides alio modo artificiali jungantur, sicuti calix tornatilis, cujus pars superior potest separari ab inferiore. Et ideo docet etiam *Gob.* n. 269. Altaria fixa fieri posse ex gypso aut solis lateribus admixto cæmento lateres illos conglutinante; sed etiam Altaria portatilia 314.

tatilia debere constare unico lapide, docent plerique cum *Henao* suprà.

315. §. 7. Altare fixum consecratum destrui non potest inconsulto Episcopo, etiamsi nulli esset usui, *Barb. Tamb. Gob.* n. 272. An autem Episcopus possit Altare, & cum eo fundationem transferre de uno loco Ecclesiæ in alium, dix L. 4. à n. 856.

316. §. 8. Decretum, quod olim fuit, ne quis celebret in eodem Altari, in quo celebravit eo die Episcopus, nunc exolevit, *Az. Laym. Castro Tamb. Quarti, Dicast. Pasq.* q. 1235. Imò si Episcopus celebrans deficeret, posset ejus Missam complere simplex Sacerdos, uti dicetur n. 551

317. §. 9. Si unum portatile non possit cum hostia & calice capere omnes particulas consecrandas, illicitum esset has collocare & consecrare in alio portatili vicino, quia ratione duplicis Altaris resultaret duplex victima. In necessitate tamen communicandi exercitûs ituri ad prælium putant aliqui id fore licitum, quod probabile esse agnoscit *Henao* n. 1802.

318. *Q. 42. Quid addendum sit circa Crucem pro Missa.* 2. seqq. §. 1. *Jordan. Gav. Laym. Buseni* & alii requirunt Crucifixum pro Missa: E contrà Missale, *Suar. Vasq. Dicast. Verj.* aliique multi loquuntur solùm de Cruce, ideoque probabile est saltem in necessitate sufficere solam Crucem etiamsi absit imago Christi affixi, præsertim cùm Crux sit vera imago Crucifixi: Usus tamen habet, ut sit simul Crucifixus.

319. §. 2. Sufficit, si pro icone Altaris depictus sit aut aliter fabrefactus Crucifixus, *Tamb. Quarti* & alii contra *Gav.* p. 1. tit. 20. litt. V. Etiam sufficit Crux, qualis est in depositione Christi, ub

Beat

Beata Virgo Christum de Cruce depositum tenet in sinu, *Pasq.* q. 716. Etiam sufficit Crucifixus depictus in tabernaculo aut charta aliqua, si alius facilè haberi non potest, *Gob.* Imò *Tamb.* est contentus Cruce vel Crucifixo depicto in pariete, aut in tabula ad latus, sed probabiliùs repugnat *Gav.* suprà, quia debet in medio exponi ad venerationem, ideoque Rubricæ præcipiunt, ut ad Crucem in medio Altaris sæpe fiat inclinatio capitis. Hinc etiam rectè notat *Pasq.* suprà, si tantùm adesset imago Christi bajulantis Crucem, non sufficere, quia Crux illa non censetur exposita ad veneratiouem.

§. 3. Melius est etiam ex sola devotione ce- 320.
lebrare sine omni Cruce, quàm ob defectum Crucis non celebrare, *Vasq. Fagund. Gob.* t. 3. nu. 296. *Pasq.* q. 717. *Sporer* n. 386. nam communis & probabilior sententia est ad summum sub veniali requiri Crucem, *Suar.* De Euch. d. 81. s. 6. *Vasq. Lugo, Villal. Bonac. Busenb Quarti* p. 1. tit. 20. dub. 10. *Dian.* p. 1. t. 15. R. 28. *Sporer* suprà, quia ubi non constat, non sunt inducendæ obligationes sub mortali, S. *Th. Suar.* aliiq; cum *Dian.* p. 10. t. 12. R. 57. In tali autem casu obligationis venialis tantùm, excusat impotentia habendi.

§. 4. Si Venerabile sit expositum, non est 321.
opus Cruce, secundùm *Vasq. Jordan. Averſ. Tamb. Lugo, Gob. Busenb. Lohn.* p. 1. tit. 3. n. 5. contra *Pasq.* q. 715. & alios, non tamen contra *Gav.* suprà, qui tantùm loquitur de Altari, in quo Venerabile semper asservatur clausum. Referunt tamen aliqui hanc Declarationem S. Congr. 14. Maji 1707. *Quando super Altare expositum est Venerabile, debet etiam in eo collocari Crux cum Imagine Crucifixi.*

322. *Q. 43. Quid circa mappas & antipendium sit aduenadum.* R. seqq. §. 1. Duas mappas nunc sufficere, etiamsi non tegant totum Altare, docent *Henriq. Suar. Laym. Bonac. Gob.* in Exp. t. 3 n. 289. *Sporer* n. 378. & alii plures contra *Gav.* & *Jordan.* sic enim habet usus, & pro tertia servit corporale, *Verj.* t. 8. a. 7. n. 2.

323. §. 2. Mappa non debet esse ex serico vel lana, sed ex lino, cannabe vel gossipio: partes tamen dependentes possunt aliter ornari, *Pasq.* q. 708.

324. §. 3. Una longa mappa potest servire pro pluribus, si duplicetur vel triplicetur saltem quoad illam partem, in qua est lapis consecratus, aut si totum Altare sit consecratum, in qua reponitur calix & patena, *Pasq.* q. 707.

325 §. 4. Sine necessitate celebrare absque ulla mappa est mortale: si autem adsit gravis necessitas, nullum est peccatum, *Pasq.* q 712. Hinc *Silv. Az. Suar. Laym. Tann. Tamb. Sporer* n. 379. dicunt in necessitate adhiberi posse non benedictam, quæ peracto Sacrificio redeat ad usus profanos.

326 §. 5. Antipendium potest esse ex asseribus vel alia materia coloribus inducta, *Jordan. Gob.* n. 290. Potest etiam relinqui nudum marmor vel lapis politus, quia seipso est ornamentum: putatque *Pasq.* q. 713. nullum esse peccatum celebrare absque omni ornatu & antipendio, maximè si fiat ex paupertate, sed *Quarti* dicit fore veniale omittere, si haberi possit.

327. *Q. 44. Quid circa vestes sacras, Corporalia, Purificatoria & alia paramenta sit præterea notandum.* R. seqq. §. 1. Humerale seu amictum non adhibe-

hibere est tantùm veniale in illis, qui non ad caput tegendum, sed in solis humeris ferunt, *Pasq.* q. 810.

§. 2. Si Parochus non haberet ullam Albam benedictam, posset die festivo celebrare in non benedicta, *Gob.* in Exp. t. 3. n. 323. 328.

§. 3. Cingulum, cujus nulla pars sufficit ad cingendum, amisit benedictionem, *Pasq.* q. 806. Pars sufficiens ad cingendum retinet benedictionem, & ad majorem commoditatem potest ei iterum innodari pars altera insufficiens, quamvis enim per hoc non recipiat benedictionem, tamen totum licitè adhibetur ad usum, *Aversa*, *Sporer* n. 413. Et licèt idem dicant plures, quamvis neutra pars de se sufficiat, tamen rectè cum aliis contradicunt *Aversa* & *Henao* n. 1809. Si Casula haberet ligamina, quibus Alba posset substringi, hæc servire possent loco cinguli, *Pasq.* q. 810. 329.

§. 4. Celebrare sine velo calicis, quando nullum habetur, non est peccatum, nam velum, manutergium, pulvinar pro libro requiruntur ob decentiam tantùm, nec benedicuntur. Bursa sive theca corporalis potest planè omitti, *Sporer* n. 400. 330.

§. 5. Non est mortale celebrare sine purificatorio, quando non potest facilè haberi, *Gob.* n. 314. Et cùm purificatorium non requirat benedictionem, potest pro eo adhiberi strophiolum mundum, quo tamen postea non ampliùs erunt tergendæ nares, *Suar.* *Aversa.* *Gob.* *Sporer* suprà. Debetque purificatorium primâ lotione ablui à persona sacra, *Pasq.* q. 784., qui cum *Suar.* dicit sufficere, si habeat primam tonsuram. 331.

332. §. 6. Putat *Suar.* mortale esse extra necessitatem celebrare sine palla calicis, sed hoc negant *Sot.* & *Rodriq.* Si autem desit, aut per quadrantem exspectari deberet, potest loco ejus ad tegendum calicem adhiberi aliud corporale, aut hoc deficiente, purificatorium aut etiam bursa. *Gob.* n. 316. *Sporer* n. 398.

333. §. 7. Mortale est nullum habere corporale, aut uti non benedicto, nisi excusat gravis necessitas, *Pasq.* q. 790. Putâtque *Dicast.* fore duplex mortale, si celebretur & absque Altari & absque corporali, cujus ratio dabitur nu. 1112. Posse autem corporale & pallam esse etiam ex cannabe, probat usus, *Gob.* n. 314. Etiam posse esse ex gossipio docet *Verric.*, & in Indiis talis usus est communior, *Virj.* a. 7. n. 3.

334. §. 8. Corporalia post primam lotionem lavari possunt à Monialibus vel laicis, quamvis *Suar. Bonac.* & alii dicant convenientius esse, ut tribus lotionibus laventur à persona sacra. Non est mortale, si laicus primâ lotione lavet: & sufficere esse Clericum tonsuratum dicunt *Suar.* & *Pasq.* q. 784. Neque peccatum est, secluso contemptu, si aqua primæ lotionis non injiciatur in sacrarium, sed in alium locum decentem. Unde nec erit mortale, si abluantur in fluvio currente, *Pasq.* q. 795.

335. §. 9. Si infirmus esset communicandus, & deesset alicui stola vel Alba, *Verju.* a. 6. putat fore mortale, sine uno horum ei Communionem porrigere, quia hæc videntur spectare ad reverentiam intrinsecam Sacramento debitam; sed probabilius est oppositum, quia non est positiva irreverentia, sed tantùm omissio majoris reverentiæ, & necessitas hominis, propter quem

institutа sunt Sacramenta, videtur excusare.

§. 10. Si paramenta non sint enormiter im- 336.
munda, est tantùm veniale in illis celebrare, quamvis foret ipsum corporale, *Marchant.* Imò usurpare vestes aut paramenta non munda, quando alia haberi non possunt, non est peccatum, *Suar* G *bat* n. 389.

§. 11. Vestibus sacris uti ad comœdiam pro- 337.
fanam vix vacat culpâ mortali. *Suar. Gob.* n. 389. Detritæ autem non sunt adhibendæ ad usus profanos, sed vel exurendæ, vel è majoribus faciendæ minores, v. g. ex Albis humeralia aut superpelliceum, ex Stola manipulus, *Tann. Gob.*

*Q. 45. Quid dicendum sit de casu, in quo mors* 338.
*intentatur Sacerdoti, nisi consecret extra Missam, sine sacris vestibus, sine Altari, calice &c.* R. Præter illa, quæ habet *Busenb.* hìc notanda sunt seqq. §. 1. Dixi p. 1. à n. 156. talem Sacerdotem gravissimè peccaturum, si verba consecrationis proferret sine intentione consecrandi, sed posse alia verba submissè dicere: possuntque de hoc plura videri apud *Henao* à n. 1776.

§. 2. Si mors intentetur, nisi celebret sine 339.
sacris vestibus, altari aut calice, *Caj. Nugn. Suar. Castrop. Fill.* t. 5. n. 148. *Verj.* t. 8 a. 6. dicunt celebrare non posse aut consecrare, quia est intrinsecè malum, eò quòd ista spectent ad intrinsecam reverentiam Sacramento debitam. E contrà *Az. Vasq. Valent. Sal. Becan. Bonac. Dian.* p. 11. t. 6. R. 15. & 25. *Pasq.* q. 701. *Gob.* t. 3. n. 339. *Reques.* d. 15. n. 65. *Sporer* n. 396. & 408. dicunt non esse intrinsecè malum, ideoque licere ex metu mortis, sed rectè notat *Avers.* q. 11. s. 13. casum in praxi vix habere locum, quia vix aberit contemptus fidei vel Religionis, qui si adsit,

erit illicitum. Videri potest *Henao* à n. 1784.

340. *Q. 46. Quid circa colorem paramentorum sit notandum.* R. seqq. §. 1. Rubricam de coloribus esse tantùm directivam nec inducere obligationem, præter citatos à *Busenb.* docent *Suar. Averf. Quarti* p. 1. tit. 18. dub. 1. Innuit tamen *Gob.* t. 3. n. 382. fore mortale, si in Paschate celebraretur in nigris: Color autem aureus sive croceus æquivalet omni colori, quia omnes ad illum concurrunt, *Quarti* dub. 2.

341. §. 2. In defectu adhiberi potest manipulus vel Stola diversi coloris & materiæ ab invicem & à casula, *Pasq.* q. 807. Addunt *Gob. & Sporer* n. 415. melius esse quocunque die celebrare in quocunque colore, quàm non celebrare, potestque facilè velum alterius coloris adhiberi, si non adsit ejusdem.

342. §. 3. Color *violaceus* adhibetur in Adventu, quatuor temporibus, & vigiliis omnibus non excipiendis: Festo S. Marci & in Rogationibus. A Septuagesima & per Quadragesimam In Missis de Passione, tempore belli, pro pace, iter agentibus, infirmis, & pro aliis similibus necessitatibus (excepto pro electione Papæ, tum enim est ruber) Festo SS. Innocentium, si non incidat in Dominicam; octava autem, aut si incidat in Dominicam, habet rubrum.

*Albus* color adhibetur die Jovis sancto. A Sabbatho sancto inclusivè usque ad vigiliam Pentecostes. Vigiliâ Epiphaniæ & in Epiphania. Festis SS. Trinitatis, Christi, B. Virginis, Angelorum, omnium Sanctorum, Sanctorum non Martyrum, Conversionis S. Pauli, S. Petri ad vincula & utriusque Cathedræ, stigmatum S. Fran-

Franciſci, SS. Joannis Evangeliſtæ & Baptiſtæ, omnibus dedicationibus, pro ſponſis.

*Ruber*, Vigiliâ Pentecoſtes, per Pentecoſten, quatuor temporibus poſt Pentecoſten: De Spiritu ſancto, De Cruce, De Apoſtolis, De Martyribus; in Decollatione S. Joannis Baptiſtæ, Feſto S. Joannis Evangeliſtæ ad portam latinam: In commemoratione S. Pauli.

*Viridis*, ab octava Epiphaniæ ad Septuageſimam excluſivè. Ab octava Pentecoſtes ad Adventum excluſivè.

*Niger*, in Commemoratione omnium fidelium: Die Veneris ſancto; pro defunctis ſemper.

§. 4. Color feſti ſervatur per octavam, quando fit de octava; & in Dominicis occurrentibus infra octavas, quamvìs officium & Miſſa ſit de Dominica. Excipe, ſi dominicæ infra octavam occurrentis color eſſet violaceus, tum enim adhibetur violaceus. 343.

§. 5. Quando infra octavas licebat facere de feſto ad libitum, ad ſummùm ſumebatur caſula & velum convenientia huic feſto, reliqua habebant colorem Octavæ, utì notant *Guyetus* & *Gobat* in experientiis tract. 5. num. 650. Litterâ X. *Dixi*, quando licebat, nam nunc prohibitum eſt, non quidem per Decretum 24. Januarii 1682. datum, quod retuli lib. 4. num. 1269.; illud enim tantùm loquitur de diebus octavis, non antem de diebus infra octavas, ſed per aliud Decretum datum poſtea 19. Januarii 1693., quod referam n. 2055., & eſt Decretum ibi 220. 344.

Q. 47. *Quid addendum ſit circa Calicem*, 345.

*pa-*

*patenam*, *ciborium*, *Hierothecam sive Monstrantiam.* &c. seqq. §. 1. Si calix stanneus sit antehac consecratus, v. g. ob paupertatem, certum videtur posse in eo celebrari, Synodus tamen Colonienſis anno 1662. habita mandat pagina 89., ut saltem omni mense mundetur & defricetur: Et idem est de calice ex ære aut quovis alio metallo, dummodo cuppa sit interiùs inaurata, *Pasq.* q. 767. *Gob.* in Exp. t. 3. n. 306. Et multò magis ex stanno, quamvis cuppa non esset deaurata, *Pasq.* q. 765. 770. Et licèt pes ejus esset plumbeus, *Gob.* suprà.

346. §. 2. Major difficultas est, an etiam nunc, quamvis non cogat paupertas, primò consecrari possit calix, si sit tantùm stanneus: Affirmat S. *Tho.* 3. p. q. 83. a. 3. ad 6. *Suar.* De Euch. d. 81. s. 7. concl. 2. *Bonac.* d. 4. q. ult. p. 9. n. 17. *Arr.* d. 55. n. 10. *Pasq.* q. 765. *Dicast.* de Euch. t. 5. d. 4. dub. 9. nu. 170. *Busenb.* suprà: Fundamentum sumitur ex Rubrica Missalis tit. De defectibus §. 10., ubi absolutè dicitur cuppam calicis debere esse auream vel argenteam vel stanneam. Huic opinioni contradicunt G. *Hurt. Lugo*, *Quarti*, *Tamb.* & alii, qui probant ex anteriore Rubrica Tit. De ritu servando §. 1., ubi dicitur calicem debere esse aureum vel argenteum, aut saltem habere cuppam argenteam deauratam. Rubricam tit. De defectibus explicant secundùm Cap. *Ut calix*, 45. De consec. Dist. 1., ubi statuitur, ut calix ex auro vel argento fiat, aut si quis tam pauper est, ex stanno: hinc plerique admittentes posse fieri

ex

ex stanno, expressè addunt, si paupertas postulet, uti *Laym.* L. 5. t. 5. c. 6. n. 12. *Præp.* De Euchar. q. 83. a. 3. dub. 5. & alii passim: Reliqui, uti *Azor, Regin. Fill. Castrop. Amic.* expressè referunt se ad Cap. *Ut calix*, ubi dicitur, *si tam pauper sit*: unde perperam citantur pro prima sententia, sicuti & *Gav.* p. 2, tit. 1. §. 1. litt. F. ubi tantùm dicit potiùs faciendum esse ex stanno, quàm ex ære vel aurichalco.

Puto utramque sententiam esse probabilem, per se loquendo, nam ex Rubrica tit. De ritu, non concluditur efficaciter, alioquin cuppa etiam argentea deberet intus deaurari, quod passim negant authores. *Dixi*, per se loquendo, nam si propter exemplum prævideretur futurum, ut passim in Ecclesiis usus calicum stanneorum invalesceret, putarem nullum consecrandum, sed requirendum saltem quoad cuppam argenteum, prout nunc habet communissimus usus, multùm conferens ad reverentiam & honorem sanctissimi Sacramenti, qui temerè & sine justa causa imminuendus non est. Notat tamen *Gob.* Theologos in magna paupertate nequidem repudiare plumbeum; admittitque etiam *Fagund.* ex ære vel aurichalco, dummodo cuppa sit inaurata, quam inaurationem, si sit stanneus, non requirunt *Tamb. Gob. Sporer* & alii communiter, nequidem sub veniali, quamvis præscribat Rubrica.

§. 3. Non est opus, ut patena sit ejusdem materiæ cum calice, debet tamen esse materiæ 347.

alicu-

alicujus, cujus debet esse calix, *Gob.* n. 317. *Sporer* n. 393. Attamen *Fill.* t. 5. n. 130. notat confici solere etiam ex aurichalco sive ære deaurato, saltem ex parte superiore, ùt habent *Sporer* suprà & *Aversa* q. 11. s. 13. §. *secundò*: Mandatque *Syn. Colonienſis* pag. 82., ut pixides, quibus hostiæ ad ægros deferuntur, sint ad minimum ex ebore vel stanno, non ligno nec ære vel cupro.

348. §. 4. *Trullench.* apud *Pasq.* q. 778. putat Ciborium debere consecrari, sed probabiliùs negant *Gav. & Pasq.*, quia in Pontificali Romano tantùm habetur benedictio, in qua nulla fit mentio chrismatis vel unctionis: si tamen consecraretur, utì morem esse Romæ dicit *Pelliz.* De Regular. t. 8. c. 5. n. 104., illi soli possent consecrare, qui calices, utì ex declaratione S. Congregationis habet *Novarius* in Lucerna Regularium v. *Benedicere* num. 3. Quamvìs autem non consecretur Ciborium, tamen de necessitate esse benedicendum, docent *Durand. Suar. Barb. Fill. Amic. March. Dicast.* aliique valde multi apud *Pasq.* suprà: E contrà esse tantùm de congruentia benedicendum, docent *Silv. Sot. Vasq. Bonac. Pasq.* & alii etiam multi cum *Sporer* n. 401. Quòd *Laym.* l. 5. t. 5. c. 6. n. 22. dicit esse usitatum in his partibus & valde decens, ut benedicatur: possuntque benedicere Superiores Mendicantium, utì & cætera paramenta, in quibus non intervenit unctio.

349. §. 5. *Dicast.* putat esse quidem decens, non tamen obligationem ullius legis aut consuetudinis, ut Ciborium continens particulas sacras collocetur supra aliquod corporale, sed *Gob.* n.

336.

336. rectè notat apud nos Germanos esse saltem consuetudinem, & re ipsâ est obligatio ad istam reverentiam. Claves tabernaculi nec relinqui debent in Sacristia, nec à laico servari, sed à solo Sacerdote, Sacra Congr. 22. Febr. 1593.

§. 6. Monstrantiæ benedictio non requiritur, *Laym.* tamen innuit benedici lunulas, quibus imponitur hostia consecrata: & *Quarti* consulit, ut benedicatur eâdem benedictione, quâ pyxis, sed *Pasq.* dicit nequidem de congruentia esse opus lunulam benedici, cùm pro hac non sit instituta benedictio : verùm cùm sit usus & decentia, videtur sequendum consilium *Quarti.* 350.

§. 7. Fieri debet aliquando renovatio Ciborii & Monstrantiæ, ne species nimiùm antiquæ corrumpantur vel muceſcant. Et si aura sit humida, faciliùs corrumpuntur, quàm si sit sicca, hinc tum non debet tamdiu exspectari, præsertim in hyeme. Meritò fit singulis mensibus. Quando autem renovatur Monstrantia, Sacerdos debet consecrare duas hostias majores, quarum unam ponat in Monstrantia, alteram sumat cum illa, quam è Monstrantia recipit, quia debet sumere hostiam de suo Sacrificio. 351.

*Q. 48. Quid præterea sit notandum circa benedictionem vestium, consecrationem vasorum & locorum sacrorum.* R. seqq. §. 1. Putant aliqui cum *Dian.* & *Pasq.* q. 840. Vestes & ejusmodi paramenta, imò & vasa per usum in Sacrificio etiam malâ fide factum substantialiter benedici, ideoque alium eis utentem non peccare, quamvis fateantur postea pro occasione esse ritualiter benedicenda, quod probabile esse dicit *Jordan.* & admittit *Gob.* de solis rebus Christum immediatè contingentibus: sed conformiter ad dicta 352.

n.281. meliùs contradicunt Lugo, *Dicast. Tamb. Aversa* q. 11. s. 13. *Sporer* n. 412. *Verj.* t. 8. a. 6. quia talis consecratio vel benedictio extraordinaria deberet provenire à voluntate Papæ, qui nunquam declaravit, imò si interrogaretur, certò reclamaret, maximè contra talem usum illicitum, quia *non est malitiis hominum indulgendum*, Cap. Plerumque, De Rescriptis.

353. §.2. *Aversa* §. *Sextò*. sic habet: *Abbates pontificalia exercentes, etiam Regulares, habent facultatem benedicendi sacra vasa, id est, sacrum lapidem & calicem cum patena &c. in quibus intervenit unctio sacri chrismatis: & habere adhuc hanc facultatem non solùm pro suis Ecclesiis sed etiam pro extraneis, defendunt A. Tamb Bordon. Gav. dicentes non fuisse per declarationes S. Congregationis revocatam hanc facultatem pro Ecclesiis extraneis quantùm ad hæc sacra vasa, quamvis revocata sit quoad sacra indumenta.* Prælati *Regulares habent facultatem benedicendi sacra ornamenta & indumenta, non autem sacra vasa, in quibus intervenit unctio sacri chrismatis..... Jam verò id non possunt Regulares pro extraneis Ecclesiis, ex declaratione S. Rituum Congreg. 24. Aug. 1609. & 18. Aug. 1629. Nec Episcopus potest absque licentia hanc benedictionem aliis delegare, ex S. Congreg. 14. Nov. 1615.* Hucusque *Aversa*. Docet tamen A *Tamb.* De Jure Abbatum d. 22. Superiores Ordinum mendicantiũ adhuc posse etiam pro extraneis, ubi est usus. Et *Sporer* n. 411. testatur Superiores sui Ordinis Seraphici bonâ fide id facere passim, permittentibus & sæpe ad eos remittentibus Episcopis. Scio etiam factum sæpius per Rectores Societatis JESU: Et idem innuit *Pelliz.* t. 2. tr. 8. c. 5. nu. 110. & absolutè docent *Tamb. Pasq.* q. 803. *Gob.* t. 3. à nu. 356.

Nomine

Nomine Rectoris autem in Societate putat *Lugo* in Resp. Mor. L. 4. d. 39. n. 6. venire etiam Rectorem Seminarii habentem sub se personas Societatis.

§. 3. An Abbates de Jure communi habeant, 354.
disputat fusè in utramque partem *Mendo* d. 13. q. 21. & concludit habere, vel ex privilegio, uti innuit *Aversa*, vel saltem ex consuetudine, uti habent *Zabar. Mend. Less.* in Auct. v. *Consecratio*, Casu 1.

§. 4. De consecratione Ecclesiarum, dictum 355.
est à n. 279. & de consecratione Altarium, à n. 300. & 309. De benedictione autem campanarum dicetur n. 406.

§. 5. Docent cum communi *Aversa & Gob.* 356.
n. 367., si vestis aliqua ita frangatur aut lacereretur, ut ampliùs non serviat ad usum, ad quem benedicta est, amittere benedictionem, uti si anterior pars casulæ à posteriori separetur, si Albæ detrahatur una manica, quamvis reassuatur, *Verj.* a. 6. Excipit *Aversa*, nisi manicæ ita fuissent ab initio aptatæ, ut globulis vel funiculis possent alligari & solvi, idem enim tum esset, quod de calice habente junctura tornatilem inter cuppam & pedem. Addit *Gob.* n. 369., si ex Alba fiant humeralia, probabilius esse, quòd hæc debeant de novo benedici, quia amiserunt benedictionem Albæ, neque adhuc habent benedictionem humeralis, fatetur tamen probabile esse, quòd sint benedicta, quia Alba & humerale unam habent benedictionem. Quòd si v. g. casula novâ telâ vel serico suffulciatur, non est opus novâ benedictione, uti nec tum, si talis aliqua vestis resarciatur, *Sporer* n. 397. De

cingulo, quando amitat benedictionem, dictum est n. 329.

357. *Q. 49. Quid notandum sit circa contactum sacrorum vasorum.* R. seqq. §. 1. Clericos solâ primâ tonsurâ initiatos tangere posse sacra vasa extra Sacrificium docent *Suar. Tamb. Quarti* & alii apud *Gob.* t. 3. à n. 329. contra *Fill.* t. 5. nu. 135. qui id negat, eò quòd tonsuratis hoc concedatur per privilegium: sed contrà est, nam multa privilegia conceduntur propter opiniones contrarias ad tollendos scrupulos: quamvis autem videatur esse consuetudo contraria non tangendi, tamen secundùm *Suar.* non obligat, quia introducta est ex errore, quòd esset prohibitio, quæ non est: & fatetur *Fill.* apud *Pasq.* q. 837. acolythis ministrantibus licere etiam in Sacrificio tangere sacra vasa vacua per concessionem *Martini* Papæ Cap. *Non liceat.* penult. dist. 23.

358. §. 2. *Sav. Sacra.* n. 3. dixerat sacra vasa vacua à laicis sine contemptu tangi, aut nullum aut leviſſimum esse peccatum: sed Magister sacri palatii correxit ac substituit non esse mortale, hinc *Pasq.* q. 328. n. 4. & alii dicunt esse tantùm veniale, si laicus vel mulier absque causa rationabili tangat etiam calices, purificatoria, corporalia: imò *Sot. Henriq. Sanch. Fagund. Tamb.* & alii putant nequidem veniale esse, uti refert *Pasq.* q. 838. ubi etiam notat ex *Laym. Sanch. Castrop. Quarti*, quibus consentit *Gob.* n. 328. laicis licitum esse tangere sacras Reliquias: an autem licitè tangant ceram Agni Dei, dixi l. 6. p. 1. nu. 225. Certò nequidem venialiter peccant laici, inquit *Sporer* nu. 406. si res sacras tangant, quæ nec immediatè attigerunt Corpus Christi, nec

sacro

sacro chrismate unguntur, uti vestes benedictas; item corporalia & purificatoria post lotionem, aut calices consecratos, priusquam adhibiti sint Sacrificio.

§. 3. *Sporer* n. 404. dicit Ordines mendicantes habere, ut omnes sui Religiosi, etiam laici, dum sacristæ officio funguntur, omnia sacra vasa, corporalia, purificatoria tangere & lavare possint. in Societate nostra Sacristani laici ex venia Superiorum licitè ista tangunt, sed Sacerdos, qui est Præfectus Ecclesiæ, non autem Sacristanus laicus, primò abluit purificatoria & corporalia, quibus adjici solent pallæ, quando lotione indigent. 359.

§. 4. Si sacra vasa actu contineant Corpus vel Sanguinem Christi, tangi possunt à solo Sacerdote & Diacono: quòd si inferior tangat, omnes communiter cum *Sporer* n. 403. damnant mortalis, quamvis *Ochag. & Gob.* n. 327. negent esse mortale. 360.

*Q. 50. Qualis debeat esse figura hostiæ consecrandæ.* R. §. 1. Græci in majore hostia utuntur figurâ quadrangulari; in minoribus, etiam triangulari: sed latini in utrisque utuntur orbiculari, de quibus doctè discurrit *Arcud.* in Concord. Occid. & Orient. Eccle. L. 3. c. 38. & Card. *Bona* Rer. liturg. L. 1. c. 23. n. 11. Estque hic mos sub præcepto servandus in utraque Ecclesia. Magnitudo hostiæ, quam sumit Sacerdos, apud latinos in diametro circiter tres pollices adæquat. 361.

§. 2. *Dian. Marchant. Tamb. Aver.* q. 11. s. 12. docent licitum esse Missam legere cum parva hostia secluso scandalo, si desit major, etiamsi non sit necessitas celebrandi, sed sola devotio: si 362.

tamen habeat majorem consecratam, putant multi hanc posse elevari, ut vitetur admiratio populi. Quid facere debeat celebrans, quando advertit hostiam esse fractam, dixi l. 6. p. 1. num. 432.

363. Q. 51. *Quid circa Missale & ritum celebrandi sit notandum.* &. seqq. §. 1. Non est opus, ut Missale sit benedictum: si autem in necessitate celebrandi desit Missale, satis est, si Sacerdos aliquam Missam in charta descriptam ante se habeat, *Tamb. Gob.* t. 3. n. 304. *Lohn.* p. 1. t. 3. §. 1. n. 6. aut ex memoria dicat, *Laym. Gob. Verj.* t. 8. a. 7. n. 6. *Sporer* n. 388. contra *Tann.*

364. §. 3. Si quis visu careat ad legendum Missale, possit tamen adhuc videre hostiam & calicem, nec periculum sit amittendi particulas aut irreverenter tractandi Sacramentum, dicere potest Missam, quam de memoria scit, nam non requiritur, ut quis Missali utatur, sed tantùm præcipitur, ut adsit in altari ad usum, si sit opus, Ut autem vitetur scandalum, debet Sacerdos talis omnia peragere cum Missali, atque si videret. *Gob.* n. 302.

365. §. 3. Sacerdos v.g. Dominicanus, si sit in missione, debet se accommodare ritui Romano in legenda Missa, saltem quoad illa, quæ exteriùs apparent, ut sit conformitas & non turbetur populus, *Verj.* a. 13.

366. §. 4. Sacerdos Coloniæ beneficiatus & residens, non potest legere Missam ex Missali Trevirensi, potest tamen semper & ubique uti Missali Romano tanquam matricis ecclesiæ, *Less.* in Auct. V. *Horæ canon.* Casu 7.

367. §. 5. Sacerdos ritûs Romani non potest nequidem in ecclesia Regularium uti Missali talis Ordi-

Ordinis proprio, peccatque graviter, si celebret alio ritu quàm suo, quem servare posset; *Pasq.* q.207. Unde quamvis *Præp.* dicat peregrinantes posse celebrare juxta ritum & consuetudinem Ecclesiæ, in qua sunt, tamen rectè contradicunt *Quarti* p. 1. t. 14. d. 4. & *Aversa* q. 11. s. 12. §. *Decimò*. quoad ritum proprium alicui Ordini vel Congregationi: hinc etiam Missæ, quæ non sunt in Missali communi vel tantùm conceduntur certis Regularibus vel in certis locis, non possunt ab aliis vel alibi dici nequidem in ecclesiis illorum Regularium, uti resolvit S. Congreg. 19. Nov. 1622. apud *Gav.* p. 3. t. 10. & *Aversam* §. *Quando*. contra *Castrop.*

§. 6. Peregrinus, qui servat ritum Roma- 368.
num, sive sæcularis sive regularis, licitè utitur ritu & Missali Diœcesis, in qua reperitur, *Con. Tamb.* & alii communiter: Neque *Pius V.* revocavit Jus commune, quo potest advena se conformare consuetudini Diœcesis, quam transit.

§. 7. Missalia habentia in Canone, *pro Rege* 369.
*nostro*, sunt quidem suspensa & prohibita, attamen censuit doctus Casista prohibitionem illam in praxi non observari, & nunc supponi posse illa Missalia esse cum authoritate excusa, cùm in Hispania & Gallia licitum sit hoc addere & uti ejusmodi Missalibus. Viri autem probi & docti etiam legunt, quamvis reperiatur, *pro Imperatore*, alium enim in Germania Regem nō habemus: unde etiam circa Missalia, quæ reperiuntur in pagis, & habent illud, *pro Rege nostro*, non videtur ulli faciendus scrupulus.

§. 8. Missale gallico idiomate impressum, 370.
est prohibitum hoc Decreto *Alexandri VII.*

Ad aures nostras ingenti cum animi mœrore

 pervenit,

venit, quòd in regno Galliæ quidam p erditionis filii in perniciem animarum novitatibus ſtudentes & Eccleſiaſticas ſanctiones ac praxim contemnentes, ad eam nuper veſaniam pervenerint, ut Miſſale Romanum latino idiomate longo tot ſæculorum uſu in Eccleſia probato conſcriptum, ad gallicam vulgarem linguam convertere, ſicque converſum typis evulgare, & ad cujuſvis ordinis & ſexûs perſonas tranſmittere auſi fuerint, & ita ſacroſancti ritûs Majeſtatem latinis vocibus comprehenſam dejicere & proterere, ac ſacrorum Myſteriorum dignitatem vulgo exponere temerario conatu tentaverint. Nos quibus licèt immeritis, vineæ Domini Sabbaoth à Chriſto Salvatore noſtro plantatæ, ejuſque pretioſo Sanguine irrigatæ cura demandata eſt, ut ſpinarum ejuſmodi, quibus illa obrueretur, obviemus incremento, earúmque, quantùm in Deo poſſumus, radices ſuccidamus, quemadmodum novitatem iſtam perpetui Eccleſiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, ſeditionis, ſchiſmatis aliorúmque plurium malorum facilè productricem abhorremus & deteſtamur, ita Miſſale præfatum gallico idiomate à quocumque conſcriptum, vel in poſterum aliàs quomodolibet conſcribendum & evulgandum, motu proprio & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris, perpetuò damnamus, reprobamus & interdicimus, ac pro damnato, reprobato & interdicto haberi volumus, ejuſque impreſſionẽ, lectionem & retentionem univerſis & ſingulis utriuſque ſexûs Chriſti fidelibus cujuſcumque gradûs, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris & præeminentiæ, licèt

licèt de illis ſpecialis & individua mentio habenda foret, exiſtant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo Jure incurrendæ perpetuò prohibemus, mandantes quòd ſtatim, quicumque illud habuerint, vel in futurum quomodocunque habebunt, realiter & cum effectu exhibeant & tradant locorum Ordinariis vel Inquiſitoribus, qui nullâ interpoſitâ morâ exemplaria igne comburant, & comburi faciant, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctam Mariam majorem, ſub Annulo Piſcatoris die 12. Januarii 1661.

Attamen non videtur illicitum, ſi Controverſiſta Catholicus faciat imprimi aliquam Miſſam gallicè vel germanicè redditam, ut hæreticis oſtendat in ea nihil contineri ſuperſtitionis vel indebiti cultûs.

*Q. 52. Quænam quotidie Miſſa legenda ſit.* R. 371.

§. 1. Legenda eſt Miſſa de die ſeu concordans officio, prout à Rubricis præſcribitur, niſi quis legere voluerit votivam vel de *Requiem*, utì dicetur à n. 495. nam nequidem votum de Miſſa alia contra præſcriptum Rubricæ legendæ, neque promiſſio ob acceptum ſtipendium obligat, cùm ſit de aliquo non licito aut ſaltem minùs laudabili, *Sennyei* De Miſſa n. 161. *Sporer* n. 431. Notátque *Gav.* p. 1. t. 4. ſæpius declaratum eſſe à S. Congreg., quòd Canonici, ut lucrentur præſentias, teneantur ad cantandam Miſſam de die: Secluſo tamen ſcandalo vel contemptu venialiter tantùm peccat, qui Miſſam unius diei legit pro Miſſa diei alterius, *Suar. Laym. Lugo, Dian. Tamb. Gob.* à n. 703. *Sporer* n. 429.

§. 2. Quivis Sacerdos licitè celebrat Miſſam 372.

secundùm publicum officium illius ecclesiæ, in qua celebrat, quamvis discordet ab officio, quod ipse recitat : non tenetur autem talem Missam legere, sed potest retinere conformem suo officio : estque melius & pro communi ædificatione se conformare publico ritui ecclesiæ, in qua celebrat, exceptis illis, de quibus in §. seq. *Tamb. Quarti, Sennyei* n. 155. Et quidem Capellanus Monialium non utentium Breviario Romano, quo ipse utitur, debet ex Missali Romano celebrare Missam conformem Breviario Monialium, vel saltem affinem, si non habeatur conformis, uti dicetur n. 376.

373. §. 3. Missas certis Religiosis concessas non possunt alii, qui ejus Religionis non sunt, legere; uti dictum est n. 367.

374. *Q.* 53. *De quo legi possit Missa, & specialim an legi possit de Sancto, de quo habentur Reliquiæ.* R. §. 1. Per se loquendo de eo legenda est Missa, de quo fit officium, de quo autem fieri possit officium, colligi debet ex dictis L. 4. à n. 1243. 1250. 1257. 1262.

375. §. 2. *Castrop. Quintanadv.* negant, *Tamb.* & alii cum *Pasq.* q. 277. dicunt Missam legi posse de Beatis necdum canonizatis, non tantùm in die festo, sed etiam votivam per annum; sed plures cum *Quarti* & *Gob.* in Exp. t. 3. n. 676. probabiliùs dicunt id licere tantùm in die assignato, nec licere extra eum diem in Missa alia addere commemorationem de tali Beato, uti nec Horas legere, secundùm Decretum, quod retuli L. 3. p. 1. n. 18. & 19. Notat autem *Gob.* de Martyribus Japonensibus posse Missam legi in ecclesiis Societatis eorum festo, quod ex Decreto S. Congreg. 25. Sept. 1629. extensum est ad Sacerdo-

cerdotes etiam sæculares, uti habetur in novo Compendio v. *Festivitas* §. 2. Attamen nequidem nos obligari ad talem Missam, notat *Gob.* nu. 677. contra *Tamb.*, quia Bullæ tantùm habent, *concedimus, licentia, potestas, possit* &c. nullum autem est verbum præceptivum. Potest tamen tale festum transferri, *Gob.* in app. ad n. 696. litt. O. ubi litt. AA. addit, nihilominus sibi Româ rescriptũ esse, quod specialiter festum *B. Stanislai* nobis sit de præcepto & non ad libitum. Posse autem hujus festo etiam Sacerdotes sæculares ad ecclesias Societatis confluentes habere officium & Missam de *B. Stanislao*, habet Bulla Beatificationis & Indultum *Clementis X.* 16. August. 1670., quod ampliùs explicatum est 30. Sept. 1671. Et quoad Missam idem est de festo *B. Aloysii*, uti habet Compendium privil. suprà §. 1. Quandonam autem nobis liceat in septimana legere officium & missam de *S. Ignatio*, dixi l. 4. n. 1248.

§. 3. Si Moniales habeant officium de Beato Ordinis, potest Sacerdos illis legere Missam de Beato eodẽ, sed ex Missali Romano de communi, quamvis Introitus, Graduale & Offertorium, quod chorus canit, discreparent, *Sylv.* p. 2. v. *Missa* Casu 3. Et 19. Nov. 1622., iterúmque 9. Jun. 1668. emanavit hæc declaratio: *Qui celebrat Missam in aliqua ecclesia Regularium aut etiam Monialium, in qua fit de festo duplici habente Missam propriam, quæ non sit concessa omnibus, Missam quidem dicat de festo, sed cum Missali Romano.* 376. 377.

§. 4. Potest legi Missa de quovis Canonizato, quamvis necdum relato in Martyrologio. Canonizatio autem differt à beatificatione, partim accidentaliter, eò quòd ad canonizatio-

nem adhibeantur plura examina, plures invocationes Spiritûs sancti, major pompa exterior; partim etiam veluti substantialiter, nam per beatificationem solùm permittitur cultus publicus & quidem cum multis restrictionibus, ita ut nec liceat pro privata pietate inserere Litaniis. Per canonizationem verò definitur talem cultum sancto deberi ab omnibus, *Gob.* in app. 1. ad n. 696. Litt. P. Q. Omnes autem Sancti, quorum nomina exprimuntur in Martyrologio Romano, sunt canonizati, vel ab Ecclesiâ communi vel à Papa vel ab Episcopis, hinc potest de illis in festo legi Missa, *Gob.* n. 673.

378. §. 5. *Quintanadv.* & *Gob.* num. 679. dicunt quamlibet ecclesiam posse (imò debere, si vera sunt quæ habet *Gob.* in App. 2. ad n. 696. Litt. EE. LL. RR. quamvis aliter loquatur postea in App. 3. Litt. O) singulis annis cum Missa & officio celebrare diem dedicationis suæ, etiamsi tantùm sit benedicta, sed si consecrata sit, verum est fieri debere, si autem sit tantùm benedicta, probabilius est cum *Pasq.* q. 271. nec debere nec posse fieri. Notant autem communiter Authores non posse sine consensu Sedis Apostolicæ diem consecrationis transferri, etiam ab illo Episcopo, qui consecravit, *Gob.* Litt. M. Si tamè alicubi facta sit talis translatio in alium diem, valet & potest manere. Quid autem veniat nomine ecclesiæ, & an etiam sacellum, explicat *Gob.* in App. 2. Litt. CC. & seqq. Quòd si sint duæ ecclesiæ, una nova, altera vetus, an hujus an illius dedicatio celebrari debeat, explicat in App. 3.

379. §. 6. De omni Sancto potest celebtari Missa cum officio sub ritu duplici in ea ecclesia, in qua habe-

habetur insignis Reliquia, secundùm dicta L. 4. n. 1250. 1260. Si autem non sit insignis Reliquia, dicunt aliqui posse haberi Missam & officium sub ritu semiduplici, sed probabilius est oppositum: docet tamen *Gob.* in App. 4. Litt. T. Episcopum posse id concedere, maximè si dubium sit, an Reliquia dici debeat insignis necne; insignes autem non dicuntur maxilla, auris, digitus, imò nec pes, secundùm aliquos. Et si Reliquiæ in particulas diffractæ sint, dummodo partes sint iterum unitæ vinculo vel glutine, sufficit, *Quarti, Lohn. Gob.* Litt. H., ubi Litt. I. citat *Neusser* contra se, meritò dicentem nullas Reliquias B. Virginis posse dici notabiles, cùm totum corpus illius sit assumptum in cælum, vestes autem & similia non censeantur insignis Reliquia.

§. 7. Ad habendam Missam & officium ob Reliquias, debet locus, in quo sunt Reliquiæ. esse ecclesia vel ejus sacristia, aut saltem vicinus locus ad ecclesiam spectans, & non sufficit esse sacellum privatum alicujus Laici, *Gob.* Litt. F. Sufficit autem esse ad hanc ecclesiam deportatas, v. g. ob metum militum, quamvis ad aliam ecclesiam spectent, *Gob.* suprà, qui Litt. G. & nu. 633. dicit Episcopum non posse dare potestatem certâ die legendi Missam de aliquo Sancto titulari, præcisè ratione insignis Reliquiæ ad aliquem locum translatæ, præter Missam quæ festo talis sancti legitur, sed contradicit *Neusser*, cujus sententiam etiam probabilem esse fatetur *Gob.* 380.

§. 8. Non est obligatio legendi Missam vel officium de Sancto, cujus habetur insignis Reliquia, 381.

quia, non enim dicitur debere sed tantùm posse legi, *Neusser*, *Gob.* Litt. H.

382. §. 9. Si festum Sancti, de quo habetur Reliquia, sit v.g. secundæ classis, posse eo die ob Reliquias evehi ad altiorem ritum primæ classis, docent *Quintanadv. Pasq. Gob.* suprà. Putat etiam *Neusser* festum de Reliquia posse transferri, si sanctus sit titularis, quia de eo ùt titulari agendum est in die festi.

383. §. 10. Ut Missa de Reliquiis & officium haberi possit, prærequiritur, ut Ordinarius illas approbârit, sic enim habet decretum L. 4. nu. 1250. relatum. Potest autem Ordinarius approbare extra Diœcesin existens, cùm sit actus jurisdictionis non contentiosæ. Quòd si saltem per decem annos culta fuerit talis Reliquia, non requiretur alia approbatio, *Neusser*, *Gob.* Litt. G. & H.

384. §. 11. Potest celebrari Missa & officium de insignibus Reliquiis approbatis, etiamsi sint ita mixtæ non approbatis, ut discerni nequeant, *Bonac. Trull. Neuss. Gob.* Litt. H.

385. *Q.* 54. *Quid circa Ministrum sit addendum.* R. seqq. §. 1. *Laym* L. 5. t. 5. c. 6. n. 13. & *Sporer* n. 390. non damnant eos, qui in Germania, maximè in pagis, ubi talis usus est & toleratur, celebrant sine Ministro, qui respondere noverit. Putantque probabile aliqui apud *Henao* n. 1628. posse celebrari sine Ministro, si aliàs multis diebus etiam tantùm ferialibus omittere deberes Sacrificium: quod *Suar. Lugo, Côn. Sylv. Aversa* q. 11. s. 9. *Sporer* nu. 389. dicunt saltem de festo, si aliàs non audires Missam: Quod magìs valet, ut Viaticum habeas pro moribundo.

386. §. 2. Si quis debeat se alere celebrando, po-

test

test tempore pestis sine Ministro celebrare, quando ab hoc esset periculum contagionis, *Pasq.* q. 340.

§. 3. *Sot. Palud.* & alii putant Eremitam perpetuò posse celebrare sine Ministro, & favet *Pasq.*q. 341., quia Ecclesia videtur id permittere propter perfectionem illius statûs; sed *Suar. Tamb.* & alii cum *Aversa* contradicunt, nullum enim pro eo reperitur privilegium, nec scitur de tali permissione Ecclesiæ. 387.

§. 4. *Silv.* & *Nugn.* putant peccari tantùm venialiter, si mulier ministret ad altare, sed contradicunt alii cum *Pasq.* q. 342. qui q. 343. cum *Gob.* n. 394. *Sporer* n. 392., aliisque communiter dicit melius esse celebrare sine Ministro, quàm permittere mulierem servire ad altare. Rationem dat *Sylv.* p. 2. v. *Missa* Casu 2., quia expressè prohibetur in Missali §. 10. De defectibus & Cap. *Inhibendum*, De cohab. Cler. & mulier. ubi sic statuitur. *Prohibendum quoque est, ut nulla fœmina ad altare præsumat accedere aut presbytero ministrare, & si mulier in ecclesia tacere debeat, ut habetur 1. ad Corinth.* 14., *multò magis abstinere à ministerio altaris.* Idem prohibetur in Synod. Colon. 1662. pag. 89. Cōtradicit tamen *Verj.* t. 8. a. 5. cum *Marchant.*, dicens contrariam praxin, ut nempe fœminæ ministrent, esse ita communem in missionibus, ut imprudentiæ foret eam condemnare, hinc absolutè dicit melius fore legere ministrante fœminâ quàm nullo, sed *Sporer* quamvis non damnet omnes, ubi consuetudo est, tamen meritò improbat; & reipsa hoc abrogandum esset. 388.

§. 5. Filii ante ordinationem patris legitimè nati possunt patri suo ordinato ministrare, prohiben- 389.

hibentur tamen sub mortali illud facere filii illegitimè nati, nisi occultum esset, quia tum cessat indecentia, *Pasq.* q. 389.

390. §. 6. Errores Ministri non sunt facilè in Missa ipsa corrigendi, nam corrigendo turbabit ordinem Missæ vel se ipsum vel circumstantes. Si tamen Minister aliquid non respondeat, Sacerdos ipse suppleat dicendo. *Gob.* t. 3. n. 399. *Quarti* q. præm. s. 2. p. 2., ubi docet Rubricas circa ritus ab alio quàm Sacerdote servandos esse solùm directivas, nec obligare sub culpa. Addit *Gob.* n. 402. si quis in summo altari celebret & Minister omittat pulsum ad *Sanctus*, moneri posse, ut quærat campanulam; si autem sub elevatione negligat pulsare, dissimulandum esse, quia tum admonere esset se ipsum turbare in sanctissimo mysterio.

391. §. 7. Illi, qui instruuntur pro ministratione Missæ, admonendi sunt, ut quâ voce Sacerdos celebrat, ipsi æquè altâ respondeant: Item ut integrè dicant ea, quæ ab ipsis dicenda sunt, sæpe enim miserè truncant exprimendo tantùm prima & ultima verba, ac delinquunt etiam Sacerdotes, qui antequam Minister edixerit sua, præripiunt verba ante finem nimiùm properando.

392. Q. 55. *Quid addendum sit circa lumen.* R. seqq. §. 1. Qui sine necessitate vel causa adhibet unicum tantùm lumen, peccat tantùm venialiter, *Bassæus*: Estque etiam probabile cum *Pasq.* q. 725. quamvis plures probabiliùs contradicant, quòd in gravi necessitate celebrari possit sine ullo lumine, quia non est secundùm se necessarium ob reverentiam, sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ, à quo excusat gravis necessitas. Et quia sæpe fit, ut quando pueri inserviunt, obliviscantur

tur accendere candelas, Sacerdos bene facit, si ad hoc se assuefaciat, ut ante Missam, quando disposuit Missale & redit ad medium, attendat, an candelæ ardeant; item an in altari sit Crux, quandoque enim etiam hanc non reposuerunt æditui.

§. 2. Si Missa sit cœpta cum lumine, & perducta post offertorium, quamvis adhuc sit ante consecrationem, si utrumque lumen extingnatur, nec possit reaccendi, probabilius est cum *Lugo*, *Leandro*, *Gob.* t. 3. n. 292. *Sporer* n. 381. contra *Fagund.* Missam esse continuandam, quia carentia luminis est minùs incommuodum, quàm talis abruptio. 393.

§. 3. Si inter celebrandum una candela extinguatur, non est sistendum, sed monito *Ministro*, ut reaccendat, pergendum, quia continuatio sine isto lumine est minus incommodum quàm illa interruptio: E contrà si utraque candela extinguatur & possit reaccendi, sed non statim, *Quintanadv.* putat non esse sistendum sed pergendum, dummodo ad altare ardeat lampas olei: Si autem hæc desit, dicit ante consecrationem esse exspectandum etiam ad mediam horam, post consecrationem autem nequidem ad quadrantem: Si verò statim possint reaccendi sive lampas ibi ardeat sive non, *Pasq.* putat melius esse pergere, quia continuatio *Missæ* est decentia intrinseca, quæ magìs curari debet, quàm extrinseca decentia luminis. 394.

§. 4. Quando lumen ex cera haberi potest, veniale tantùm est adhibere ex alia materia: Sebum tamen in defectu ceræ præferri debet oleo, *Pasq.* q. 726. 728. Quod si sebaceæ tantùm candelæ haberi possint, *Gob.* n. 291. & alii docent, 395.

cent, licitè posse celebrari etiam ex sola devotione.

396. §. 5. Profana candelabra possunt in Missa adhiberi. Quòd si desint candelabra, satis est adesse lumen, quia candelabra requiruntur non ratione suî, sed ob lumen, *Pasq.* q. 721.

397. §. 6. Nequidem est veniale lumine extincto recitare Evangelium S. Joannis, probabile enim est non esse partem Missæ, cùm dicatur post, *Ite Missa est*, *Quarti* & alii: Oppositum tamen etiam est probabile, hinc sub veniali requiretur saltem unum lumen.

398. §. 7. Quando distribuitur Communio, sub veniali ardere debet lumen, utì dictum est p. I. n. 489. Nullum tamen est peccatum non accendere specialem candelam post *Sanctus*, vel sub elevatione, *Sporer* n. 384.

399. *Q. 56. An licitum sit celebrare sine calceis, cum pileolo, ficto capillitio, baculo, annulo.* R. §. 1. Rubrica præscribit, ut celebrans sit calceatus. Non esset tamen mortale celebrare nudis pedibus, *Bonac. Aversa* q. 11. s. 13. §. *Septimò*. contra *Silv.* Imò nec veniale urgente necessitate vel rationabili causâ, *Pasq.* q. 824. *Gob.* t. 3. n. 386. *Sporer* n. 416. Et sufficit esse indutum crepidis.

400. §. 2. Celebrans debet esse capite nudus, Cap. *Nullus Episcopus*, De consecr. dist. 1. Putat tamen *Ledesma* non fore mortale legere tecto capite; quod *Diana* & *Spor.* putant probabile, aliquali tantùm causâ subsistente: *Silv.* autem dicit ex rationabili causa esse licitum: hinc *Vasq.* dicit omnes Sacerdotes, etiam Religiosos, in Polonia tegere caput usque ad consecrationem; ad quod *Suar. Fill. Rodriq. Laym. Bonac.* & alii cum *Spor.* requirunt licentiam Episcopi vel Prælati,

lati, sed *Gav. Aversa* §. *Tandem.* & alii dicunt neminem jam posse ad hoc dare licentiam præter Papam. Apud Chinenses tamen licitum est tecto capite, quia deregere est probrosum, & tegere est signum honoris, *Præp. Tamb. Verj.* Quòd si quis apud nos omnino sine gravi incommodo non posset aliter celebrare, tegere posset usque ad Consecrationem, & rursum post Communionem peractam, *Nav. Dicast. Gob.* n. 383. In dubio tamen de sufficientia causæ, dicit *Verj.* solum Papam posse dispensare, nam in Missali jussu *Urbani VIII.* reformato sic habetur, *nemo audeat uti pileolo in celebratione Missæ sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quâcunque contrariâ consuetudine.*

§. 3. *Verj.* t. 8. a. 8. dicit peccari mortaliter, 401.
si celebretur cum capillitio ficto sive perruca, sed de hoc dubitat *Pasq.* q. 832. affertq; rationes pro eo, quòd liceat in casu necessitatis vel rationabilis causæ, quia cum tali capillitio salvatur honor exterior, nam quisque ita tectus loquitur cum Rege vel Cæsare. Quidquid sit de ratione ista, saltem hoc jam est prohibitum per *Innoc. XI.* cujus Decretum in hac Diœcesi Colonienſi sic promulgatum est.

Cùm informato non ita pridem & consulto S.D.N. Papâ *Innoc. XI.* super rationibus & motivis, quare usus comarum adscititiarum in hisce rigidioribus partibus saltem apud illos, qui de S. Sedis Apostolicæ seu Legatorum ejus aut Episcoporum Diœcesanorum vel Vicariorum eorundem licentia longo temporis intervallo illis usi, iisdem sine præsenti valetudinis discrimine deinceps carere non posse dignoscerentur, modo & formâ juxta Edictum sub 14.

Mensis Decembris anni noviſſimè lapſi præſcriptis tolerandus videretur, ejuſdem ſuæ Sanctitatis hìc reſidenti Legato Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Archi-Epiſcopo Damaſceno renunciatum fuerit, *non eſſe mentem Sanctitâtis ſuæ, quòd Nuntiis Apoſtolicis aut Epiſcopis liceat licentiam Sacerdotibus concedere ejuſmodi comas in actu celebrationis geſtandi*: Hinc juſtiſſimis ſanctiſſ. Patris noſtri monitis devotiſſimè in omnibus obſequendo, revocatis cum hoc quibuſcumque aliàs etiam poſt emanatum prætactum Edictum obtentis licentiis aut conceſſionibus ſeu earum declarationibus, monentur omnes & ſinguli harum tenore ſeriò ac paternè in Domino, ut memores humilitatis & reverentiæ tam tremendo myſterio debitæ, Sacrificio Miſſæ aut Altari Dei nonniſi detecto ac nudato capite aſſiſtere præſumant, idque ſub pœna ſuſpenſionis à divinis officiis, aliiſque juxta ſuperius Edictum, cujus tenor in reliquis quoque quoad veſtium prohibitarum, annulorum, comæ & coronæ etiam Sub- & Diaconalibus Ordinibus proportionatæ geſtationem exactiùs quàm hactenus ubique obſervabitur. Signatum Coloniæ die 21. Martii 1689.

*Joannes Henricus Anethan. Epiſc. Hierap. Suffrag. & Vicarius Generalis Colonienſis.*

Non obſtantibus illis, videmus quotidie Sacerdotes celebrantes in capillitio ficto, qui putant ſe per hoc ſatisfacere conſcientiæ, ſi ita celebrent habito judicio unius vel alterius prudentis Medici, quòd aliter non poſſint abſque periculo gravis incommodi.

402. §. 4. Poteſt quis uti baculo, ſi ita ſit debilis, ut non poſſit celebrare, niſi quandoque illi innixus

nixus, nulla enim lex vel consuetudo vim legis obtinens id prohibet, *Vasq. Dicast.* Gob. n. 385. addens n. 745. si quis ita vertigine laboret, ut nequeat stare, nisi Altari innitatur utrâque manu vel alterutro brachio aut cubito, posse nihilominus privatim celebrare, non autem publicè, nisi ex necessitate.

§. 5. Usus annuli in Missa prohibitus est à S. 403.
Congreg. Protonotariis non participantibus speciale privilegium; item quibusvis Doctoribus & Canonicis Cathedralibus, etiam in dignitate constitutis, *Gav.* p. 2. t. 1. n. 6. Et hæc prohibitio renovata est in Synodo Colon. Anno 1662. pag. 89. etiam respectu Præpositorum, Archi-Diaconorum, Decanorum. Vide tamen dicenda n. 2075.

*Q. 57. Quid circa campanulam in Missa & cam-* 404.
*panas templi sit notandum.* R. seqq. §. 1. Campanula in Missa non benedicitur: Et illâ non datur signum tempore concionis, nec nisi ad *Sanctus* & utramque Elevationem.

§. 2. Docet *Silv.* p. 1. v. *Campana*, non esse 405.
licitum uti campanis benedictis ad monendum populum de re profana, v. g. quòd malefactor sit educendus ad supplicium, quia videtur indecens rem sacram adhibere ad usum profanum: sed necessitas excusat, si desit alius modus manifestandi aliquid populo, hinc passim fit, ut pulsetur campanâ in signum inchoandi vel finiendi laboris pro vindemia, item in signum orti incendii, adventantium militum &c.

§. 3. *Aversa* q. 11. s. 13. §. *Jextò* docet Abba- 406.
tes pontificalia exercentes habere facultatem benedicendi campanas etiam pro Ecclesiis extraneis, uti de aliis sacris vasis dictum est n. 353.

Et cùm eis benedicendis interveniat unctio sacri chrismatis, notant communiter Authores solum Papam id posse committere alteri non Episcopo: Dicitur tamen esse praxis in Coloniensi & Trevirensi Archidiœcesibus, ut committatur etiam Superioribus Ordinum mendicantium & Societatis JESU, quamvis eam praxin hactenus sequi noluerint in Diœcesi Monasterienſi in Westphalia, sed sub annum 1704. recurrerunt ad Nuncium Apostolicum, qui eam facultatem ad tempus dedit Vicario Generali, dum visitans obiret Diœcesin. De ritu benedicendi campanas videri potest *Rayn.* in Heterocl. Tom. 15. p. 2. s. 2. pu. 7.

407. *Q. 58. Quid universim notandum sit circa Rubricas.* R. seqq. §. 1. Rubricæ sunt aliquæ ordinationes seu directiones Ecclesiæ, secundùm quas aliqua sunt agenda: & quia rubro charactere sæpe scribuntur, dicuntur Rubricæ.

408. §. 2. Rubricæ, quæ sunt circa aliquid ad valorem Sacrificii requisitum, sunt præceptivæ & graviter obligant; uti & illæ, quæ graviter præcipiunt, aut expressè dicuntur esse observandæ sub mortali. E contrà multæ ex aliis obligant sub veniali tantùm, quando nempe non imponitur grave præceptum, neque materia est adeo gravis, specialiter tamen ordinant aliquid, quod ad debitam reverentiam spectat. Præterea etiam illæ sunt præceptivæ, de quibus dubitatur, an sub mortali obligent.

409. §. 3. *Gav.* putat dubium esse, an Rubricæ sequentes sint præceptivæ, an tantùm directivæ, nempe de principio auroræ & fine meridiei pro Missa legenda, de Cruce in Altari, de pedibus calceandis, de veste talari, de pileoli

usu

usu concedendo extra canonem, de orationibus ad vestes & post Missam, de missa privata ad arbitrium sine causa, de Missa non approbata nisi pro quibusdam Ecclesiis, de votivis vel *Requiem* diebus prohibitis, de orationibus additis ex devotione, de his enim omnibus Doctores utrimque disputant, sed quid de illis omnibus tenendum sit, dictum est vel dicetur per decursum.

§. 4. Quamvis Rubrica aliqua non sit præceptiva, sed directiva tantùm, putat tamen probabiliter *Quarti* contra *Tamb.* & *Gob.* in Exp. t. 3. n. 737. si absque causa non observetur, peccari venialiter, quia est neglectus temerarius rei meritò observandæ & deordinatio à communi sine rationabili causa, quod videtur esse saltem venialiter malum. 410.

§. 5. Quamvis contemneretur observatio Rubricæ, quia nempe levis est, adeoque etiam, quamvis contemneretur cæremoniæ levitas, adhuc esset veniale tantùm, *Sot. Laym. Tamb. Gob.* n. 738. Mortale tamen esset contemnere potestatem Ecclesiæ vel Papæ aut alterius Superioris hoc disponentis, uti dictum est L. 5. num. 242. 411.

*Q. 59. Quid notandum sit circa lotionem manuum, orationes ante & post Missam vel inter induendum dicendas.* R. seqq. §. 1. Manuum lotionem sub veniali præmittendam esse docent multi apud *Dian.* p. 1. t. 12. R. 19. quia facit singulariter ad reverentiam Sacrificii: Admittit *Gob.* n. 828. si manus essent immundæ, & addit, si in Missa advertas digitum atramento notatum, deterge ad *lavabo*, non tamen sollicitus sis de omni abstergendo, esset enim nimia mora: 412.

Si advertas post *lavabo*, perge, neque enim decet tum abluere nequidem salivâ, cùm non censeatur macula.

413. §. 2. Post Missam non lavare manus, nequidem veniale est, *Quarti* p. 2. t. 1. dub. 4. Et quamvis Rubrica dicat Missam ante lotionem manuum esse prævidendam, nullum peccatum est id non facere, *Lohner* p. 2. t. 1. q. 3.

414. §. 3. An & quanta sit obligatio orandi matutinum ante Missam, dictum est n. 230. Preces autem reliquæ ante Missam, quæ in Missali dicuntur *Præparatio*, non cadunt sub ullum præceptum, nam signantur dicendæ, *pro opportunitate. Suar. Castrop. Gav. Aversa* d. 11. s. 12. §. *Septimò. Quarti* dub. 4. Idem est de hymno, *Benedicite, Laudate*, & aliis precibus post Missam, *Tamb. Quarti, Bonac.* De Missa L. 2. c. 34. addens aliquos earum loco dicere, *Te Deum laudamus*, melius tamen est sequi Rubricam & dicere notatas.

415. §. 4. Omittere orationes inter induendum, *Nav. Az. Gav. Sylv.* & alii dicunt esse mortale: *Henriq. Rodriq. Castrop. Aversa. Gob.* n. 387. dicunt esse veniale tantùm: *Fagund.* dicit fore veniale, nisi earum loco dicantur aliæ preces, quod à quibusdam fieri testatur ipse, & non improbat: *Tamb.* De Sacrif. L. 1. c. 7. §. 1. *Quarti* dub. 8. *Pasq.* q. 819. nullum in hoc agnoscunt peccatum, quia dicunt se nullum invenire præceptum, putant enim Rubricam tantùm esse directivam; sed communis sententia rectè dicit esse veniale.

*Q. 60. Quid addendum sit circa omissionem partium in Missa.* R. Dixi in L. 3. p. 1. à n. 662. quomodo peccetur per omissionem hujus vel illius partis in Missâ audiendâ, quæ multò magis valent

valent de omissione partis in Missa legenda, hinc aliqua hìc addi debent.

§. 1. Partes Missæ sunt vel ordinariæ vel non ordinariæ. Ordinariæ sunt, quæ semper dicuntur, utì confessio, oratio, epistola, evangelium, præfatio, canon, pater noster, agnus Dei: Non ordinariæ sunt, quæ non semper dicuntur, utì *Gloria*, orationes secundariæ, *Credo*, pluralitas epistolarum vel sequentiarum, diversitas præfationum vel quorundam intra canonem.

§. 2. Omittere partem ordinariam, per se loquendo, est mortale; excusat tamen sæpe parvitas materiæ aut si non sit ritus ob speciale mysterium notabilis, hinc omittere Kyrie eleyson vel tractum non est mortale: Neque si omittatur psalmus *Judica*, etiam suppositio, quòd sit pars ordinaria, utì vult *Pasq.* q. 201. contra *Quarti*, qui meritò negat, cùm non dicatur in Missa pro defunctis, nec tempore Passionis. Similiter veniale tantùm est omittere ablutionem digitorum in Missa aut crucem super aquam, quia videntur esse non tanti momenti vel mysterii, *Quarti*. 417.

§. 3. Omittere in canone quamlibet orationem aut etiam aliqua tantùm verba omittere, variare vel corrumpere, ita ut mutetur sensus, est mortale, si autem non immutetur sensus, non erit mortale, quamvìs plura verba omittantur, v. g. plura nomina Sanctorum, *Fill. Dian. Aversa* q. 11. s. 12. contra *Nugn.* Quòd si verba in canone sint detrita, nec sciantur memoriter, nec nisi post longum tempus haberi possit aliud Missale, omittens excusatur, *Pasq.* q. 202. *Verric.* apud *Gob.* in Exp. t. 3. n. 763. 418.

§. 4. Si tot partes ordinariæ omittantur, ut 419.

simul constituant materiam notabilem, erit mortale, *Pasq.* q. 201. addens satis rigidè q. 202. fore mortale, si omittatur pater noster vel agnus Dei, quia singulæ hæ partes videntur constituere functionem gravem. Similiter putant *Suar.* & *Gob.* n. 746. fore mortale, si quis omittat fractionem hostiæ aut illius cum calice mixtionem, vel signa multa, quæ fieri debent super oblata: item omittere epistolam vel evangelium est mortale, *Gob.* n. 799. Imò si quis omittat solam affusionem aquæ in media Missa, peccat mortaliter, quia illa mixtio singulariter mysterioſa est, utpote significans effusionem sanguinis & aquæ è latere Christi mortui: Hinc *Aversa* §. *Quintò* putat sine illa ob nullam necessitatem celebrari posse. Etiam mortale est omittere purificationem patenæ & calicis post communionem, *Pasq.* q. 208.

420. §. 5. Est veniale tantùm omittere unam è partibus non ordinariis, v. g. *Gloria* vel *Credo*, *Fill. Dian. Lugo* contra *Aver.* §. *Sextò*, qui putat tum saltem esse mortale, si *Gloria* vel *Credo* omittatur in magna festivitate. Similiter tantùm veniale est, si omittatur, *Lauda Sion Salvatorem*, *victimæ paschali laudes*, *veni sancte Spiritus*, *dies iræ*, *Gob.* Imò *Quarti* & *Pasq.* q. 200. putant tantùm esse veniale, si multæ similes partes non ordinariæ omittantur, quamvis facerent magnam quantitatem, v. g. in quatuor temporibus si omittantur omnia *flectamus genua* cum omnibus secundariis orationibus, secretis & post-communionibus, item cum secundariis epistolis. Quòd si esset causa rationabilis omittendi v. g. nimia fatigatio vel debilitas, nullum foret peccatum, *Pasq.* q. 201. Etiam venialiter tantùm peccat,

peccat, qui omittit specialem præfationem, vel in canone speciale *Communicantes* vel *hanc igitur*, quæ certis tantùm diebus leguntur, dummodo legat ordinaria seu communia, *Suar. Fill. Gob.* n. 762. *Sporer* n. 426. contra *Averf.* qui putat esse mortale.

§. 6. Si quis principalem orationem omittat uno tantùm loco, est tantùm veniale: si autem omittat initio, & secretam & post-communionem, *Quarti* putat esse mortale. 421.

§. 7. Omittere aliquas benedictiones, cruces, deosculationes altaris, inclinationes, genuflexiones, est tantùm veniale, cùm non sint ritus graves, nisi constituerent simul partem notabilem Missæ: facere autem ea nimis celeriter aut nimis maturè, etiam est tantùm veniale, *Pasq.* q. 208. 422.

§. 8. Non uti vino sed solâ aquâ in purificatione est tantùm veniale, imò nullum peccatum, si celebrans sit abstemius, qui vinum horreat: Ad secundam autem abluuionem uti solâ aquâ nequidem veniale esse putant *Tamb. Quarti*, *Gob.* in hac verò non uti aquâ sed solo vino, putat *Lohn.* esse veniale, quia sic præscribit Rubrica; *Gob.* n. 853. negat ob praxin multorum, & quia Rubrica non videtur esse præceptiva circa aquam, quamvis enim præcipiatur purificatio & ablutio, non tamen præcipitur illius modus, *Quarti*. 423.

§. 9 Omittere Evangelium sancti Joannis aut aliud, quod post Missam legitur, est tantùm veniale, vel enim non est stricta pars Missæ, vel non est pars ordinaria aut notabilis. 424.

§. 10. Omittere partem notabilem eorum, quæ sunt propria Missæ solennis, est mortale, 425.

quamvis non cantetur ex obligatione, *Pasq.* q. 212. putatque *Fr. Lugo* sacerdotem peccaturum mortaliter, qui in Missa solenni omitteret omnia, quæ à choro & Ministris canuntur, *Card. Lugo* & *Averj.* putant peccaturum tantùm venialiter, *Gob.* n. 760. *Lohn.* p. 2. t. 10. n. 4. dicunt ad illa saltem teneri, quæ à choro canuntur, v. g. ad *gloria* & *credo*, quia illa non recitantur ab aliquo, qui ad illud munus sit ordinatus: *Sa* & *Sanch.* dicunt melius esse, si audiat epistolam & evangelium, quàm si legat, hinc *Tamb.* *Pellic.* *Quarti* ab omni peccato excusant omittentem ea omnia, si, dum canuntur, ad illa attendat, quia de eis recitandis nullum est præceptum, *Pasq.* q. 209. multos citat docentes nullam quidem ad ea dicenda esse obligationem sub peccato, addit tamen difficulter omittenda sine veniali, cùm sit usus ea recitandi, ideoque *Gob.* prudenter suadet, ut in his se accommodet consuetudini suæ patriæ vel ecclesiæ.

426. §. 11. Qui prævidet se non posse celebrare nisi omittendo aliquot cæremonias, debet collatâ inter se harum gravitate & causis celebrandi videre, sitne consultius sine his celebrare quàm ob harum defectum Missam omittere, *Suar.* *Tamb.* *Gob.* n. 743.

427. §. 12. Qui potest omnia peragere exceptâ elevatione hostiæ & calicis, potest his omissis celebrare privatim, quia defectus ille non est tantus, ut privet jure acquisito ad celebrandum: Non debet tamen celebrare publicè nisi in necessitate & populo admonito, ne murmur in eo vel turbatio oriatur, *Gob.* n. 745.

428. §. 13. *Llamas* negat peccare eum, qui celebrare vult præsciens se non posse recitare illa, quæ

quæ præcedunt evangelium, quia talis adhuc censetur legere Missam integram : sed de hoc judicet lector, inquit *Gob.* n. 763. quidquid autem sit, probabile est, quod dicit *Llamas*, quia qui ea non audit, quæ præcedunt evangelium, nihilominus Missam audit, ergo etiam verè dicitur legere Missam, qui reliqua legit; impotentia autem excusat à præcedentibus.

*Q. 61. Quid dicendum sit de illo, qui addit, commutat vel invertit aliquid in Missa.* R. §. 1. Addere collectam ultra præscriptas vix erit peccatum, excusat enim facilè causa aliqua vel devotio, *Pasq.* q. 215. contra *Gob.* in Exp. t. 3. n. 748. qui dicit sub veniali requiri causam peculiarem : Dicere autem *gloria* aut *credo*, cùm omittendum esset, est tantùm veniale, *Suar. Gob.* nu. 747. Excipit *Averja* q. 11. s. 12. §. *Sextò*, nisi fieret cum magna deformitate, utì si alerutrum diceretur in Missa de *Requiem*. Putat etiam *Sporer* n. 427. fore mortale, si notabiliter multùm adderetur ad Missam. 429.

§. 2. Non peccaret, qui sub longo cantu ad *gloria* vel *credo* modestè oraret vocaliter aut etiam recitaret parvas Horas, quas teneret memoriâ : Quod multò magìs valet de Diacono & Subdiacono in solenni Missa, *Caj. Tan. Gob.* n. 753. contra *Tamb. Lohn.* p. 2. tit. 10. n. 5. qui dicunt esse veniale, si celebrans faciat. 430.

§. 3. Intermiscere meditationem seu considerationem circa ea, quæ tum geruntur in Missa, nullum est peccatum, quamvìs fiat quædam interruptio : quia censetur esse moralis continuatio, cùm mens maneat applicata Missæ, *Nav. Quarti.* V. dicta n. 252. 431.

§. 4. Commutatio voluntaria precum in alias 432.

preces

preces non approbatas, si fiat in materia notabili, est mortale; si autem mutatio fiat in alias preces approbatas in Missali, v. g. unius epistolæ, evangelii vel præfationis in aliam, secundùm *Pasq.* q. 221. regulariter est veniale tantùm, quia non inducitur magna deformitas, qualis tamen esset, inquit *Aversa* §. *Nonò*, si evangelium Paschatis conjungeretur cum epistola defunctorum, aut alio simili modo.

433. §. 5. Mutare in alia verba Synonyma, putat *Quarti* semper esse veniale tantùm, quia per hoc etiam non inducitur magna deformitas, quamvìs *Pasq.* dicat in materiâ notabili etiam fore mortale.

434. §. 6. Imperfectè mutare actiones, v. g. breviorem crucem facere, inclinare os prope altare & non formare osculum, *Suar.* & *Quarti* putant esse veniale, quamvìs contradicat *Pasq.* q. 124., nullum in eo agnoscens peccatum.

435. §. 7. Quando dicitur *Missa* vel collecta contra Paganos, nomen Paganorum mutari non potest, dicendo Turcarum, hæreticorum, S. Congreg. 29. Junii 1689.

436. §. 8. Si quis loco Episcopi nominandi in canone nominet Generalem sui Ordinis, *Dian.* p. 2. t. 14. R. 4. dicit à Papa & S. Congreg. damnari mortalis, sed *Rodriq. Bordon. Tamb. Sporer* nu. 428. dicunt non constare de tali declaratione, adeoque non fore mortale, nisi fieret animo mutandi ritum, vel in contemptum Episcopi.

437. §. 9. Inversio partium ejusdem rationis est tantùm veniale, utì si recitetur una oratio vel una epistola ante aliam: quod probabile etiam est, licèt principalis oratio non diceretur primo loco. Si autem partes sint dissimiles, ex propo-

sito

sito eas invertere erit mortale, utì si evangelium legatur ante epistolam, in his enim est magna deformitas: & colligitur ex iis Doctoribus, qui volunt omissam unam partem *Missæ* non esse repetendam, *Pasq.* q. 222.

*Q. 62. Quid notandum sit circa expressionem verborum in Missa.* Bz. seqq. §. 1. Si quis notabilem partem verborum Missæ ita formet intra labia & dentes, ut secluso omni impedimento seipsum audire non posset, peccat mortaliter, quia non legit *Missam* vocaliter, nam oratio vocalis, prout à mentali distinguitur, debet habere sonum, omnis autem sonus est audibilis, cùm sit objectum auditûs, utì dixi L. 4. n. 1294. & docet cum communiore *Pasq.* q. 231. contra *Az. Tamb. Caram. Bass.* De Horis §. 2. *Quarti* p. 1. t. 16. d. 2. & alios apud *Dian.* p. 2. t. 12. R. 9. qui putant sufficere, quòd verba formentur per motum oris & linguæ, dicunt enim orationem esse non purè mentalem, ergo vocalem: quam sententiam *Gob.* nu. 813. videtur admittere ut probabilem: notantque *Nav.* & *Fill.* posse servire scrupulosis. 438.

§. 2. Si quis omnia, quæ dici debent altè, legat submissè, non peccat mortaliter, *Quart. Pasq.* q. 231. Peccare autem venialiter, docet cum aliis *Sanch.* in cons. L. 7. c. 2. dub. 8 n. 6. quia *Missa* est officium publicum, quod communicari debet cum populo, ut sic excitetur ad devotionem. *Pasq.* tamen q. 230. probabiliùs dicit nullo modo peccare celebrantem, dummodo ita altè exprimat verba, quæ altè dici debent, ut excedant terminos secretæ orationis, licèt populus audire non possit, eò quòd Rubrica id ordinans nullum contineat præceptum. *Quarti* dub. 439.

dub. 1. dicit Rubricam illam continere quidem præceptum, attamen esse nonnullos timoratos, qui voce omnino depressâ celebrant sine scrupulo peccati etiam venialis, quod *Sanch.* & alii admittunt, si quis non celebret coram aliis, fatentur enim tum satis esse, si Minister audiat ea, quæ altè dici debent. Quòd si quis celebret non in summo altari sed in laterali, *Nav.* & alii cum *Gob.* nu. 813. planè excusant à peccato, si omnia submissè dicat, ideoque *Beja* p. 1. Cas. 21. sic scribit: *In nostra religiosissima Lusitania, ut devotioni & contemplationi sacrificantium consulatur, in more est positum submissâ adeò voce privatas Missas dicere, ut nonnisi à Je solo sacrificans audiatur & ab eo, qui Missæ inservit, quoad ultima verba, quibus est responsurus.*

440. §. 3. Qui partem notabilem eorum, quæ submissè dici debent, recitat altè, secundùm *Gav. Quarti, Pasq.* peccat mortaliter: docent tamen communiter authores veniale tantùm esse ita altè proferre verba consecrationis, ut audiantur ad sex vel octo passus, si autem audiantur ad quadraginta passus, dicunt communiter omnes cum *Gob.* n. 69. esse mortale: Et universaliter quamvis ad decem tantùm passus audiri possint, si tamen magna pars populi soleat esse intra totidem passus, erit mortale, quia ratio, ob quam graviter prohibemur altè exprimere, hìc invenitur, nempe ne populus verba illa sciens postea temerè aut ad jocos eisdem utatur: nullum tamen erit peccatum, si ita altè proferantur, ut Ministri audiant, *Gav. Gob.*

441. §. 4. Mediâ voce, idest, nec omnino altâ nec omnino submissâ dicuntur, *Orate fratres, Sanctus* & quæ sequuntur usque ad canonem, *Nobis quoque*

*quoque peccatoribus, Domine non sum dignus.* Errant autem, qui altâ voce dicunt *Memento Domine, Omnis honor & gloria*, dici enim debent submissâ.

§. 5. Si ex nimia acceleratione causetur mutilatio ultimarum syllabarum aut syncope intermediarum, dummodo maneat sensus & significatio absitque scandalum, est tantùm veniale. Nullum erit peccatum, si fiat ex defectu naturali, *Quarti*, *Pasq.* q. 232. 442.

*Q. 63. Quid notandum sit circa distractiones in legenda Missa.* R. §. 1. Distractio quamvis longa extra canonem & sumptionem est tantùm venialis, *Tamb.* De Sacrif. L. 2. c. 3. n. 8. Diuturna sub canone est mortalis saltem ob periculum in eo committendi errores, *Tamb. Gob.* in Exp. t. 3. n. 817. Attamen *Diana* & *Bardi* non agnoscunt culpam adeo gravem, quamvis magna esset distractio & si absit periculum errandi, quod tamen vix aberit: probabile est quamcunque distractionem internam etiam sub consecratione vel Communione fore veniale tantùm, secundùm sententiam, quam retuli L. 4. à nu. 1341., nempe, quòd cum distractione interna consistat essentia orationis, & attentio interna non præcipiatur graviter: quam sententiam fusè defendit etiam *Quarti* p. 1. tit. 16. dub. 5. Ratio autem est, quia intentio virtualis, quæ tum manet, sufficienter dirigit omnes illas actiones facitque esse opus Religionis. 443.

§. 2. Si celebrans sub Communione distrahatur voluntariè, aliqui putârunt peccare mortaliter, tum quia Communio requirit parem cum consecratione reverentiam, utì habet *Tamb.*; tum etiam quia consumptio utriusque 444.

specie

speciei est de præcepto divino, qui autem sponte distrahitur sub actu à Deo præcepto, peccat mortaliter, inquit *Sanch.* in Conf. L. 7. c. 2. dub. 28. n. 8. E contrà *Gob* meritò dubitat de tanto rigore, præsertim cùm *J. Sanch.* apud eundem neget laicum mortaliter peccaturum, qui communicaret voluntariè distractus, nam sub tam brevi actione distrahi, ubi non est periculum errandi vel invalidandi Sacramentum, videtur manere intra terminos materiæ levis.

445. §. 3. *Ant. Molina* & *Cotonus* ita requirunt actualem intelligentiam & attentionem ad omnia, ut putent eum, qui recitaret v. g. *Credo*, & non recitaret significativè, id est, simul non eliceret internos actus fidei per illa verba significatos, peccaturum, quia mendaciter profiteretur se credere, cùm tamen non haberet actum formalem fidei. E contrà *Gob.* n. 823. probabiliùs dicit & multis argumentis probat sufficere ea dici recitativè seu historicè, nullum enim reperitur præceptum de hoc, ut eliciantur omnes affectus, quos verba continent, præsertim cùm Missa absque hoc sit vera oratio & actus Religionis.

446. §. 4. Pro retinendo animo collecto & excludendis distractionibus facile medium est, si Sacerdos consideret Missam tanquam memoriale Passionis Christi, considerando singulas actiones veluti repræsentativas alicujus mysterii Passionis, uti explicavi L. 3. p. 1. n. 661.

447. *Q. 64. Quid circa orationes, collectas sive commemorationes in Missa sit observandum.* R. seqq. §. 1. In festis duplicibus & diebus octavis, per se loquendo, tantùm est una oratio, nisi festa occurrant, de quibus addi debeat commemoratio

ratio. In semiduplicibus ordinariè sunt tres tantùm, nisi plures specialiter faciendæ sint commemorationes, vel addatur collecta ob publicam necessitatem, vel ad altare privilegiatum pro liberatione animæ.

§. 2. Tempore Passionis, item infra Octavas Paschæ & Pentecostes, si occurrat commemoratio de simplici in Missa de tempore, aut die infra octavam, tertia collecta omittitur: In omnibus autem Dominicis infra octavas communiter fit solius Octavæ commemoratio. 448.

§. 3. In Missa de festo simplici (idem est de feriis, exceptâ septimanâ Passionis & Palmarum) dicuntur tres vel quinque vel septem vel etiam plures, sed semper numero impari, *Gav. Arnaud. Lohner*, quamvis contradicat *Guyetus* in Heortologia l. 4. c. 21. q. 23. putans hunc numerum imparem non esse necessariò observandum, sed non est recedendum à communi. 449.

§. 4. Quando tertia est ad libitum etiam in semiduplicibus, sumi potest oratio *Fidelium* aut quæcunque alia in Missali, vel pro Vivis vel pro Defunctis tantùm, v. g. pro Patre & Matre: etiam ex quibusvis aliis Missis tam votivis quàm aliis: illa autem, quæ est liberè assumpta semper est ultima, exceptâ, *Fidelium*, quæ extra Missam *De Requiem* semper est penultima. Exposito venerabili Sacramento nulla fit Oratio pro Defunctis solis. 450.

§. 5. Præscripta ob publicam necessitatem potest esse tertia ad libitum, vel addi pro quarta. Quòd si tertia sit præscripta, addi debet pro quarta, *S. Congreg.* 2. Decemb. 1684. Omittitur autem in duplici primæ & secundæ classis, uti habet communior, quamvis *Piscara* admittat 451.

dici in duplici secundæ classis: Idem putat pro privata necessitate addi posse aliquam, & ita peritos respondisse, sed addit melius esse suam necessitatem commendare in *Memento*.

452. §. 6. Potest fieri commemoratio de Ss. Sacramento, si expositum sit, etiam in Missa de duplici, quod non sit primæ aut secundæ classis, S. *Congreg.* 2. Decemb. 1684.

453. §. 7. In privata Missa fit commemoratio, [illegible] illius, de quo in Laudibus facta est, exceptâ Dominicâ Palmarum & vigiliâ Pentecostes. 2. De feria majore & vigilia, si Missa sit de festo tum occurrente: In festo tamen primæ classis nihil fit de vigilia, nec de festo simplici, nec de die infra Octavam: attamen fit de feria majore, Dominica, die Octava occurrente. 3. In festo Sancti, si ad ejus altare celebretur, licèt de eo non sit Officium vel Missa, prima est de illo Sancto; secunda, de quo est Officium; tertia, quæ aliàs erat secunda. 4. In Missa solenni festo secundæ classis non fit commemoratio de simplici.

454. §. 8. Missa, quæ canitur etiam in pagis, censetur solennis, *Lohner*: non tamen si eam etiam in Dominica legat Parochus sine cantu. Missa secunda in Natali Domini, quamvis canatur, & festum sit primæ classis, habet commemorationem de sancta Anastasia, quia Rubrica absolutè ita præscribit.

455. §. 9. Quando fieri debent commemorationes festorum aut feriæ occurrentis, omittuntur collectæ secundariæ festis simplicibus aut semiduplicibus assignatæ, quæ, alioqui, si aliæ non assignentur, sumuntur ex Dominica de tempore,

456. §. 10. Quando officium fit de aliquo festo B. Vir-

B. Virginis, non fit commemoratio de alio illius occurrente festo, quod inde colligitur, quia sic habet Rubrica Breviarii in Dominica infra octavam Nativitatis B. Virginis, in qua legitur De festo Nominis B. Virginis: si dies immediatè sequens post festum Nativitatis sit Dominica, vesperæ dicuntur integræ de Nativitate sine commemoratione festi Nominis; si autem festum Nominis incidat in diem octavam Nativitatis, faciendum est Officium de Nomine B. M. absque commemoratione Octavæ: Consequenter si festum nominis B. V. transferatur in diem ante festum B. V. de Mercede, pridie fit Officium totum de Nomine sine commemoratione, & alterius diei Officium de Mercede incipit à matutino.

§. 11. Infra Octavas Paschæ & Pentecostes, secunda oratio est *Ecclesiæ* vel *pro Papa*: tertia non dicitur. Infra Octavas B. V. & omnium Sanctorum, 2. est, *Deus qui corda*: 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. Infra alias octavas, 2. est *concede*, 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*, utì & in vigiliis, quæ jejunantur, si fiat Missa de vigilia: Excipe vigilias Nativitatis Christi & Pentecostes. Quòd si in vigilia fieret de festo, v. g. semiduplici, 2. est de vigilia; 3. de tempore. 457.

§. 12. Orationes de tempore sunt: In Adventu, 2. *Deus qui de B. Mariæ*. 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. A Dominica post Octavam Epiphaniæ usque ad purificationem, 2. *Deus qui salutis*; 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa* post purificationem usque ad diem Cinerum, & ab Octava Pentecostes ad Adventum, 2. *A cunctis*; 3. ad libitum. A die Cinerum ad Dominicam passionis, 2. *A cunctis*; 2. *pro Vivis & Defunctis*. Septimanâ Passionis, 458.

item per Octavas Paschæ & Pentecostes, 2. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*; 3. non dicitur. Post Octavam Paschæ ad Ascensionem, 2. *Concede*, 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. In festis semiduplicibus & simplicibus ab octava Pentecostes usque ad Adventum, & à Purificatione usque ad Quadragesimam, 2. est *A cunctis*; 3. ad libitum. Ab Octava Epiphaniæ ad Purificationem, 2. est, *Deus qui salutis*; 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. A die Cinerum ad Dominicam Passionis, 2. de feria; 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. Ab Octava Paschæ ad Ascensionem 2. est *Concede*; 3. *Ecclesiæ* vel *pro Papa*. Octavarum Nativitatis Christi, Epiphaniæ, Corporis Christi, fit semper Commemoratio, etiam in festis 1. Classis, *Rubrica* dicens sic fieri in Missis sicut in Breviario, quod ita habet tit. De Octavis & commemorationibus.

459. §. 13. Ordo commemorationum in Missis servatur secundùm classem, in eadem autem classe servatur ordo secundùm dignitatem designatam in Litaniis, nisi aliud notetur in Missali. Festum simplex commune toti Ecclesiæ præfertur particulari simplici.

460. §. 14. Si occurrant eâdem die plures collectæ similes dicendæ, mutatur earum altera cum diversa vel ex proprio vel ex communi, ne bis dicatur eadem; v. g. si festum sancti Martini incidat in Dominicam 22. post Pentecosten, oratio secreta est eadem, hinc pro S. Martino accipi debet ex communi de Sanctis.

461. §. 15. Si infra Octavam propriæ Dedicationis facienda sit commemoratio alienæ Dedicationis, pro hac accipitur oratio, quæ est pro prima Dedicatione, & omittuntur ea, quæ soli primæ conveniunt.

§. 16.

§. 16. In oratione *A cunctis* nominari potest quivis S. Canonizatus sub N. Item videtur licere nominare duos, non plures, utì consuetudo Ecclesiæ habet. Addi potest cognomen S. ad distinctionem: si tamen Ecclesia orationem posuerit & non addiderit cognomen, etiam addendum non est à celebrante. 462.

§. 17. Extra Adventum, Quadragesimam & tempus paschale, primâ die cujuscunque mensis: item extra Quadragesimâ & tempus paschale omni die Lunæ loco Missæ conventualis pro defunctis addunt alii orationem, *Fidelium* penultimo loco, nisi isti dies primi impediantur duplici vel semiduplici, etiam ad libitum, tum enim pro die lunæ planè omittitur, pro mense autem transfertur in proximam diem non impeditam. Si autem prima dies mensis non impedita sit dies Lunæ, hac die dicendo satisfit utrique obligationi, quia fit, quod præscribitur utrâque rubricâ: sicuti si una lex vellet jejunari primâ die mensis, altera lex vellet jejunari primâ die Lunæ in quovis mense, si prima dies mensis esset Lunæ, & hac jejunaretur, satisfieret utrique legi. Quòd si vigilia incidat in primam diem non impeditam mensis, vel in similem diem Lunæ, secunda oratio est *fidelium*, quia rubrica vigiliam habet tanquam feriam, cùm in ea fiat officium de feria, in rubricis enim generalibus Tit. 6. de vigiliis n. 4. dicitur, *Officium vigiliæ totum fit de feria occurrente, ut in Psalterio.* 463.

*Q.* 65. *Quando dici vel omitti debeat, gloria aut credo.* R. §. 1. *Gloria* dicitur, quando in Matutino dictum est, *Te Deum laudamus*: excipe feriâ 2. & 3. Rogationum; item si Missa non concordet cum officio Horarum, utì in vigiliis, votivis, 464.

tivis, De *Requiem*: tamen dicitur in votivis An-
gelorum & B. Virginis in Sabbatho, uti recte
*Gav. & Gob.* t. 3. n. 722. in Votivis autem B. Vir-
ginis extra Sabbathum, non dicitur: item dici-
tur, quando legitur de Sancto, die, quo obiit, au
de Sancto, qui est titulus Altaris, licèt de his non
fit dictum Officium. Dicitur quoque in votiv
pro gravi & publica causa; item in solenni gra-
tiarum actione, si non sint paramenta violacea.

465. §. 2. *Gloria* non dicitur, quando in matuti-
no dictum non est *Te Deum laudamus*: excipe, in
cœna Domini & Sabbatho sancto, quibus di-
citur.

466. §. 3. *Credo* dicitur in omni Dominica, qua-
lecunque sit officium, & etiamsi Missa sit voti-
va, dummodo non sit de *Requiem*: item in so-
lenni votiva pro re gravi vel publica Ecclesiæ
causa, v. g. in precibus 40. horarum: item in
omnibus Dedicationibus: item in festis inci-
dentibus infra Octavas habentes *Credo*, non ta-
men in vigilia incidente infra Octavam, nec in
Rogationibus: item dicitur in Missa de Sancto,
cujus insignes Reliquiæ habentur in ecclesia, in
qua legitur Missa, si autem Missa fieret extra
hanc ecclesiam, non ideo dicitur, *Credo*, S. Con-
greg. 2. Decemb. 1684.

467. §. 4. Octavæ totæ habent *Credo*, si festum
habeat, quamvis officium non fiat de Octava.

468. §. 5. Regulariter MVC non credit, id est,
Martyres, Virgines, (& Viduæ) Confessores (ni-
si sint Doctores) non habent, *Credo*: tamen
*Credo* dicitur in festo Patroni Titularis eccle-
siæ, non autem capellæ vel altaris. Item dicitur
in festis principalibus Sanctorum apud Regu-
lares; non tamen Beatorum, nisi sit Missa solen-
nis

nis. Nec ideo dicitur, *Credo*, quòd expositum sit venerabile Sacramentum, *S. Congreg.* 2. Decemb. 1684. Nec dicitur in Sabbatho, quando Missa legitur de Dominica alioqui omittenda.

*Q.* 66. *Quandonam dicatur, Ite Missa est, & Euangelium S. Joannis.* R. §. 1. *Ite Missa est*, dicitur, quandocunque dictum est, *Gloria in excelsis*: si, *gloria*, non sit dictum, dicitur, *benedicamus Domino*: tamen in Missis *De Requiem* semper dicitur, *Requiescant in Pace. Ite Missa est* dicitur facie ad populum conversâ, *Benedicamus Domino*, & *Requiescant in Pace* facie ad altare conversâ. 469.

§. 2. Evangelium *S.* Joannis legitur in fine Missæ, 1. In omni votiva & de *Requiem*. 2. Etiam aliàs semper, nisi nona lectio fuerit Evangelium cum Homilia, quod Evangelium tum legitur in fine Missæ. 470.

*Q.* 67. *Quid specialiter notandum sit in Missis vigiliarum & quarundam feriarum.* R. §. 1. In Missis vigiliarum simplicium non dicitur *Gloria nec Credo*, licèt *Te Deum* dictum sit in Officio, quia Missa non concordat cum Officio. *Dixi* simplicium, propter vigilias Paschæ. Pentecostes &c. 471.

§. 2. Si in vigiliam incidat semiduplex, secunda oratio est de vigilia, tertia de tempore, non, *concede*, quæ aliàs secundo loco in vigilia dicitur. 472.

§. 3. In vigilia infra octavam, si officium est de Octava, Missa est de vigilia cum commemoratione Octavæ: Si officiū est de alio festo, Missa etiam est de hoc festo cum oratione secunda de Octava, tertia de vigilia. Excipe. si vigilia. Ss. Petri & Pauli vel S. Joannis venerit infra Octavam Corporis Christi, tum enim Missa est de Octava & commemoratio vigiliæ. 473.

474. §. 4. In vigiliis semper dicitur præfatio communis (excipe Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes (licèt sit infra Octavas habentes propriam uti videre est in vigilia S. Joannis occurrente infra Octavam Corporis Christi.

475. §. 5. Si vigilia impediatur à festo digniore, ultimum Evangelium est de illa, exceptis feriis Quadragesimæ vel quatuor temporum, tum enim legitur Evangelium feriæ.

476. §. 6. In feriis Adventûs, si resumatur Missa Dominicæ, omittuntur *Alleluja* & versus sequens. A Septuagesima ad Quadragesimam, si resumatur Missa Dominicæ, etiam omittitur Tractus.

477. *Q. 68. Quid observandum sit, si concio habeatur tempore Missæ.* R. §. 1. Concio habetur statim post Evangelium vel post *Credo*, si dicatur, & Rubricæ vetant, ne habeatur post oblationem. Quòd si celebrans ipse concionetur, depositâ casulâ & manipulo sedet ad cornu Evangelii, vel ascendit cathedram.

478. §. 2. Qui coram Episcopo loci sub Missa tantùm est concionaturus, circa initium Evangelii genuflexus petit ab illo benedictionem per, *Jube domine benedicere*, osculatâ Episcopi manu, postmodum in cathedra facit profundam Episcopo, aliis autem capitis inclinationem.

479. §. 3. Si venerabile sit expositum in concione, stat nudo capite, nisi velum interponatur ante Sacramentum; aliqui tamen volunt hoc tantùm esse observandum, si concionetur intra Chorum, in quo Sacramentum prostat, secus si cathedra sit in navi templi seu infra Chorum, *Lohner*; sed praxis habet, si inter cathedram & Sacra-

Sacramentum expositum nihil intercedat, ut concio fiat nudo capite

Q. 69. *Quid notandum sit circa inclinationes in Missa.* R. Seqq §. 1. Quadruplex est inclinatio, 1. solius capitis; 3. humerorum simul: 3. profunda seu medii corporis. 4. genuflexio. 480.

§. 2. Solius capitis inclinatio versùs crucem fit, quoties dicitur, *gloria Patri*, vel *Oremus*. Ad Gloria in excelsis, quando dicitur, *Deo*, *Adoramus*, *Gratias agimus*, *Jesu Christe*, *Suscipe deprecationem*. Ad *Credo*, Quando dicitur, *In unum Deum*, *Iesum Christum*, *Adoratur* Ante Præfationem quando dicitur, gratias agamus *Deo nostro*. Dum facit memento pro vivis ad *tibi gratias agens* ante consecrationem, & sub utraque consecratione. Post memento pro Defunctis, quando dicitur, *per eundem Christum Dominum nostrum*. In Quadragesima, quando dicitur, *humiliate capita vestra Deo*. Post, *Ite Missa est*, quando dicitur, *placeat tibi* S. *Trinitas*, & statim post, quando dicitur, *Benedicat vos omnipotens Deus*. Etiam fit, quoties abit vel redit ad medium altaris non habentis Venerabile expositum. Item quoties pronunciat nomen *Jesu* vel *Mariæ* vel *Sancti*, de quo celebratur, aut fit commemoratio. *Avendanno* apud *Gob.* tr. 3. in App. nu. 7 3 1. dicit etiam fieri ad nomina, *Trinitas* & *Venerabile Sacramentum*, quando de his legitur Missa. Si sub Evangelio, occurrat aliquod sacrum nomen, inclinatio fit versùs librum. Quamvìs autem *Lohner* dicat ad nomen Papæ etiam inclinandum esse caput, tamen hoc nullibi reperio præscriptum. 481.

§. 3. Humerorum inclinatio fit post psalmum *Judica*, quando dicitur *Deus tu conversus* 482.

*vivificabis nos.* Post oblationem, quando dicitur *In spiritu humilitatis & Suscipe S. Trinitas.* Ad *Sanctus* usque ad *Benedictus qui venit*, exclusivè. Ad *Agnus Dei* & orationes sequentes. Ad *Domine non sum dignus.*

483. §. 4. Profunda reverentia fit; quando accedit vel recedit ab Altari, quando ab Altari descendit ad infimum pedem volens Missam incipere; Ad *Confiteor*; Ad *Munda cor meum*; Ad *Te igitur clementissime Pater*: Post elevationem ad *Supplices te rogamus.* Denique quando sumit sacram hostiam. Sacerdos inclinatus, sub *Confiteor*, in sola Missa solenni movet corpus à sinistra ad dextram ad Subdiaconum & Diaconum.

484. §. 5. Genuflexio fit, quando transit, accedit vel recedit ab Altari, ubi est Venerabile expositum vel reconditum: Quoties accedit vel recedit à medio Altaris, & quoties se convertit ad populum & iterum ad Altare, ubi Venerabile est expositum. Antequam incipiat Missam ad altare, in quo est Venerabile saltem reconditum. Quoties in Missis privatis dicitur, *Flectamus genua*, vel in Missali ad marginem notatur genuflexio. In *Credo* ad *Incarnatus est.* Quoties post elevationē movet hostiam vel calicem. In fine Evangelii S. Joannis: ad *Verbum caro factum est.* Debet autem genuflexio fieri usque ad terram, non præproperè vel cum impetu, sed tardè & graviter. Ordinariè fit uno tantùm genu; aliqui tamen dum accedunt aut recedunt ab altari, & antequam incipiant Missam, ubi Venerabile est expositum, flectunt utroque genu.

Varia de honore, salutatione & reverentiis, quæ quandoque exhiberi debent magnatibus vel aliis, possunt videri apud *Steph. Grat.* t. 2. c. 284.

Q. 70. *Quid notandum sit circa benedictiones & ritus manuum.* &. Seqq. §. 1. Benedictiones aliæ sunt cõsecrativæ, utì illa, quâ benedicitur aqua: Aliæ invocativæ, utì si Pater benedicat Filio: Aliæ tantùm significativæ, & tales sunt illæ quas Sacerdos facit super species consecratas, significant enim Christum, qui ibi continetur, esse omnis benedictionis authorem. 485.

§. 2. Manus post consecrationem semper tenendæ sunt supra Corporale, aut deponuntur in illo; ante consecrationem autem ponuntur super altare, proximè ad Corporale. 486.

§. 3. Qui utuntur ritu Ambrosiano, Dominicanorum vel Franciscanorum, post elevationem extendunt brachia in crucem: Reliqui eo ritu non utentes nunquam manus extendunt ultra latitudinem corporis sive casulæ, quia non debent posse videri ab eo, qui esset directè post tergum Sacerdotis: Junctæ autem ita teneri debent, ut digiti altum respiciant. 487.

§. 4. Manus priùs elevatæ junguntur ad *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Veni sanctificator*, *Sursum corda*, & *Gratias agamus*, in Præfatione. Ad initium Canonis, *Te igitur*. Ad utrumque *Memento*. Ad benedictionem populi, *Benedicat vos*. Sine elevatione junguntur, quoties dicit, *Oremus*: quando ad populum dicit, *Dominus vobiscum* & *Orate Fratres*: Ad *Sanctus* in fine Præfationis: Post consecrationem, quando dicit, *De his donis*: Ad *Supplices te rogamus*: Ad *Sacrosanctum Filii tui Corpus*: Post orationes, quando dicit, *Per Dominum nostrum*, vel *Per Christum*: Si autem oratio claudatur per, *Qui vivis* vel *vivit*, jungit manus, cùm dicit, *In unitate Spiritûs &c.* 488.

§. 5. Manus junctas super altare tenet, post- 489.

quam

quam ascendit & dicit, *Oramus te Domine per merita*: Ad *In spiritu humilitatis & Suscipe S. Trinitas*: Ad initium Canonis, *Supplices te rogamus*: Ad orationes ante communionem: Ad *placeat tibi S. Trinitas*. Manus extensas super altare ponit, quoties osculatur altare: Ad *Per omnia sæcula sæculorum* ante Præfationem & *Pater noster*: Si legens Epistolam non applicet manus libro.

490. §. 6. Quando dextrâ signat aliquid in altari, tum ponit sinistram super altare: Si autem se ipsum vel alios signet admovet suo pectori, uti etiam ad *Mea culpa* in *Confiteor*. Quando autem sinistrâ movet aut vertit librum, deponit dexteram in altari.

491. §. 7. Cruces in Missa non fiunt manu plicatâ vel inflexâ sed rectâ & digitis conjunctis, S. Congreg. 4. Aug. 1663. Et formantur cruces, non signando manu quatuor quasi puncta in aëre, nec manu ductâ in circulum, sed per duas lineas, alteram rectam versùs Sacerdotem, alteram diametraliter transversam. Quæ super calicem fiunt, non excedunt pallæ magnitudinem; quæ autem fiunt super calicem & hostiam, simul incipi debent à labio extremo calicis usque ad spatium imminens primæ parti hostiæ versùs Sacerdotem, non debet tamen manus deprimi ad hostiam, sed rectà trahitur hæc crux æqualiter altè super calicem & hostiam.

492. §. 8. Quando sub Canone ad *Hanc igitur oblationem* palmæ apertæ super oblata extenduntur, aliqui cum *Lohner* tenent pollices infra palmas; alii, cum *Gav. Quarti. Diana* p. 3. t. 6. R. 104. ponunt supra palmas in formam crucis, dextero super sinistrum posito, & hoc dicunt decisum esse à S. Congregatione.

§. 9.

§. 9. Dum elevatur hostia, pollices, indices & musculi manuum junguntur, ut firmiùs teneatur hostia, tres autem ultimi digiti extensi adinvicem junguntur. 493.

§. 10. Quando Sacerdos post consecrationem ante communionem percutit pectus, facit hoc tribus tantùm digitis ultimis dextræ, quia pollex & index non debent post consecrationem tangere casulam, &c. 494.

*Q.* 71. *Quid notandum sit circa ritus oculorum.* 495.
℟. Seqq. §. 1. Oculi elevantur ad *Munda cor meum*, *Veni sanctificator*, ad oblationem hostiæ & calicis, sed offerens hostiam statim iterum deprimit in hostiam, offerens autem calicem tenet elevatos. Item elevantur oculi ad *Suscipe S. Trinitas*, *Te igitur clementissime*, *Gratias agamus*, dum dicit, *Deo nostro*, *Qui pridie*, dum dicit, *Elevatis oculis*: Quando hostiam & calicem elevat, hæc enim respicit, donec deponat. In fine ad *Benedicat vos Omnipotens*.

§. 2. Oculos demissos tenet, dum accedit vel recedit ab altari: Quandocunque se vertit ad populum: Sub utroque *Memento*: Post consecrationem plerumque conjiciuntur in hostiam, nisi occupentur in legendo. 496.

*Q.* 72. *Quid observandum sit circa Missas votivas.* 497.
℟. Seqq §. 1. Missa votiva est, quæ ex voto seu arbitrio Sacerdotis legitur præter directionem Rubricæ, & discrepanter ab Officio: Licita est autem votiva, si adsit rationabilis causa, alioquin non est temerè recedendum à Rubricâ & usu communi.

§. 2. Prohibentur votivæ, 1. diebus Dominicis & festis duplicibus, nisi sint ad libitum, tum enim licent, quia privilegium orandi Offi- 498.

cium

cium potest acceptari sine privilegio legendi Missam. 2. Infra Octavas Epiphaniæ, Paschæ & Pentecostes. Et per decretum *Clementis X.* 21. Jun. 1670. infra Octavam Corporis Christi. 3. Die Cinerum, Septimanâ sanctâ in vigilia Nativitatis Christi & Pentecostes, item in vigilia Epiphaniæ per S. Congreg. 27. Apr. 1698.

499. §. 3. Pro causa publica legi possunt etiam in duplicibus, si non sint primæ classis, *Gav. Dian.* & alii. Imò & in duplici primæ classis aut in Dominica vel festo de præcepto, si sit pro causa publica & Missa solennis, *Sennyei*: Necessitas autem sufficiens ad privatam votivam in duplicibus non primæ classis sunt preces 40. horarum, publica gratiarum actio &c. putantque *Henriq. Tann.* & alii sufficere quamcunque rationabilem causam, v. g. ut satisfacias fundationi: addunt *Ford.* & alii, si promiseris accepto stipendio, sed *Tamb.* & *Gob.* t. 3. n. 715. probabiliùs dicunt, quamvis jurâris aut voveris, te non teneri legere, quia nemo obligatur ad aliquid prohibitum, & æquè multùm prodest Missa de tempore. Putat tamen *Tamb.* excusare notabile incommodum, v. g. cui valde difficile esset legere Missam, in quâ est longa Passio, posset secundùm ipsum accipere votivam de Passione Christi. Præterea *Tamb.* & *Gob.* nu. 712. putant excusare singularem devotionem lecturi vel audituri talem Missam, sed optima devotio est se accommodare directioni Ecclesiæ per Rubricas.

500. §. 4. Licita est votiva, quando die feriali recitatur Officium Dominicæ omissæ vel anticipatæ. Putat tamen *Gav.* non debere tum dici loco Missæ principalis.

§. 5.

§. 5. *Angel.* & alii damnant cum mortalis, qui absque rationabili causa die prohibito legeret votivam, sed *Suar. Bonac. Pill. Regin. Dicast. Ford. Lohn Portel, Burgh* cent. 2. casu 5. aliique apud *Quarti* in q. procem. f. 6. p. 7. & p. 1. tit. 4 d. 5. dicunt Rubricas istas de votivis esse tantùm directivas nec obligare sub peccato. *Quarti* tamen & *Aversa* probabiliùs dicunt, dato Rubricas illas esse directivas, tamen fore veniale, si quis sine rationabili causa se ab illis, & à communitate difformet: imò si quis in Dominica sine rationabili causa legeret votivam solennem, putant *Suar.* & *Quarti* fore mortale, alii tamen meritò non agnoscunt tantum rigorem. 501.

§. 6. In votivis omittitur *Gloria* & *Credo*. Si tamen fit de Angelis vel de B. Virgine in Sabbatho, vel in die quo Sanctus obiit, vel in solenni pro causa publica, dicitur *Gloria*, nisi sint paramenta violacea, tum enim semper omittitur *Gloria*, uti & *Credo*, exceptâ Dominica, si fiat votiva solennis, aut etiam privata, tum enim dicitur *Credo*. 502.

§. 7. Infra Octavam non fit votiva de eo, de quo est Octava, sed dicitur Missa festi conveniens Officio cum *Gloria*. Quòd si sit infra Octavam v. g. B. Virginis, & fiat Officium de aliquo Sancto, pro votiva de B. Virgine dicitur Missa festi B. Virginis, sed extra Sabbathum sine *Gloria*, & semper sine *Credo*. Et idem est de Sanctis, inquit *Arnaudus*. Quòd si petatur votiva, v. g. de Pentecoste aut de Assumptione, putant *Quarti* & *Aversa* non esse legendam de diebus illis, sed votivam in fine positam de Spiritu S. & B. Virgine, voluntque multi idem fieri, quandò 503.

quando petitur de Sancto aliquo, sed alii cum *Lohn.* meliùs dicunt liberum esse hanc vel illam legere, præsertim quoad votivas de Sanctis, mutatis mutandis, v. g. mutando tò *natalitia* vel *festa* in tò *commemorationem*.

504. §. 8. In votivis semper dicitur psalmus *Judica*, item ad introitum & *lavabo*, *Gloria Patri*, etiamsi fit Missa de Passione etiam infra hebdomadam Passionis, S. Congreg. 10. Febr. 1647. In votivis privatis dicuntur orationes plures, uti in festis simplicibus, semper impari numero: Secunda oratio est, de quo fit Officium: Tertia, quæ aliàs fuisset secunda & hoc servatur etiam tempore Passionis & infra Octavas. In votivis tamen de B. Virgine tertia est, *Deus qui corda*, Et de sanctis Apostolis Petro & Paulo, si secunda esset *A cunctis*, loco ejus dicitur, *Concede*. In votiva solenni est tantùm una oratio, & si quis velit addere alteram pro gratiarum actione, utraque dicitur sub una clausula, non item in privata Missa, *Gav. Lohn.* contra *Quarti*.

505. §. 9. Præfatio dicitur propria, si habeat, aliàs de tempore vel de Octava vel de communi. Si fiat votiva infra Octavam Nativitatis Christi, dicitur præfatio de Nativitate, licèt votiva haberet propriam. Dicitur etiam *Communicantes* & *Hanc igitur*, si votiva dicatur infra Octavam, quæ illa habet propria. In fine semper dicitur Evangelium S. Joannis.

506. *Q. 73. Quid observandum sit circa Missas de Requiem.* R. Seqq. §. 1. Missa de *Requiem* licita est aut prohibetur iisdem diebus & temporibus, quibus votiva, potestque similis necessitas vel causa excusare, ut legi possit diebus aliquibus prohibitis, *Gav. Lohn.* Non legitur exposito Venerabili. §. 2.

§. 2. Præsente corpore licita est una solen- 507.
nis de *Requiem*, quamvis sit dies Dominica vel festum de præcepto, dummodo non primæ classis; si tamen non sit de majoribus primæ classis, docet *Sennyei* de Missa n. 184. licere, uti & die Jovis sancto ante, & Sabbatho sancto post alteram Missam solennem. Putat autem *Gav.* & *Arnaud.* non licere in talibus festis vel Dominicis plures privatas, sed contradicunt alii cum *Sennyei* n. 182. quia censetur tantisper suspensum officium diei, & scio alicubi id permisisse Vicarium Generalem in Sabbatho sancto. Verùm ad tollendum dubium S. Congreg 10 Jun. 1693. declaravit tanquam abusum abolendam consuetudinem celebrandi Missas privatas pro defunctis corpore præsente & insepulto his diebus, in quibus fit de duplici, vel de duplici fieri non potest, quod à fortiore intelligendum est de iis diebus, qui rejiciunt duplicia primæ classis, quales sunt ultimi in septimana Sancta, & omnes infra Octavas Paschæ & Pentecostes & aliquot alii. Præterea *Alexander VII.* 5. Aug. 1662. sub gravibus pœnis prohibuit Missas privatas pro defunctis in omni duplici, cujus decretum *Clemens XI.* innovavit 30. Aug. 1706. voluitque omnino observari Rubricam de non celebrandis Missis privatis pro Defunctis in duplicibus, eò quòd æquè utiles sint, quæ sunt conformes officio, cum applicatione sacrificii. Sed quamvis ista tam sæpe sint præcepta, attamen passim videmus non observari: quod improbandum est.

§. 3. Anniversaria de *Requiem*, aut de tertia 508.
& septima die dici non potest in festo de præcepto, nequidem solennis: S. tamen Congreg.

1. Sept. 1607. & 20. Jun. 1626. concessit pro implenda voluntate testatorum dici Missam de *Requiem* in festo duplici, quod non est de praecepto. Et notandum est decretum *Alexandri VII. Credite* 22. Jan. 1667. datum, & habetur ultimo loco inter ejus Bullas, quo declaratur niversaria & Missas de *Requiem*, si canantur, eas disposuerint Testatores, quorannis in ipsorum obitûs, non prohiberi etiam in duplici majore, Missas tamen privatas in eum finem Congreg. 28. Aug. 1627. & 21. Jun. 1670. non permisit legi in duplicibus, & quandocunque est officium excludens duplicia.

509. §. 4. *Alexander VII.* in eodem Decreto, *Credite*, dicit Missas in altaribus privilegiatis indebus, quibus non licent, quamvis non sint de *Requiem*, sed de festo currente, habere eandem vim & Indulgentias, quas haberet Missa de *Requiem*. Idem statuit etiam *Clemens IX.* & *Innocentius XI.* die 4. Maji 1688. Unde jam nulla rationabilis causa potest esse, cur in tali die prohibito petatur aut legatur Missa de *Requiem*.

§. 5. Si Missa Defunctorum certo die dicenda, v. g. anniversaria, vel de tertia aut trigesima die, incidat in diem prohibitum, transferri potest in diem sequentem S. Congreg. 27. Sept. 1607. *Durant.* tamen, *Corsettus* & *Rayn.* in Heter. Tom. 15. p. 2. s. 3 pu. 3. n. 43. rectè dicunt anticipari posse, ut citiùs succurratur Defunctis.

510.

511. §. 6. In Missa de *Requiem* omittitur psalmus *Judica*: Ad introitum Sacerdos non signat se, sed librum: Omittitur *Gloria Patri* ad introitum, *Gloria in excelsis*, omnis oratio pro vivis, vel pro vivis & defunctis simul: *Jube Domine benedicere*: *Dominus sit in corde*: Osculum libri post

Evan-

Evangelium, *Per Evangelica dicta, Credo*, Benedictio aquæ, *Gloria Patri*, post *levabo*, Percussio pectoris ad *Agnus Dei* sed manibus junctis, & non impositis altari additur, *dona eis requiem*, & ultimo, *sempiternam* Post *Agnus Dei* prima oratio pro pace omittitur. In fine loco *Ite Missa est*, dicitur versùs altare, *Requiescant in pace*. Omittitur benedictio populi, sed dicto *placeat*, & osculato altari, itur ad Evangelium S. Joannis, quod semper legitur. Communio non distribuitur in paramentis nigris, nec intra solennia cujuscumque Missæ, de *Requiem*.

§. 7. *Dies iræ* dicitur, quando est unica oratio; si autem sint plures, liberum est dicere vel omittere: semper legitur præfatio communis. 512.

§. 8. In solenni de *Requiem* est unica oratio, 513.
utì & festo Animarum, die depositionis & anniversaria, die tertiâ, septimâ, trigesimâ: in aliis autem Missis sunt plures, & in his oratio *Fidelium* semper dicitur, & semper est ultima. Quamvis legatur pro patre tantùm vel matre tantùm, in oratione dicitur, *Deus qui patrem & matrem*.

§. 9. Tertia dies numeratur à die sepulturæ: 514.
Inter diem tertiam & septimã, inter septimam & trigesimam legitur, utì aliàs, *Missa quotidiana*. Ante sepulturam, die tertiâ. septimâ & trigesimâ legitur Missa *De die obitûs sive depositionis*.

§. 10. Communis sententia hactenus habuit, quòd festo Animarum Missa ex intentione Ecclesiæ applicetur omnibus Defunctis in communi, legitur tamen Declaratio S. Congreg. data 4. Aug. 1663. quòd applicari possit tum in genere pro omnibus, tum in specie pro aliquibus defunctis. De Missa post festum Animarum legenda pro defunctis in Societate, dictum est 515.

nu. 170. Quandonam autem in Missa, quæ non est de *Requiem* addi debeat oratio Fidelium, dixi num. 463.

516. *Q. 74. An licitum sit pro vivo legere Missam de Requiem.* R. §. 1. Negant absolutè *Laym. Castrop. Garc. Tamb. Diana* p. 5. t. 13. R. 2. p. 9. t. 2 R. 19. *Aversa* q. 11. s. 12. *Mendo* diff. 13. q. 8., quia cùm illa pro defunctis tantùm sit instituta, non est immutandus hic ritus Ecclesiæ; imò tales Missæ non prosunt jam vivis, neque eorum effectus suspendi potest usque ad mortem illius, pro quo fiunt ergo malè leguntur. E contra *Nav. Fagund. Zerol. Barb. Lez. Hautinus Gob.* t. 3. n. 631. aliique apud *Aversam* suprà dicunt, licitum esse & pium, quod *Mendo* agnoscit probabile, & fusè defendit *Raynaudus* in Heter. Tom. 15. p. 2. s. 3. pu. 3. à n. 32. quamvis enim ista sint pro mortuis instituta, tamen ex natura sua etiam prosunt, si offerantur pro vivis, imò plùs quàm si pro mortuis, quia his tantùm prosunt per vim satisfaciendi, vivis autem etiam per vim merendi & impetrandi. Utraque sententia est probabilis, sed prima sensui communi & praxi Ecclesiæ conformior: Multa tamen exempla pro secunda affert *Rayn.* suprà.

517. §. 2. Si posterior sentia practicetur, omitti debent orationes, in quibus ille, pro quo legitur, dicitur esse mortuus, id enim foret mendacium: nisi fortè verba per intentionem celebrantis referantur ad tempus, quo mortuus erit. Videri potest *Henao* de Sacrif. d. 17. pag. 379. & *Rayn.* n. 34.

518. *Q. 75. Quid sit notandum circa Missas ad altare privilegiatum.* R. Seqq. §. 1. Quâ formâ concedatur illud privilegium, & quomodo ejus verba

ba sint explicanda, videri potest *Gob.* in Exp. t. 3. à n. 639. & *Sylv.* p. 2. v. *Altare privil.* c. 2. Conceditur autem, ut per Missam & applicationem fructûs è thesauro Ecclesiæ anima, pro qua legitur, & liberetur è purgatorio: unde in hoc consistit illud privilegium seu vis Sacrificii oblati, quòd per concessionem Papæ habeat ex thesauro Ecclesiæ annexam tantam satisfactionem, quæ pœnam ab anima luendam adæquet, vel sola, vel conjuncta simul cum satisfactione proveniente à Sacrificio, adeo ut ista Pontificis actio sit actus justitiæ commutativæ talis, qualis inter Deum & creaturam datur. Et hæ satisfactiones adjunguntur sacrificio, non per modum absolutionis, cùm Pontifex non habeat jurisdictionem in animam purgantem, sed per modum solutionis seu suffragii, quo non obstante dicendum est, quòd Papa hìc utatur potestate clavium, quæ se extendit ad utrumque modum satisfaciendi, *Pasq.* q. 729.

§. 2. Quando Papa exprimit, debere esse Mis- 519.
sam de *Requiem*, si legatur alia, non obtinetur Indulgentia. Si tantùm requirat Missam, *Pelliz.* & *Sylv.* c. 1. putant posse esse Missam aliam, sed *Quarti*, *Pasq.* q. 731. *Gob.* n. 650. ex declaratione Cardinalium dicunt, debere esse de *Requiem.*

§. 3. Si concedatur, ut liberetur anima etiam 520.
per aliam Missam, quàm de *Requiem*, addenda est collecta pro defuncto, exceptis festis primæ classis, *Gob.* num. 651. Estque probabilius non sufficere commemorationem pro defuncto sub solo *Memento*, quamvìs id putent *Nav. Bellarm. Garz. Castrop.* & alii apud *Gob.* 652.

§. 4. Privilegium altaris non censetur con- 521.
cessum nisi pro diebus deputatis, & quando per

Rubricas licitum est celebrare de *Requiem*, *Alviset* apud *Gob.* n. 654. ex declaratione Cardinalium. Quòd si Papa det privilegium lucrandi diebus alioqui prohibitis, putat *Sylvius* hocipso potestatem dari, ut illis diebus legatur de *Requiem*; sed oppositum constat ex dictis nu. 509. quia volunt per aliam Missam obtineri, quod obtineretur per Missam de *Requiem*.

522. § 5. Si in Brevi habeatur, ut quotidie ad tale altare legantur saltem septem Missæ, *Syl.* putat non obstare, si per accidens bis aut ter tot Missæ non legantur, dummodo aliàs censeatur semper fieri id enim intelligi debet moraliter, nam etiam die Jovis, Veneris & Sabbathi in septimana sancta non dicuntur tot Missæ.

523. §. 6. Si ecclesia, in qua est tale altare, destruatur, manente altari, perit privilegium, uti decisum esse testantur *Dian. Gob.* n. 657.

524. §. 7. Effectum illum liberationis animæ non esse absolutè infallibilem sed tantùm ex benigna Dei acceptatione, docent *S. Bonav. Rich. Dur. Caj. Cord. Bon. Laym. Amic.* & alii multi cum *Pasq.* q. 729 & *Dicast.* t. 9. dub. 18. quia Deus, qui est supremus Judex, non tenetur nec promisit se acceptaturum commutationem pœnæ debitæ. E contrà si impleantur conditiones requisitæ, esse infallibilem tenent *S. Tho. Ledesm. Sot. Valent. Con. Less. Fill. Castrop. Dian. Gran. Lugo Tann. Mendo* d. 13. n. 96. *Arr.* d. 15 s. 1. optimè *Suar.* d. 79. s. 10. ubi ostendit *S. August. Chrysost.* & *Cyrill.* idem sentire *Bellarm* L. 1. de Indulgentiis c. 14. neutram sententiam audet reprobare vocatque priorem valde rationabilem, posteriorem valde piam. Rationes utrimque fur

disc

discutiunt *Mendo* suprà & *Gob.* à n. 658. & iterum de Indulgentiis à n. 483.

§. 8. Quando in Bulla concessionis habetur dari privilegium, v. g. ad septennium, hoc septennium videtur incipere non à die gratiæ concessæ Romæ, sed à die publicationis factæ, quia Papa vult usum illius esse pro septennio, usus autem non est ante approbationē Episcopi & publicationem utì habetur in *Trid.* sess. 21. c. 9. De Reform. Ita senserunt hactenus Auctores, sed emanavit 525.

Decretum hoc S. Congregationis Indulgentiis & S. Reliquiis præpositæ.

Discusso dubio in S. Congreg. Indulgentiis & S. Reliquiis præposita: An attentis verbis, quæ in Brevibus Indulgentiarum apponi solent, *Præsentibus ad septennium tantùm valituris*, septennii initium à die publicationis Brevis desumendum sit. Eadem S. Congreg. die 18. Maji 1711. declaravit, non à die publicationis sed à die datæ Brevis septennii tempus incipere. Et factâ relatione SS. Domino nostro per me infrascriptum Secretarium die 20. ejusdem mensis, Sanctitas sua Congregationis sententiam approbavit.

I. M. Card. Gabriellius Præf. Raphael Cosmus de Hieronymis Secret. Romæ typis Cameræ Apostolicæ 1711.

§. 9. Probabile est privilegium altaris pro liberanda anima adhuc vigere pro Societate JESU, si ex concessione Generalis applicetur locis & personis per Provinciales designandis, nam Societas habuit privilegium illud, utì constat tum ex illis, quæ habet *Gob.* num. 651. 656. tum ex Responsis Romanis V. *Altare*, ubi dici- 526.

tur, illud altare esse privilegiatum quod Provincialis Denominaverit, ita ut etiam externi Sacerdotes in eo celebrantes possint liberare animam. Deinde additur Sacerdotes de Societate, quibus privilegium fuerit applicatum, posse liberare animam in quocunque altari legant Missam, & quamvis non de *Requiem*, dummodo addant collectam pro defunctis, hoc autem privilegium fuit perpetuum, nec videtur esse revocatum, ergo.

*Dices* 1. privilegia vivæ vocis, quale hoc fuit, revocata sunt per *Greg.* XV. & *Urb.* VIII. &. Quamvis L. 1. à n. 850. dixerim, revocata esse, & ibi n. 861. idem insinuaverim etiam de privilegiis quæ concernebant Indulgentias, tamen valde probabile manet hæc ultima privilegia non esse revocata, præsertim quoad Indulgentias pro solis defunctis, quale est hoc privilegium, nam nulla privilegia vivæ vocis concernentia Indulgentias esse per dictos pontifices revocata docent absolutè *Escob. Pelliz. Rordon. Peyrin*, ac probabile agnoscunt *Lez.* & *Gob.* tenueruntque velut probabilius Revisores Romani in resolutione data ad hanc provinciam 12. Sept. 1694. quorum ratio fuit 1. quia Cardin. *Lugo* testatus est ex relatione multorum fide dignorum *Urb. VIII.* post revocationem ultimam à se factam declarâsse non fuisse suam intentionem revocare Indulgentias vivæ vocis oraculo datas. 2. Quia in revocatione non fit expressa mentio de Indulgentiis, quæ cùm sint maximum privilegium, sicuti non censentur concessæ nomine aliarum gratiarum, ita nec censeri debent sublatæ per generalia nomina, nisi de illis expressa fiat mentio. 3. Quia Indul-

gentiæ

gentiæ nulli præjudicant, neque earũ usus vergit in detrimentum ecclesiasticæ disciplinæ, cujus observatio fuit finis & scopus Pontificum, uti exprimitur in Bullis revocatoriis

*Dices 2.* In præfatione novi compendii privil. Societatis dicitur, *porrò nullis aliis gratiis & privilegiis quacunque etiam communicatione Societati nostræ illa competant, quæ in hoc compendio comprehensa non sint, uti nunquam licebit*: hoc autem privilegium non comprehenditur in novo compendio; ergo. R. Non licebit uti, nisi specialiter communicetur à Generali, nam statim adduntur hæc verba *si tamen illorum usus* (id est aliorum privilegiorum, quæ hoc compendio comprehensa non sunt) *alicubi necessarius fuerit, is à Præposito Generali impetrandus erit*: hoc autem privilegium à Generali impetrant & nobis communicant Provinciales ergo.

*Q. 76. Quid specialiter notandum sit circa Missas in festo Nativitatis Christi.* R. Seqq. §. 1. Tres Missæ hac die permittuntur in honorem triplicis Nativitatis Domini, æternæ ex Patre, temporalis ex matre, spiritualis in anima justi. Notant autem *Bon. Barb. Gav. Lohn. Leand.* num. 447. nequidem Parochum in Natali Domini teneri ad tres Missas, quia est tantum permissio, & privilegium legendi plures, rectè tamen monent *Gob.* & *Sporer* n. 456. Parochum debere observare morem suo loco receptum. Addunt *Suar. Gav. Aversa. Leand.* has omnes Missas legi posse ante auroram: item qui unicam vult legere, posse quamcunque: suadent tamen *Arnaud.* & *Lohn.*, ut legat tertiam, quia oratio illius concordat cum officio; alii suadent, ut accipiat accommodatam tempori, quo legit, nempe si le- 527.

gat in nocte, ut accipiat primam, si in aurora, secundam, in pleno die, tertiam; quamcunque autem legat, si legat unicam, debet in ea facere commemorationem S. Anastasiæ. Nec licitum est legere duas Missas & loco tertiæ communicare more laico, uti dictum est n. 242.

528. §. 2. Communior praxis in Germania habet, ut in primis duabus Missis non fiat prima purificatio solius calicis, sed sumpto sacro sanguine, statim fiat ablutio digitorum supra calicem, interim tamen dicitur utraque precatio aliàs dici solita in purificatione calicis & ablutione digitorum, *Gav. Arnaud.* Vinum autem illud effunditur in aliud vas impositum corporali, & pallâ tectum, calixque extergitur. Romæ, Leodii & alibi alia est praxis, quæ ibi servanda est.

529. §. 3. Si jejunium esset fractum etiam inadvertenter, non debet ulterior Missa legi. Quandonam autem frangatur jejunium requisitum ad communionem, dictum est in p. 1. nu. 550. & à n. 566. ex quibus resolvitur hic casus: Titius in prima Missa incogitanter sumpsit in os quinque aut sex guttulas ablutionis, sed se reflectens & non audens vel exspuere, quia sacræ species erant admixtæ, nec deglutire, ne fracto jejunio impediretur ab aliis Missis legendis, tam diu in ore retinuit, donec ore salivâ repleto nihil ampliùs experiretur de vino, sicque deglutiit tanquam salivam. *Quæritur*, an manserit jejunus. &. *Sporer* dubitavit propendens magis, quòd fractum esset jejunium, quod omnino puto fractum fuisse, quia vinum illud non poterat dici se habere per modum salivæ, uti colligitur ex dictis p. 1. n. 566. Nec saliva illa videtur

tur potuisse sufficienter diluere vinum, adeoque dici debuit potiùs saliva descendere per modum vini, quàm vinum illud per modum salivæ.

§. 4. Quamvìs p. 1. nu. 459. dixerim guttas vini internè adhærentes, & non vicinas fundo calicis meliùs excludi ab intentione consecrandi, tamen in his duabus primis Missis meliùs in intentione includuntur, ne postea sumatur aliquid non consecratum & frangatur jejunium. Idem fortè suaderi posset de parvis partibus panis, quæ jacent in eo loco corporalis, unde postea colliguntur particulæ & cum sacro sanguine sumuntur, nam si non fuerint consecratæ etiam frangunt jejunium: sed quoad has Ecclesia non videtur tam scrupulosè requirere jejunium. 531.

*Q.* 77. *Quomodo defectus in Missa sint corrigendi vel supplendi.* R. §. 1. Defectus, qui non sunt circa substantiam Missæ, non sunt supplendi, si quis longè progressus sit, vel per hoc deberet invertere ordinem Missæ. *Pasq.* q. 297. *Gob.* in Exp. t. 3. n 777. Hinc longiùs progressus non teneris supplere omissionem orationis etiam in canone aut similis actionis, tum quia vix fiet sine nota, tum etiam quia omnia, quæ hìc dicuntur vel aguntur, ita sunt connexa, ut si à propriis locis extrahantur, non cohæreant, *S. Tho. Suar. Con. Bon. Castrop.* t. 22. p. 11. nu. 6. Addunt cum aliis multis *Gob.* n. 42. & *Quarti* q. proemiali s. 2. p. 2. & s. 6. p. 4. etiam ideo non teneri post errorem positum, quia Rubricæ de defectibus corrigendis sunt tantùm directivæ non obligantes sub culpa: Hinc si omisisti *Gloria* vel *Credo*, cùm dicendum esset, & aliquantùm es progressus, 531.

gressus, non est repetendum, *Suar. Gav. Gob.* Nec si paulò pòst recorderis, inquit *Marschan.* Imò nec si statim post *Oremus*, vel *Dominus vobiscum*, quia non fiet sine turbatione populi vel confusione celebrantis.

532. §. 2. Si quis initio omiserit aliquam orationem, quam dicere debebat, addat illius secretam & postcommunionem; si autem omiserit etiam secretam, *Lohn.* & *Gob.* n. 780. volunt omitti etiam postcommunionem.

533. §. 3. In dubio an aliquid non essentiale omiseris, nihil teneris repetere, consultum tamen est, si sit aliquid grave & non longè processisti, *S. Th.* & alii apud *Lohn.* p. 2. tit. 35. Et universaliter in dubio an aliquid non essentiale sit supplendum, hoc est eligendum, quod minorem admirationem & commotionem causabit in adstantibus, in ista enim actione debet Sacerdos ostendere se irreprehensibilem, uti ex *S. Tho.* & aliis notat *Pasq.* q. 297. in fine. Sic *S. Th.* 3. p. q. 83. a. 6. ad 2. ait, *Ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est, quod habet minus de periculo:* Et *Suar.* d. 84. s. 2. ait, *Si unusquisque in eo casu id faciat, quod magis expedire censuerit, non peccabit: illud solum præ oculis habendum est ut scandalum semper caveatur.* Itaque quia sæpe oriri potest Sacerdoti perplexitas in Missa, ita ut nesciat, quid potiùs facere debeat, *Suar.* suprà aliique multi cum *Pasq.* q. 210. num. 7. dant hanc regulam ut consideret, quidnam videatur esse minus incommodum & hoc bonâ fide faciat.

534. §. 4. Si suboriatur prudens dubium circa valorem peractæ consecrationis, putant quidem *Nugn.* & *Gob.* num. 791. celebrantem non teneri reiterare, si plùs propendeat in hoc, quòd nihil essen-

essentiale neglectum sit, sed oppositum tenendum est secundùm dicta p. 1. n. 123. Rectè tamen monent omnes cum *Aversa* q. 11. s. 16. non esse facilè admittenda ejusmodi dubia, cùm ordinariè sint scrupuli, & ideo etiam Rubrica p. 3. tit. 5. nu. 2. dicit iterandam esse consecrationem, si valde probabiliter dubitet se aliquid omisisse, *Pasq.* q. 318. dicit si probabilitas sit fundata.

§. 5. Putant *Tamb.* & *Gob.* n. 775. si dubium 535.
v. g. de sufficientia materiæ oriatur post consecrationem, Sacerdotem debere pergere & judicare omnia esse facta validè, quia est quædam possessio pro eo, quòd omnia fuerint sufficientia, talia enim antea habeantur, nec jam certò scitur contrarium. Sed oppositum meritò tenent *Aversa* suprà & *Pasq.* q. 301. quando dubium est prudens, alioquin Sacramentum relinqueretur in periculo non integritatis, in quo esset gravis irreverentia. Unde multò magis si prudens dubium oriatur ante consecrationem, vel deponi debet per aliam rationem prudentem, vel substituenda est alia materia certa, ne subeatur periculum invalidè consecrandi. Et si prior materia fuerit oblata, sumenda est cum purificatione calicis. Si haberi non posset alia materia certa, *Tamb.* De Sacrif. L. 2. c. 8. §. 5. putat posse pergere, si inceptus sit canon, quia cùm incepta sit velut substantia Sacrificii, videtur melius esse depositio dubio consecrare sub conditione, si materia valeat, quàm abrumpi: sed si haberi posset alia materia certa, petenda esset, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. Denique si probabile dubium oriatur post sumptionem, *Pasq.* q. 318. dicit, quamvis etiam

pro-

probabile esset materiam fuisse validam, nihilominus esse supplendam illam consecrationem, ne Sacrificium relinquatur in periculo non integritatis.

536. §. 6. Si nimis diu esset exspectanda alia materia pro supplendo defectu consecrationis in utraque specie, pergendum est omissis illis, quæ ad deficientem speciem pertinent, Rubrica enim dicit aliquamdiu exspectandum. Idem dicunt *Bonac. Gob.* nu. 400. *Lohn.* suprà, si materia alia per medium populum esset afferenda cum scandalo, sed *Vasq. & Aversa* §. *Sextò* recte notant hìc non esse periculum veri scandali dandi, quia homines tantùm judicabunt errorem casu interveniisse.

537. §. 7. Sacerdos latinus, si post consecrationem resciat panem fuisse ineptum consecrationi, potest pro complendo sacrificio uti pane triticeo fermentato, si azymus haberi non posset, & abiit scandalum, quia præceptum divinum de complendo sacrificio prævalet humano de adhibendo azymo, *Pasq.* q 47. num. 5. *Henno* nu. 1763.

538. §. 8. Qui aliquid omissum supplet, nil debet repetere, nisi quod omisit, dummodo id supleri possit se solo, quia nempe suam de se significationem habet, *S. Tho. Lohn.* suprà. Et suppletio consecrationis panis fit ab illis verbis, *Qui pridie*; calicis autem ab illis, *Simili modo*. Nec debet iterum elevare hostiam vel calicem, debet tamen præmittere oblationem saltem mente conceptam.

539. §. 9. Si post consecrationem utramque factam una tantùm è speciebus vel casu vel aliter deficeret, v. g. quia effunderetur totus sanguis, ita

ita ut nihil, nequidem quod lambi posset, remaneret, aut si sanguis veneno inficeretur, solum novum vinum esset offerendum & consecrandum, *S. Tho. Sot. Castrop. Avers. Tamb. Pasq.* q. 302. *Henao* n. 1745. E contrà si deficeret utraque species aut utraque veneno infecta esset, nihil esset supplendum, quia non remaneret Sacrificium, quod suppleri posset, & si celebrans suppleret, bis eadem die sacrificaret, nec consumptio, quæ postea fieret, compleret sacrificium præteritum, sed solum illud, quod de novo esset factum, *Pasq.* suprà, *Henao* n. 1742. Putant quidem probabile esse *Pasq.* q. 300. & 320. & *Quarti* p. 3. tit. 10. n. 6. dub. & concl. 1. quòd possit de novo consecrari utraque species, ne cultus ille ritualis Missæ, qui per se ordinatur ad complendum sacrificium, maneat vacuus & falsus, sed *Henao* nu. 1771. non acquiescit, nam si cultus ille fuit vacuus & falsus, quando ponebatur, non potest jam reddi alius; si talis non fuit, nec talis fiet, licèt omittatur consecratio. Quid autem faciendum sit, si utraque vel alterutra è speciebus consecratis constanter vel ad tempus transformetur aut dispareat, dixi p. 1. num. 475.

§. 10. Si neutra consecratio fuisset valida, hic defectus non esset supplendus, quia sacrificium ex nulla parte esset positum, unde si tum fiat utraque consecratio, reipsa priùs inchoabitur sacrificium, *Aversa* §. *Quartò*. 540.

§. 11. Si sacræ species vini fulminentur vel inficiantur veneno, purificatorium potest illis imbui, ut sic exsiccentur. Si Sacerdos unam vel utramque speciem removat, nihil est supplendum, uti rectè *Pasq.* q. 305. n. 4. contra *F. Lugo*, quia 541.

quia sacrificium est completum & communio peracta, quæ etiam habuit suum effectum gratiæ, secundùm dicta p. 1. n. 415. Et si nemo sit, qui tales species sumere velit, debent diluiaquâ, donec dispereant, & aqua illa excipienda est linteo, quod exsiccetur, *Gob.* & alii.

542. §. 12. Si hostia è manu decidat in sacrum Sanguinem & tota madefiat, non debet extrahi, sed dicantur omnia de more, fiantque utraque ceremoniæ supra calicem, & simul sumantur hæ species, dicendo, Corpus & Sanguis Domini nostri &c. Quòd si posset, deberet recipi pars hostiæ non madefacta ad ceremonias omnes circa illam perficiendas.

543. §. 13. Si Sacerdos, postquam ab altari discessit, adverteret defectum, v. g. se unam speciem non consecrasse validè, redire non debet nec aliquid supplere, quia prior actio jam censetur completa, *Pasq.* q. 298. n. 9. *Aversa* §. *Quintò.*

544. *Q.* 78. *Quid facere debeat Sacerdos, si sumens calicem advertat se pro vino habuisse aquam, aut dubitet, an non sit acetum.* R. Præter, illa quæ habet *Busenb.* relatus p. 1. n. 550. Notanda sunt seqq. §. 1. Si fuit aqua & aliquid illius in os sumpsit, hoc deglutiat, reliquum autem, si illi adhuc innatet particula hostiæ consecratæ, infundat alteri calici & reponat in corporali: si autem particulam illam simul hauserat, illud, quod superest, infundat vasi mundo postea sumendum cum prima ablutione. Deinde abstergat calicem infundat de more vinum & aquam, aut si velit, & maximè si parvæ quantitati aquæ adhuc innatet particula hostiæ, retineat hæc in calice & affundat vinum pro nova consecratione: quòd si multum aquæ supereset, potest partem effun-

effundere in dictum vas mundum, & cum aliqua aqua retinere partem hostiæ in calice, ac affundere vinum consecrandum.

§. 2. Putant multi cum S. *Tho.* q. 83. a. 6. ad 4. in eo casu iterum consecrandam esse novam hostiam, incipiendo à verbis, *Qui pridie quàm pateretur*, estque consultius, saltem si celebretur privatim, nam cùm species panis sint sũptæ, non videntur ampliùs posse conficere unum Sacramentum cum speciebus vini, quod necdum fuit positum in Altari, nec simul oblatum est. E contrà *Scot. Nav. Suar. Côn. Laym. Dicast. Aversa* q. 11. s. 16. §. *Octavò. Tamb.* De Commun. c. 2. n. 34. *Gob.* in Exp. t. 3. à n. 770. *Lohn.* De Sacrif. p. 2. tit. 35. aliique plures quàm 40. gravissimi Authores cum *Pasq.* q. 299. volunt tum offerri solum calicem & consecrari, incipiendo à verbis, *Simili modo*, quia Cap. *Pastoralis*, & Cap. *Presbyter* De Sacramentis non iterandis dicunt duo Pontifices in talibus non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Quod *Conf.* nam aliter non diceretur compleri Sacrificium inceptum sed aliud integrum de novo poni. Et utramque sententiam, si in publico celebretur, approbat Rubrica Missalis. 545.

§. 3. Quod attinet ad vinum, aliquantùm acescens, adhiberi potest sine ullo scrupulo, inquit *Gob.* n. 54. post *Suar.* est enim re ipsâ vinum, & praxis habet, ut etiam à viris probis & doctis adhibeatur, præsertim ruri. Si tamen esset ita acidum, ut prudenter dubitaretur, an esset acetum, tenendum esset, quod dixi n. 535. 546.

*Q. 79. Quomodo Missa aliquando sit per alium complenda.* R. §. 1. Quando celebrans ita infir- 547.

matur, ut pergere nequeat, quamvis Canon sit inceptus, imò & forma primæ consecrationis, si hæc necdum absoluta sit, nihil debet per alium suppleri, quia nulla pars Sacrificii adhuc posita est, *S. Tho. Pasq.* q. 324. *Aversa* q. 11. s. 16. §. *Quare*, contra multos alios. Si verò consecravit saltem unam speciem, alius si adsit jejunus, aut in defectu etiam non jejunus Sacerdos, supplere debet, ne Sacrificium sine altera consecratione vel sumptione maneat substantialiter incompletum.

548. §. 2. Si celebrans deficiat post sumptionem utriusque speciei, nihil est supplendum, quia expleta est tota substantia Sacrificii. Si deficiat post sumptionem solius Corporis Christi, *Bonac.* putat nihil opus esse suppleri, sed calicem postea posse sumi in alia Missa, quia videtur essentialiter posita substantia Sacrificii: sed alii cum *Aversa* suprà & *Pasq.* q. 325. meliùs contradicunt, quia de substantia Sacrificii est etiam utraque sumptio.

549. §. 3. Omnes, etiam excommunicati & irregulares, si alii desint, tenentur hìc supplere, quando possunt sine gravissimo incommodo, quia videtur esse minor irreverentia, quàm non compleri Sacrificium, *Pasq.* q. 330. contra *Henriq. Sot. Sa* & alios. Hinc *Tamb.* De sacrif. L. 2. c. 8. §. 1. n. 2. dicit quærendum esse, qui etiam post sex vel septem horas suppleat: E contrà *Gob.* in Exp. t. 3. nu. 806. putat non esse diutiùs quærendum quàm per unam circiter horam, & consentit *Pasq.* q. 328., dicens non longum tempus debere intercessisse, sed requiri unum tempus morale, alioqui censendum non esse unum Sacrificium. Unde quia *Sa* v. *Missa.* n. 38. docue-

docuerat etiam sequenti die esse ab alio pergendum, ubi prior desierat, & sic complendum Sacrificium, hoc correxit Magister sacri palatii rectè volens sequenti die sumi in alia Missa, quod supereresset, quia peracta est actio tota hesternæ Missæ, nec censeretur esse idem Sacrificium : potestque de hoc videri *Henao* Parergo 20.

§. 4. Secundùm *Pasq.* q. 332. obligatur sup- 550.
plere etiam existens in peccato mortali, de quo conteri non posset, putat enim minorem esse irreverentiam Sacrificium fieri vel sumi in mortali, quàm relinqui imperfectum.

§. 5. Si Episcopus ordinans Sacerdotes de- 551.
ficiat post consecrationem solius panis, nec haberi possit alius Episcopus, secundùm *Amicum* & *Henao* à n. 1791. posset alius veteranus Sacerdos substitui & præire neo-presbyteris in consecratione calicis, ne turbentur vel errent. Si autem Episcopus deficeret post consecrationem utriusque speciei, possent soli neo-presbyteri pergere, uno illorum postea ad aram sumente utramque speciem, *Diana* p. 8. t. 1. R. 44. *Averja* q. 10. s. 2. §. *sic ergo* : Alius autem Episcopus deberet illis imponere manus pro accipienda potestate absolvendi à peccatis.

§. 6. Si Sacerdos in infirmitatem lapsus 552.
posset sumpto, v. g. jusculo ad vires revocari, melius esset hoc fieri & ab eo etiam non jejuno compleri Sacrificium, quàm substitui alium quamvis jejunum; præceptum enim ut sit idem, qui incipit & perficit, prævalet præcepto jejunii, *Gob.* suprà.

§. 7. Si dubium sit, an prior Sacerdos ali- 553.
quid consecrârit, potest consecrari nova mate-

ria absolutè & prior sub conditione, uti habent S. *Tho. Sot. Silv. Bonac.* Dicunt tamen *Dicast. Quarti, Pasq.* q. 326. melius esse solam priorem sub conditione consecrari.

554. §. 8. Convenit, ut Sacerdos supplens secundam consecrationem faciat intentionem secundùm intentionem illius, qui defecit, cùm enim Sacrificium jam ex parte sit positum ex illa intentione, quæ mutari non potest, congruum est, ut ex eadem compleatur. Si tamen supplens absolutè vellet aliam intentionem, rectè docent *Aversa* §. *Debebit.*, & *Sporer* nu. 349. hujus intentionem prævalituram, quia effectus non confertur, nisi expletum sit Sacrificium; & sicuti si Sacerdos deficiens mutâsset intentionem ante consecrationem calicis, posterior intentio prævaluisset, ita etiam prævalet intentio supplentis.

555. §. 9. Potest dari, attamen non est obligatio dandi partem hostiæ consecratæ Sacerdoti, qui defecit. Si tamen deesset alia hostia, & muniri deberet viatico, danda illi esset pars, *Pasq.* q. 334.

556. *Q. 80. Quid agendum sit, si vinum vel Sanguis congeletur, aut ne congeletur.* R. §. 1. Vinum congelatum necessariò debet solvi, priusquam consecretur, nam aliqui putant esse materiam dubiam, uti habet *Busenb.* relatus p. 1. n. 434. Solvi autem potest complectendo calicem manibus, vel ignem, aut calidos pannos applicando.

557. §. 2. Si apud Græcos sacer sanguis congeletur, facilè solvitur, nam Græci infundunt calici aquam ferventem immediatè ante Communionem, ut significent cum Sanguine è latere

Christ

Christi morientis fluxisse aquam naturalem, utì refert *Arcudius* l. 3. c. 39., id autem illicitum est apud Latinos, hinc solvi debet, utì dictum est de vino, aut etiam solvi potest digito. Improbant autem *Suar.* & *Gob.* in Exp. t. 3. n. 55. tanquam irreverentiam, si solvatur halitu.

§. 3. Ne fiat congelatio, potest calidum ferrum, silex vel globus æneus mundo linteo involutus imponi calici usque ad infusionem vini, ut sic calefiat totus, *Gob.* in app. ad num. 65. Commodius tamen est carbones accensos ad latus corporalis admovere, & quandoque illis obvertere calicem. 558.

*Q. 81. Quid adhuc circa celebrationem Missæ sit observandum.* R. seqq. §. 1. *Sa* ait Missam celebrari debere cum A.B.C.D., id est, Altè, Breviter, Clarè, Devotè: quas omnes particulas rectè explicat *Gob.* in Exp. t. 3. n. 813. Addit *Gav.* debere celebrari etiam cum E, id est, Exactè secundùm Rubricas. Quod brevitatem attinet, *Synodus Colonienſis* Anno 1662. pag. 91. vult mediam horam impendi Missæ privatæ. Pro Sacerdotibus Societatis JESU, *P. Mutius* 20. Mart. 1628. declaravit impendendam esse mediam horam ad Altare, id est, à formatione crucis in Introitu usque ad finem ultimi Evangelii. Sanè valde indecorum est festinare in Sacrificio, nam festinans significat, ac si censeret perditum vel minùs bene collocatum tempus, quod ponit ad aram, cùm tamen sæpe ante vel post Sacrificium longas horas det otio aut inutilibus fabulis. Si aliquando causa esset solito citiùs celebrandi, cavendum, ne populus advertat, quòd festinetur, sed debent publica plenè enuntiari cum gravitate & tarditate, lucrum 559.

autem temporis potiùs quærendum est sub utroque *Memento* vel sub aliis, quæ secretò dicuntur, omittendo privatas devotiones, & non sistendo inter actiones. Vanissimum autem esset quærere gloriam in legenda celeriter Missa. Pro formanda ante Missam intentione secundùm quadruplex genus Sccrificii, utilissimè legetur *Cardin. Bona* De Missa c.4. §. 6.8. & seqq. Et cùm S. *Bonav.* De purit. consc. c. 9. putet Sacerdotem obligari ad rememorandam Christi Passionem, *Bona* §. 13. tradit praxin illius rememorationis, & §. 14. addit devotas, orationes pro dispositione ad Missam.

560. §. 2. *Urb. VIII.* Constit 161., & *Synodus Colonienſ.* pag. 88. prohibent, ne ullus Clericus vel Laicus ante Missam vel communionem sumat tabacum nasale: si autem tabacum traheretur fumo, adhuc magìs dedeceret, utì notant Authores cum *Busenb.* relato p. 1. n. 550., & multò maximè dedeceret, si masticaretur. An verò tum frangeretur jejunium, dictum est illo nu. 550. & 569.

561. §. 3. Guttæ ad infusionem vini & aquæ calici insperſæ absterguntur purificatorio, vel calix circumagitur, ut cum reliquo vino continuentur, *Gav. Lohn.* Si tamen utrumque negligatur, nullum est peccatum, inquit *Tamb.* De Sacrif. l. 2. c. 1. §. 3. n. 29. Neque convenit, ut illa absterſio fiat immediatè ante consecrationem, *Tamb.* Cùm autem celebrans lavit manus, interea dum abstergit & decurrit psalmum, *Lavabo*, corpus & vultus vertitur versùs medium altaris.

562. §. 4. Episcopus, qui in canone nominatur, est Episcopus celebrantis, utì habet praxis, & com-

communiùs tenent Authores apud *Lohn.* p. 2. tit. 21. n. 4. quamvìs *Arnaud*, *Gav.* & *Gob.* nu. 749. dicant à S. Congreg. declaratum esse, quòd nominandus sit Episcopus loci, in quo celebratur & non præcisè celebrantis, de illa enim declaratione non scitur authenticè. Praxin bonam faciendi *memento* pro vivis & defunctis, tradit *Bona* suprà §. 7.

§. 5. Patena post *Pater noster* suppositа hostiæ non deponitur in medio Altaris, ubi jacuit hostia, sed ad latus dextrum, ne particulæ in Altari relictæ exteriùs patenæ adhæreant: hostia autem relinquitur ad latus sinistrum patenæ, ut immineat eidem loco, in quo antè jacuit, sic enim postea etiam faciliùs ex illa tantùm parte patenæ colliguntur particulæ, nisi fortè longiùs transilirent. 563.

§. 6. Fractio hostiæ ante *Agnus Dei*, commodissimè fit, si à parte superiore usque ad inferiorem priùs inducatur plica, quam postea sequitur facilis diffractio. Postquam autem dexterâ deposuisti partem mediam, decerpis à parte inferiore, quam tenet sinistra, particulam, quæ calici immittitur. 564.

§. 7. Hostia sumpta parùm relinqui debet in lingua, ut affluente salivâ humectetur, alioquin facilè allidit & adhæret palato: Quod si fiat, debet paulatim revelli linguâ vel vino sumpto, non autem digito. 565.

§. 8. *Lohn.* tit. 25. vult calicem ebibendum apprehendi infra nodum, utì rubrica habet: *Gav.* & *Bauldrius* explicant de apprehensione in nodo ipso. 566.

§. 9. Si particula hostiæ adhæserit calici, decentius est, ut cum infuso vino adducatur, 567.

quàm ut digito attrahatur, ad labium calicis.

568. §. 10. Melius est, ut sacer Sanguis uno haustu sumatur calice paulò diutiùs retento ad os: Et decens est, ut vinum pro purificatione sit ejusdem quantitatis, cujus erant sacræ species: Si autem sit minoris quantitatis, calix inflexus debet semel aut bis circumagi, ut abluatur pars calicis sacris speciebus tincta: Et tum debet hoc vinum eâdem parte calicis sumi, quâ sacer Sanguis sumptus est. Purificatio semel, ablutio ad summum bis hauriri debet. Indecorum est ita fugere calicem, ut populus audiat.

569. §. 11. Quando calix extenditur ad Ministrum pro accipiendo vino purificationis, debet teneri in aëre suprà Altare, & non deponi in Altari: si tamen Minister sit nimis parvus, potest extra Altare teneri.

570. §. 12. Missale secundùm *Gav.* clauditur manu dextrâ, ita ut clausura respiciat sinistram. Alii volunt clausuram semper verti ad medium Altaris, sed cùm Rubrica neutrum præscribat, utl nec in multis antecedentibus, hinc liberum est facere, prout voles.

571. §. 13. In fine benedicturus populo coram Episcopo habente jurisdictionem loci inclinat huic caput, quasi licentiam petens, & postea benedicit populo ab ea parte, in qua non est Episcopus: qui si sit in medio, celebrans benedicit stantibus ad latus Evangelii. Si Venerabile sit expositum, dicto, *Omnipotens Deus*, genuflectit & se retrahit ad latus Evangelii, ibique benedicit populo, & non perficit circulum, nec iterum genuflectit, sed conversus inchoat ultimum Evangelium.

572. §. 14. Si celebrans ad ultimum Evangelium non

non utatur libro vel tabellâ, tum signat altare, & postea se in fronte, ore & pectore. Si Venerabile sit expositum, non signat altare, cùm illud jam benedicatur per Authorem omnis benedictionis in altari expositum, sed signat aliquid aliud, v. g. pulvinar, *Gav. Lohn.* tit. 30.

§. 15. In fine Evangelii S. Joannis ad *Verbum Caro factum est*, semper genuflectitur ad cornu altaris, nec debet celebrans convertere se ad medium, quamvis Venerabile esset expositum, *Lohn.* & alii contra *Arnaud.* 573.

§. 16. Si ante vel post Missam, aut aliàs sit exponendum vel reponendum Venerabile, ad *panem do cœlo*, semper additur *alleluja*, præterquam a Septuagesima ad Sabbathum S. S. Congreg. 23. Febr. 1666. 574.

§. 17. Sacerdos regressus ad locum, in quo se in sacristia induit, habens impositum biretum inclinat caput Cruci; quod similiter fit ante egressum è sacristia ad altare. Ubi commoditas alia non est, possunt paramenta deponi in loco Evangelii, ibique potest Sacerdos se illis induere, sed non in medio, quia hoc solis Episcopis convenit. 575.

§. 18. Posse aliquem ex aliqua saltem causa, statim postquam communicavit, comedere aut bibere, dixi in p 1. n. 559. quod magis valet de illo, qui Missam legit, cùm jam satis diu præcesserit communio, & species cum Missa fortasse desinant, secundùm ibidem dicta n. 476. Videri potest etiam *Henao* n. 1649. 576.

Hìc addo Ritum ubique à Societate JESU observandum ex Decreto Congregationis Generalis XV. anno 1706. 1. In festo S.P.N. Ignatii fit officium primæ classis, & primæ lectiones

dicuntur de communi, *Justus si morte.* 2. In festo S. Franc. Xaverii fit officium 2. classis, & primæ lectiones ùt in festo S. Ignatii. 3. In festo S. Franc. Borgiæ officium 2. classis: primæ lectiones de communi, *Beatus vir.* Missa, *Os justi*, De communi, & solum Evangelium De communi Abbatum. 4. In festo Ss. Martyrum Pauli, Joannis & Jacobi, officium duplicis majoris, & totum, etiam in 1. Nocturno, De communi plurimorum Martyrum in 1. ordine. Missa, *Salus autem Justorum*: Evangelium ex 1. Missa, *Cùm audieritis.* Non dicitur *Credo*, nisi ubi est insignis Reliquia vel populi concursus cum solenniori Missa. 5. In festo B. Aloysii Gonzagæ (præterquam in ditione Mantuana) officium duplicis majoris, totum De Communi, etiam in 1. Nocturno, ùt in 1. ordine. Missa, *Os justi*, sine *Credo*, nisi ubi est insignis Reliquia vel populi concursus cum solemniori Missa. 6. In festo B. Stanislai Kostkæ officium eodem ritu (præterquam in Polonia & Lithuania, ubi fit etiam octava) & totum de 1. ordine ejusdem communis, excepto Evangelio, quod sumitur ex secundo, nempe, *Nolite timere pusillus grex.* Missa, *Justus ùt palma*, sine *Credo*, nisi ubi est insignis Reliquia vel populi concursus cum solenniori Missa. 7. Octava fit de Ss. Ignatio, Franc. Xaverio & Franc. Borgia. Estque octavarium Neapoli impressum anno 1696. quo possunt Nostri liberè uti, etiam per annum, cùm sit conforme octavario à S. Rituum Congregatione approbato. 8. Pro commemoratione omnium in Societate Defunctorum, Missa prima, ùt in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum,

rum, omisso dumtaxat in oratione verbo, *Famularumque.*

Ex concessione SS. D. N. *Clementis XI.* agimus 14. Jan. de SS. nomine JESU sub ritu 2. classis.

Q. 82. *Quomodo possit aliquis discere accuratè legere Missam.* R. Pro hoc necesse est attentè legere Rubricas, & initio ad illas in praxi sollicitè se attinere; si enim quis in principio negligat, quando est Neo-presbyter, nunquam discet, & prout malè assuescet, semper malè leget. Multum etiam juvabit legere vel *Lohn.* De Missa p. 6. tit. 14. vel alium libellum, cui titulus, *Methodus Sacrum Missæ Sacrificium celebrandi Romano ritu*, ubi Missam ponunt ad longum, cum annotatione observandorum circa ritus singulos. Neque censeri debet; has esse minutias parvi momenti, cùm singula suam significationem habeant, & plurimùm conferant ad decorem ac reverentiam tanto Mysterio debitam. 577.

# TRACTATUS VI.

## *De Sacramento Pœnitentiæ.*

POenitentia sæpe sumitur pro virtute, quæ movet ad dolendum de peccato, quatenus reddit aversum, & frangit pacem cum Deo; adeoque objectum formale motivum virtutis pœnitentiæ, in probabili sententia, est honestas in eo relucens, quòd is, qui Deum offendit, quærat eum placare, sive pacem cum eo restituere ac imposterum conservare. Et de hac pœnitentiæ virtute pluribus agunt Scholastici; nos hìc de Sacramento agimus: De actibus tamen contritionis, attritionis, propositi emendationis &c., qui possunt saltem 578.

saltem partialiter imperari ex motivo virtutis pœnitentiæ, etiam agemus, in quantùm illi sunt partes vel requisita ad Sacramentum pœnitentiæ.

## CAPUT I.

### *De essentia Sacramenti pœnitentiæ.*

#### *DUBIUM I.*

Quæ sit ejus materia & forma.

579. »RESp. Materia remota & necessaria, est o»mne peccatum mortale, post Baptismum »commissum, & non confessum. Materia suffi»ciens etsi non necessaria, est omne veniale post »Baptismum commissum; vel etiam mortale, »aliàs rite confessum. Materia proxima sunt »actus pœnitentis, contritio, confessio & satis»factio, quarum ultima est integralis tantùm, »(ùt patet in infirmo, qui si ratione destituatur, »solet absolvi abíque satisfactione) duæ prio»res sunt essentiales, ùt communiter docent »contra *Scotum*, qui totam essentiam ponit in »absolutione. Porrò peccata sunt tantùm ma»teria circa quam; actus verò pœnitentis, ma»teria ex qua. *Laym. l. 5. t. 6. c. 3.* ex *communi. Unde* »*resolves*,

» I. Etsi peccatum mortale remissum quo»modocunque sit, teneris tamen confiteri, si »non feciſti. *Trid. sess.* 14. *c.* 5.

» II. Omitti possunt venialia, vel omnia, vel »aliqua; item mortalia semel rite confessa, v. g. »in Confessione generali, ùt docet *Dian. p. 3. t. 4.* »*res. 56. Lug. d. 16. n. 56.* contra *Victoriam, Ledes.* & *alios*,

alios. In qua etiam non esse necessarium adde-» re peccato mortali, quod post ultimam con-» fessionem sit commissum, docet *Bon. d. 5. q. 5. s.* » *2. p. 2. Dia to. 2. t. 4. R. 62.* & *tom. 3 t. 3. R. 65. Lug. n.* » *47.* ex *Sanch.* & *Kon.* quod est probabile; nisi cir-» cumstantia aliqua, v. g. speciem mutans, vel» reservatio casûs, vel proxima peccandi occa-» sio aliquid requirat, & pœnitētia sufficiens im-» ponatur, *Lug. Tamb. de exp. conf. l. 2. c. 1.* Tutius» tamen est nova ab antiquis secernere. »

III. Ponenda semper est materia certa, qua-» lem esse negat *Sanctius in sel. d. 7.* apud *Dia. p. 3.* » *t. 4. R. 52.*, quòd quis non responderit divinis» inspirationibus; non fecerit bonum, quod po-» tuit, & similes imperfectiones. In quibus ta-» men exponendis, non tenetur Cōfessarius im-» pedire pœnitentem, ùt docet *Lug. n.* 103. con-» tra *Sancium.* Quòd si haberi certa non possit, » pro ratione dubii danda est absolutio; ùt sub» dubio, si materia prorsus dubia sit; vel absolu-» ta, si certa videatur. Ita *Suar. Lay. c. 3.* & alii» *commun.* »

Resp. II. Forma Sactamenti Pœnitentiæ sunt» verba absolutionis: EGO TE ABSOLVO A» PECCATIS TUIS; (ubi licèt de essentia tan-» tùm sit, ABSOLVO TE; debent tamen addi» reliqua, præsertim in articulo mortis, secun-» dùm quosdam, sub mortali, secundùm alios, » sub veniali, ùt *V. Granad.*) voce prolatâ in» præsentē; absētem enim *Clemens* VIII. absolvi» prohibuit, sub pœna excommunicationis. *Un-» de resolves.* »

I. Invalidum est absolvere nutu, signo aut» scripto: item absolvere absentem quod docuit» *Alensis, Medin.* & alii; sed vetitum nunc, ùt mo-» dò dictum.

II.

» II. Valida est absolutio, si reverentiæ causâ
»dicas: Absolvo dominationem, excellentiam
»vel majestatem vestram; &c. quia non muta-
»tur essentialiter, & sunt verba æquivalentia,
»*Aversa* v. suprà *t. 1. c. 1. d. 2.* Non valet autem,
»si dicas: Absolvat te Deus, vel absolvat te
»Christus, *Aversa q. 12. s. 2.*

» III. Orationes præviæ & subsequentes for-
»mam, ùt, *Misereatur tuî, &c.* &, *Passio Domini,*
»*&c.* quæ secundùm *Trid.* laudabiliter addun-
»tur, non sunt necessitatis; & ex causa rationa-
»bili omitti possunt, v. g. si breves sint confes-
»siones, vel multi confitentes, ( ùt *v. Dia. p. 3 t 4.*
»*R 97.* tunc enim sufficit dicere, *Absolvo te à pec-*
»*catis tuis in nomine, &c.* ) vel si timeatur censu-
»ra, *Absolvo te à vinculo excommunicationis; dein-*
»*de à peccatis tuis, &c. v. Sa V. Absolutio.*

» IV. Elevatio manûs, ejusque impositio in
»caput; item formatio Crucis, est libera, etsi de-
»beat servari consuetudo, *Lay. c. 5.* ubi idem dicit
»de apertione capitis. Forma autem *Clementis*
»VIII. ùt tradit *Sa*, & *Rituale Romanum*, est hæc,
»quâ ut omnes utantur, suadet *Paulus V.* ideoq;
»omnibus tenenda memoriter: *Misereatur tuî*
»*omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perdu-*
»*cat te ad vitam æternam, Amen*; deinde elevatâ
»manu pergit: *Indulgentiam, absolutionem & re-*
»*missionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipo-*
»*tens & misericors Dominus, Amen. Dominus no-*
»*ster JESUS Christus te absolvat, & Ego auctorita-*
»*te ipsius, te absolvo ab omni vinculo excommunica-*
»*tionis, suspensionis,* (quæ vox circa laicos omit-
»titur) *& interdicti, in quantum possum, & tu indi-*
»*ges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine*
»*Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen. Passio*

*Domini*

*Domini nostri JESU Christi, merita B.V. & omnium SS. quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remedium peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.*

## ADDENDA.

*Quæst. 83. Quid hìc prænotandum.* ℟. seqq. §. 580.

1. Hoc Sacramentum variè appellatur à SS. PP., nempe secundus Baptismus, secunda post naufragium tabula, Sacramentum reconciliationis, absolutionis, confessionis; græcè exomologesis, latinè accusatio &c. Frequentissimè dicitur pœnitentia, quia partes illius pœnam habent, nam contritio habet dolorem, confessio ruborem, satisfactio molestiam: frequenter etiam in communi usu dicitur Confessio, ita ut hoc nomine veniat totum Sacramentum.

§. 2. De fide est, Christum in Ecclesia instituisse Sacramentum Pœnitentiæ, nam post varia Concilia ita docet *Tridentinum* sess. 14. De pœnit. cap. 1. ac definit can. 1. his verbis, *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino institutum, anathema sit.* Est autem contra Montanistas & Novatianos, ad quos postea accesserunt Lutherus, Calvinus aliique assecl æ, uti referunt *Bellarm.* l. 1. c. 9. *Tann.* q. 1. num. 3. *Ills.* num. 1. 581.

§. 3. Hoc Sacramentum est institutum à Christo post Resurrectionem, uti nunc tenent omnes passim contra *Armacan.* apud *Dicast.* d. 4. dub. 2., qui putavit institutum esse à Christo 582.

sub

sub initium prædicationis ; item contra alios apud *Tann.* num. 6., qui dixerunt sub initium mundi in paradiso esse institutum à Deo : sed probatur ex *Trid.* sess. 6. c. 4. sess. 7. De Sacram. in genere can. 1. sess. 14. De pœn. can. 1. suprà relato, ubi cap. 1. sic loquitur, *Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos Joannis 20. dicens, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* Cùm autem addat, *præcipuè*, innuit aliquid illius jam antecessisse, nam præcesserat promissio *Matt.* 16. & 18., ubi Petro dixerat, quòd daturus esset claves ; & discipulis, quòd quæcumque essent ligaturi vel soluturi in terris, futurum esset ligatum vel solutum in cœlis. Deinde etiam in ultima cœna ante mortem inchoârat institutionem illam , quando ordinaverat Sacerdotes his verbis, *Hoc facite*, impressio enim characteris sacerdotalis erat inchoatio potestatis ad remittenda peccata : Et ideo etiam nunc in Ecclesia adæquata potestas remittendi peccata divisibiliter confertur, primò inchoativè , quando accipitur potestas in Corpus Christi verum per traditionem patenæ cum pane & calicis cum vino, adjunctis verbis, *Accipite potestatem offerendi Sacrificium &c.* Postmodùm completivè per impositionem manuum Episcopi, adjunctis verbis : *Accipite Spiritum S., quorum remiseritis &c.*, per quam ultimam partem ordinationis sacerdotalis, vel augetur character, utì volunt plerique cum *Dicast.* De Ordine n. 126., vel idem character extenditur etiam ad Corpus Christi mysticum, utì volunt alii cum *Tann.* De Ordine num. 126. Congruentia autem , cur Christus instituerit post resur-

Resurrectionem, est hæc, quia hoc Sacramentum supponebat mortem animæ, & erat ad resurrectionem peccatoris.

*Objici* potest, S. *Thomam* Apostolum non adfuisse, quando Christus *Joannis 20.* dixit, *Accipite Spiritum S. &c.*, & tamen æquè ac cæteri habuit potestatem remittendi peccata. *R. S. Cyrillus* & ex illo *Bosco* s. 1. nu. 54. dicunt omnes discipulos Christi etiam absentes vi verborum istorum esse ordinatos & accepisse potestatem absolvendi : neque tamen inde sequitur nunc posse etiam absentes ordinari, quia pro Ecclesia aliter statuit Christus, qui pro se habebat potestatem excellentiæ, ideoque ipsi licebat ordinare, prout volebat.

§ 4. De Sacramento pœnitentiæ ita habet *Conc. Florentinum* post sess. ult. in Decreto *Eugenii IV.* ad Armenos : *Quartum Sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, cordis contritio cum proposito non peccandi de cætero, oris confessio, satisfactio : Forma, Ego te absolvo &c.* 583.

*Q. 84. Quid præterea sit notandum circa materiam Sacramenti pœnitentiæ.* &. seqq. §. 1. Sola peccata sunt materia confessionis, uti tenent omnes Catholici, teste *Dicast.* d. 9. n. 296. & colligitur ex *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 4. & can. 3. ubi pro materia non assignantur nisi peccata, ideoque simpliciter vocatur confessio peccatorum. Idem evincitur ex forma Sacramenti, nam dicit, *absolvo à peccatis.* Denique id satis constat ex communi sensu Doctorum ac etiam fideliũ omniũ. 584.

§. 2. B. Virgo non fuit capax absolutionis, ideóque *Dicast.* d. 6. n. 9. explodit sententiam *Alberti M.* qui, ut probaret B. Virginem habuisse 585.

buisse gratiam sacramentalem pœnitentiæ, dixit solitam fuisse confiteri S. Joanni Evangelistæ peccata, quæ apprehendebat se feciſſe, nam & hic error B. Virgine indignus est, & illo supposito adhuc non poterat Sacramentum esse validum, quod requirit verum & non tantùm existimatum peccatum: Unde *Scotus* in 4. dist. 17. in fine rectè ait, si B. Virgo fuisset confessa, peccâsset confitendo.

586. §. 3. Quamvis imperfectio de se non sit materia confessionis, tamen ordinariè habet adjunctum peccatum, quod est materia sufficiens, secundùm dicta l. 5. à n. 211. ubi etiam n. 214. dixi transgressionem Regulæ, quamvis non obligantis sub peccato, ordinariè habere adjunctum peccatum, quod confirmatur ex dictis l. 4. nu. 58.

587. §. 4. Censuræ, v. g. excommunicationis, suspensionis, etiam non sunt materia absolutionis sacramentalis, quamvis debeant ad legitimum ministrum deferri, ut per sententiam Ecclesiasticam auferantur, & quidem quandoque priùs, quàm dari possit absolutio à peccatis.

588. §. 5. Peccata ante Baptismum commissa non sunt materia apta confessionis sacramentalis, *S. Th.* 3. p. q. 84. a. 2. aliique communissimè, inter quos *Bosco* d. 7. s. 2. n. 3. meritò dicit hunc esse & semper fuisse totius Ecclesiæ sensum, est autem contra aliquos apud *Amic.* d. 13. nu. 46. qui innuunt peccata illa esse materiam necessariam; & saltem est contra *Angel.* & quosdam recentiores apud *Gormaz* p. 2. n. 71. quiputant esse materiam sufficientem, sed *Vasq. Turr* & *Perez* dicunt oppositum esse certum, *Bonac* dicit videri

videri tanquam de fide definitum, *Amic.* dicit videri non obscurè definitum in *Trid.* & *Florent.* ideoque opinionem illam vocat errorem, nam imprimis *Trid.* sess. 6. cap. 14. item sess. 14. De pœn. cap. 1. 2. 4. & 5. constanter docet & novem repetitis vicibus dicit Sacramentum ex institutione Christi esse pro peccatis post Baptismum commissis, tumque Can. 1. sic definit : *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* Deinde *Florent.* in Decreto *Eugenii IV.* ad Armenos dicit effectum Baptismi esse remissionem omnis culpæ originalis & actualis, itemque omnis pœnæ, ergo innuit pro peccatis illis non esse institutum Sacramentũ pœnitentiæ, sed tantùm pro peccatis fidelium ingressorum in Ecclesiam, utì habet *Trid.* cap. 2. addens rationem, quia Ecclesia non judicat de illis, quæ extra se fiunt. Accedit consensus Theologorum, qui hoc tanquam certum potiùs supponunt quàm probent : & alioquin dicam etiam peccatum originale esse materiam sufficientem confessionis, quod dicere nemo hactenus est ausus.

§. 6. Peccata antehac ritè confessa & per 589.
absolutionem remissa sunt materia sufficiens novæ confessionis non tamen necessaria, per se loquendo. *Pars 1.* est *S. Th.* in 4. dist. 17. q. 3. a. 3. quæstiun. 5. ad 4. & aliorum communissima, quam certam esse docent *Suar.* d. 18. s. 1. n. 6. & *Aversa.* q. 10. s. 2. *Vasq.* autem q. 91. a. 3. dub. 7. n. 1. dicit à nemine negari : refert tamen plures *Amic.* d. 13 n. 25., qui dicunt, quamvis sufficiant

ad essentiam Sacramenti, tamen non sufficere ad effectum, sed si Sacramentum est validum, non est ratio illi negandi effectum, cùm nullus adsit obex: itaque pars illa probatur ex declaratione *Benedicti XI.* statim citanda. Idem significatur Cap. *Quem pœnitet, 88.* De pœn. dist. 1. his verbis: *Quantò pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tantò faciliùs consequetur misericordiam remissionis, ipsi enim Sacerdotes plùs jam possunt proficere, plùs confitentibus parcere.* Idè evincit praxis in universa Ecclesia, nam fideles sæpissimè faciunt confessiones generales, repetuntque peccata antè confessa, & nulla alia, ergo. Et ratio est, quia quòd peccatum sit antehac confessum, nihil obstat, nam non ideo desinit fuisse peccatum: quòd autem jam sit antè remissum, etiam non obstat, utì patet, si quis de peccato nunquam confesso fuerit perfectè contritus, manet enim etiam obligatus ad confitendum, imò sicuti potest etiam cum fructu sæpiùs repeti contritio ejusdem peccati, ita & Confessio. *Pars 2.*, quòd peccata confessa & remissa non sint, per se loquendo, materia necessaria confessionis, est S. *Th.* suprà & aliorum communissima, quam pariter certam dicit esse *Aversa* suprà, & etiam constat ex declaratione *Benedicti XI.* in Extrav. communi *Inter cunctas*, De privilegiis, ubi dicit eum, qui semel confessus est & absolutus etiam àReligioso mendicante, non teneri iterum nequidem proprio Parocho peccata illa confiteri, & postea subdit, *Licèt de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Idem de non necessa-

cessariò repetendis peccatis confessis definit tanquam Catholicum dogma *Joannes XXII.* in Extrav. communi, *Vas electionis*, Tit. De hæreticis, ita ut oppositum damnet velut falsum & erroneum.

*Dixi*, per se loquendo, nam per accidens est 590.
obligatio iterum confitendi, 1. Si quis inter cætera esset confessus reservata non habenti potestatem in reservata, hæc enim teneretur iterum confiteri alteri. 2. Si aliquod peccatum omissum non posset explicari, nisi iterum faciendo mentionem peccati aliàs confessi. 3. Si quis vovisset iterum eadem peccata confiteri, aut acceptâsset pœnitentiam de iis iterum confitendis, aut si hoc præciperet regula alicujus Ordinis ab ipso liberè acceptata. 4. Si confessus ùt dubium postea agnosceret esse certum, aut si in genere confessus postea recordaretur illius in specie. 5. Si Confessarius etiam injustè noluisset eum absolvere, vel defectu jurisdictionis non potuisset. 6. Si confessus esset sine debito dolore aut proposito, de quo casu iterum dicetur à n. 1206. An autem Ecclesia posset præcipere iteratam alicujus peccati mortalis Confessionem, dicetur n. 2017.

*Obji.* 1. Contra dicta n. 589. Dolor est de 591.
malo ùt præsente, secundùm dicenda n. 656. sed quando peccatum est remissum quoad culpam & pœnam, nihil est de præsenti, in quod tendere possit ille dolor, ergo. R. n. min., nam saltem est carentia illius, quod habuissem illo instanti, quo peccavi: aut si supponas me illud aliunde habere, saltem hoc est præsens malum, quod est peccavisse, sive privatum esse bono innocentiæ vel absolutæ immunitatis à peccato,

quæ privatio semper existit in eo, qui semel peccavit: unde sicuti illud, quod est me aliquando bonum egisse, est aliquod bonum præsens, & ideo de illo possum semper gaudere, ita de illo, quod est peccavisse, possum semper dolere, quamdiu sum in statu, cui non repugnat dolor.

592. *Obji.* 2. Forma non potest sæpius cadere super eandem materiam. R. Si tantùm sit eadem materia proxima, transeat; si aliquid aliud sit materia proxima, ipsa autem sit materia remota. n., nam possum duos successivè baptizare eâdem aquâ; duos ægros inungere eodem oleo; quia habebo alias materias proximas, nempe ablutionem & unctionem aliam, super quam immediatè cadet nova forma: similiter hìc duæ absolutiones cadent immediatè super duos dolores vel saltem super duas Confessiones. Quis autem tum sit sensus verborum, *Ego te absolvo*, dicetur n. 641.

593. §. 7. Venialia sunt materia sufficiens, non tamen necesaria Sacramenti pœnitentiæ, uti tenent Catholici omnes ex *Trid.* sess. 14. De Pœn. c. 5. his verbis: *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamvis rectè & utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Et quòd sint materia sufficiens, definit Can. VII. his verbis: *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ &c. non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.* Idem jam declaraverat Leo X. damnans hunc Artic. 8. *Lutheri: Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia.* Ratio colligitur ex verbis generalibus, quibus Christus Sa-

Sacramentum pœnitentiæ instituit, dicens, *Accipite Spiritum sanctum, quorum peccata remiseritis &c.* quæ conveniunt tam venialibus, quàm mortalibus. Similiter quòd non sint materia necessaria, ratio est, tum quia valor Sacramenti & effectus, qui est gratia, non pugnant cum illis, tum etiam, quia multis aliis modis remitti possunt, utì habet *Trid.* suprà, & declarabitur à nu. 2012. An autem Ecclesia præcipere posset confessionem venialium, dicetur n. 2018.

§. 8. Etiam sola venialia sunt materia sufficiens Sacramenti pœnitentiæ, utì manifestè colligitur ex *Trid.* suprà, nam definit venialia simpliciter esse materiam sufficientem, & supponebat tanquam certum, quòd venialia sæpè essent in hominibus piis non habentibus mortalia, qui nullo jure prohibentur confiteri, ergo. An autem expediat frequens Confessio venialium, dicetur n. 1885. Denique an expediat confiteri sola venialia, & pœnitens tum semper sit absolvendus, dicetur à n. 1885. 594.

§. 9. Materia necessaria Confessionis sunt omnia mortalia post Baptismum commissa & nunquam directè subjecta absolutioni, sic enim docet *Conc. Lateranense* sub *Inn.* III. Cap. *Omnis utriusque sexûs*, his verbis: *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur.* Similiter *Florentin.* in Decreto *Eugenii IV.* ad Armenos, explicans partes Sacramenti pœnitentiæ ait, *Pars secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter.* Similiter *Trid.* sess. 14. De pœni. c. 5. dicit institutam esse à Domino integram peccatorum 595.

torum confessionem & omnibus post Baptis-
mum lapsis jure divino necessariam esse: Et sub-
dit: *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus om-
nia peccata mortalia, quorum post diligentem sui
discussionem conscientiam habent, in confessione re-
censeri, etiamsi occultissima illa sint.* Addit, *cùm u-
niversa peccata mortalia, etiam cogitationis, homi-
nes iræ filios & inimicos Dei reddant, necessarium
est, omnium etiam veniam cum aperta & verecunda
confessione à Deo quærere.* Idem sæpius repetit eo-
dem Capite, & postea sic definit Can. 7. *Si quis
dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem
peccatorum necessarium non esse jure divino confite-
ri omnia & singula peccata mortalia, quorum memo-
ria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur,
etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Deca-
logi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem
mutant &c. anathema sit.* Accedit communis
Ecclesiæ traditio, utì ostendit *Bellarm* l. 3. c. 6. I-
tem consensus Ss. PP. apud *Bellarm. c. 2.* Ité pra-
xis fidelium agnoscens mortalia omnia tanquá
materiam hìc necesariò explicandam. Ratio
autem à priori est voluntas Christi nobis ma-
nifestata per relata Concilia & per universalem
Ecclesiæ sensum ac consuetudinem.

596. §. 10. Peccata mortalia etiam inculpabiliter
omissa sunt materia necesaria confessionis, uti
constat ex hac propositione 11. ab *Alexandro
VII.* damnata: *Peccata in confessione omissa seu
oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam cau-
sam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*
Ratio autem est, quia Sacerdos, qui à Christo
constitutus est Judex circa mortalia, necdum
tulit sententiam de illis, neque pro qualitate
delicti potest imponere satisfactionem tum pu-
niti-

nitivam tum medicinalem, nisi peccata illa exprimantur & directè subjiciantur clavibus, ideoque licèt fortè indirectè remissa sint, tamen manet obligatio, ut directè subjiciantur absolutioni. Ex hìc dictis

*Colliges*, quid sit directè & indirectè remitti 597.
peccatum; nam tum dici ur directè remitti, quando remittitur ratione suî independenter ab alio peccato remisso, quia nempe est materia huic Sacerdoti per hanc confessionem cognita & subjecta: E contrà tum remittitur indirectè, quando remittitur non ratione suî, eò quòd vel non sit materia per confessionem cognita, vel non sit materia subjecta huic Sacerdoti, attamen remittitur dependenter ab alio peccato huic Sacerdoti per confessionem cognito & subjecto; sic peccatum non reservatum & in confessione expressum remittitur directè, quia remittitur ratione suî, utpote de se materia huic Sacerdoti per confessionem manifestata & ipsius etiam jurisdictioni subjecta; E contrà peccatum vel omissum vel reservatum non remittitur directè, quia omissum non est materia per confessionem cognita; reservatum autem quamvìs fortè sit materia per confessionem cognita, tamen non est subjecta jurisdictioni hujus Sacerdotis; nihilominus quia nullum peccatum potest per Sacramentum remitti, nisi simul remittatur omne mortale, & adsit dolor ac propositum sufficiens ad remissionem etiam illius mortalis omissi vel reservati, hæc simul remittuntur, sed dependenter ab illo altero peccato expresso, in quod Sacerdos habebat jurisdictionem. Dependentia autem illa & independentia in hoc consistit, quia si nullum aliud

peccatum fuiſſet expreſſum , non potuiſſet per Sacramentum remitti hoc peccatum omiſſum vel reſervatum : è contrà quamvís non adfuiſſet illud omiſſum vel reſervatum, poterat remitti iſtud expreſſum : & hoc ſenſu dicitur omiſſum vel reſervatum remitti dependenter ab iſto peccato expreſſo;è contrà peccatum expreſſum dicitur remitti independenter ab illo omiſſo vel reſervato.

598. Q. 85. *An peccata dubia ſint materia neceſſaria confeſſionis.* &c. Colligetur ex ſeqq. §. 1. Dubium hìc poteſt eſſe vel de peccato ipſo , utì ſi dubites , an ullo modo peccaveris in materia de ſe alioqui mortali , vel de qualitate peccati, utì ſi ſcias te peccâſſe , ſed dubites , an mortaliter an venialiter, vel de confeſſione peccati, utì ſi ſcias te peccâſſe mortaliter , ſed dubites , an ſis confeſſus.

599. §. 2. Circa hæc ſingula poteſt in utramque partem eſſe dubium vel poſitivum vel negativum. Tum eſt poſitivum , ſi ſuſpendatur quidem omne judicium directum, attamen pro utraque parte ſint gravia motiva , quæ ſe non elidant , ſed vi quorum poſſit formari prudens judicium pro hac & etiam pro illa parte, aut ſaltem reflexè judicari, quòd pro utrâque parte ſtet ratio momenti ſimpliciter gravis, utì dictum eſt l. 1. à n. 71. Tum eſt negativum , ſi utrimque ſint aliqua quidem motiva , non omnino levia , hæc etiam non ſunt digna prudente dubio : attamen etiam de ſe non ſufficientia ad prudens judicium pro alterutra parte, ideoque neceſſariò ſuſpendi debeat omne prudens judicium directum. Quod ſi pro una tantùm parte ſit grave motivum,ſola hæc pars erit poſitivè

positivè dubia ; si autem motiva se mutuò elidant, ita ut neutrum in concursu alterius censeatur simpliciter grave , erit dubium negativum vel quasi pura ignorantia. Quandonam autem motiva dicantur se elidere , explicatum est l. 1. à n. 261.

§. 3. Si in utramque partem positivè dubi- 600.
tes de mortali commisso , *Silv. Suar. Henriq. Sanch. Bonac. Laym. Lug. Castrop.* tr. 23. p. 9. nu. 15. *Escob.* l. 15. probl. 38. *Dicast.* d. 9. dub. 7. *Palav.* n. 302. *Aversa* q. 10. s. 3. *Stoz* l. 1. p. 5. n. 155. *Schild.* tr. 2. n. 122. *Tamb.* De Confess. l. 2. c. 1. §. 3. *Mendo* d. 10. n. 2. Dicunt te non teneri confiteri, quam sententiam vocant communem *Illsf.* n. 109. & *Sporer* n. 398. *Haun.* l. 4. n. 1004. vocat unanimem Theologorum, *Côn.* d 87. n. 68. vocat certam. E contrà *Gormaz* p. 2. nu. 160. dicit quamvis probabile sit non esse commissum , tamen si etiam probabile sit esse commissum , manere obligationem confitendi, & idem docet *Eliz.* quem ex propriis principiis optimè confutat *Teril.* in Regula morum q. 52. ass. 6. & 7. Ratio itaque prioris sententiæ est, tum quia in hoc casu prudenter judicare potes te non peccâsse mortaliter , sicque deponere dubium , tum etiam quia tua libertas videtur esse in possessione contra præceptum confitendi , nam herì, antequam feciſſes illud , propter quod hodie dubitas , certò non tenebaris confiteri, hodie autem supervenit solummodo dubium, quod non debet te dejicere de certa possessione juris non confitendi , ùti magis explicabitur n. 608. *Nec obstat* , quòd hìc sit dubium facti, in quo non videtur utrumque posse esse probabile , *nam* secundùm dicta l. 1. n. 398. falsum est,

quòd

quòd in dubio facti semper se mutuò elidant motiva. Deinde omne dubium facti pertinentis ad materiam præcepti reducitur ad dubium juris, cùm quæratur de obligatione præcepti ex suppositio aliquo facto, utì rectè *Castrop. Arr.* t. d. 25. n. 15. in dubio autem juris, ubi utrimque est probabilitas, licitè sequor utrumlibet, secundùm sententiam communem l. 1. à n. 278. probatam, ergo.

601. §. 4. Si scias te peccâsse, sed positivè dubites, an mortaliter an venialiter, Authores citati aliique communiter contra *Con.* suprà etiam dicunt, te non teneri confiteri, & rationes sunt eædem, ex hoc enim, quòd scias superveniss veniale, non ideo possidet præceptum confitendi, cùm certum sit non esse obligationem confitendi venialia.

602. §. 5. Si scias te peccâsse mortaliter, & positivè dubites, an sis confessus, Authores citati aliique cum *Præpos.* q. 4. n. 115. *Lugo* d. 16. n. 59. *Dicast.* à n. 292. *Palav.* n. 305. *Arr.* hìc d. 31. n. 25. *Gob.* t. 7. n. 11. *Stoz.* n. 156. *Bosco* d. 7. s. 8. nu. 124. dicunt contra *Meroll.* & *Con.* te non teneri confiteri, quam sententiam *Illsf.* n. 110. & *Platel.* nu. 791. testantur esse communem. Ratio est, quia etiam hìc est probabile, & potes prudenter judicare, ac depositio dubio dicere te esse confessum, adeoque te hìc & nunc non ampliùs teneri præcepto confitendi. *Nec obstat*, quòd præceptum confitendi fuerit in certa possessione; *nam* prudenter judicas illi esse satisfactum. Quamvìs autem inter homines, si antecesserit ex contractu oneroso certum debitum justitiæ, illi non censeatur satisfactum per probabilem tantùm solutionem, utì nec præcepto Baptilmi satis-

satisfit per probabilem tantùm susceptionem illius; ista tamen hìc non obstant, nam quoad Baptismum est alia ratio, cùm hic sit de necessitate medii, cujus defectus per aliquid aliud non ita suppleri potest. Quoad onerosum autem debitum justitiæ etiam est disparitas, nam huic satisfieri potest dando tantùm partem secundùm proportionem dubii: E contrà in nostro casu non agitur de medio salutis, nam certum est sufficere confessionem formaliter integram, & deberet poni tota altera confessio peccati dubii, cujus tamen tanquam certi tota Confessio probabiliter etiam antehac posita est, ergo nimiùm exigeretur. Deinde homines non censentur remittere jus talis onerosi debiti, nisi posita sit perfecta æqualitas: E contrà benignè præsumimus de Deo, quòd ordinariè ad impletionem legum plùs non exigat, quàm feciſſe hoc, quo posito prudenter judicare possimus nos impleviſſe legem, alioquin exponeremur infinitis anxietatibus & molestiis, quia nimis facilè obliviscimur eorum, quæ fecimus.

§. 6. Hactenus dicta tenent Authores citati, quamvis pro illa parte, quòd peccâris mortaliter, vel quòd non sis confessus, starent rationes probabiliores, suppositò quòd aliàs in similibus materiis licitum sit sequi sententiam probabilem relictâ probabiliore, cùm etiam hìc non agatur de valore Sacramenti, ad quod certum est non requiri integritatem materialem, sed sufficere formalem Notat tamen *Platel.* suprà in omnibus illis dubiis suadendam esse confessionem, quia non rarò postea nascuntur anxietates animi, an adfuerint rationes verè probabiles, nec ne. Addunt *Sanch. Palav.* n. 302. 603.

in

in articulo mortis fore obligationem eliciendi contritionem de his peccatis dubiis, vel etiam faciendi confessionem ad minimùm de aliis peccatis, ut hæc dubia saltem indirectè remittantur, si fortè non sint remissa, ne in extrema necessitate salus exponatur periculo.

604. §. 7. Si positivè dubites de mortali commisso vel de confessione illius, & non habeas prudens motivum pro eo, quòd non fuerit mortale, vel quòd sis confessus, teneris confiteri, *Silv. Nav. Suar.* d. 22. s. 9. n. 5. *Côn.* n. 69. Et *Haun.* suprà dicit in hoc convenire Theologos, quia cùm judicare debeas te peccâsse mortaliter, vel non esse confessum, neque possis oppositum judicare, nequidem probabiliter, sufficienter convictus es, & præceptum confessionis possidet contra te.

605. §. 8. Si scias te peccâsse mortaliter, & negativè dubites, an sis confessus, teneris confiteri, *Côn. Schild. Haun. Laym.* de consc. c. 5. n. 37. *Carden.* in 1. Crisi d. 47. n. 41. *Lugo* suprà dicens in hoc convenire omnes, & plerique cum *Castrop.* n. 16. & *Esc.* n. 27. dicunt certum. *Mendo* nu. 1. dicit certissimum, quia in hoc casu certò possidet præceptum confessionis, cùm prudenter judicare non possis esse illi satisfactum, debito autem illius certo non satisfit per solutionem dubiam & improbabilem: Et qui contrarium videntur tenere, intelligendi sunt de homine qui prudenter præsumitur esse confessus.

606. §. 9. Si negativè dubites, an peccâris mortaliter, te teneri confiteri docent *Catech. Romanus* De pœn. c. 9. *S. Tho.* in 4. dist. 21. q. 2. a. 3. adj. aliique Authores gravissimi & propè innumeri, quorum 40. recensèt & sequitur *Sanch.* in Decalog.

calog. l. 1. c. 10. n. 66. Addunt alios *Averſa* q. 10. ſ. 3. *Schild.* tr. 6. n. 42. *Mendo* n. 5. Sequitur etiam *Dicaſt.* ſuprà : Et id certum eſſe dicunt plerique cum *Gormaz* à n. 165. E contrà abſolutè negant te teneri *Todtf.* q. 98. §. 2. *Stoz* à n. 165. *Caram.* in Theol. fund. n. 1321. & alii. Idem negant *Con.* n. 99. & P. *Marſchant.* tom. 1. t. 4. tit. 6. q. 4. ſi dubites, an aliquid commiſeris, quod *Leſſius* in Aucta. V. *Confeſſio* caſu 9. nu. 10. etiam dicit eſſe probabile : ſed hi Authores addunt, ſi ſcias te aliquid commiſiſſe, & negativè dubites, an ſit mortale, an veniale, te teneri confiteri ; in hoc tamen non videntur conſequenter loqui , utì rectè *Lugo* nu. 61. *Arr.* nu. 27. *Mendo.* nu. 42. *Boſco* nu. 102., nam mortale manet dubium , ſicuti in priore caſu, ex hoc autem ,quòd ſuperveniat certitudo de veniali , non poteſt eſſe obligatio confitendi : hinc ſententiam negantem abſolutè probabilem vocant *Amic.* d. 3. nu 55. aliique multi: *Burghab* Centur. 1. caſu 90. & *Gob.* n. 214. non audent ei negare veram probabilitatem, *Laym.* ſuprà & *Boſco* n. 113. dicunt apparere probabilem, quamvìs addant ſe nihil determinare velle. *Eliz.* abſolutè docet non eſſe opus confiteri in caſu dubii negativi, quod dicit tum eſſe, ſi nihil tibi occurrat, ex quo putes te peccâſſe, ſed *Terill.* ſuprà nu. 32. rectè eum confutat, nam ille ſolùm dubitat negativè, qui ità pro una parte nullas habet rationes , ut etiam nullas habeat pro altera , ac proinde, qui non poteſt ſibi perſuadere ſe eſſe à peccato immunem, quia nullum ſufficiens fundamentum habet ad ſe liberandum à peccato , ideoque inter utrumque ſuſpenſus hæret, quaſi dicens, fortè peccavi, fortè non peccavi.

§. 10.

607. §. 10. Rationes pro sententia obligationem affirmante sunt sequentes, 1. Quia in dubiis pars tutior est eligenda, utì *Sanch.* à n. 11. fusè probat. 2. Certum est à temporibus Christi dari præceptum confitendi omnia mortalia, ergo obligatio confitendi est in possessione contra mortale dubium, quod jam supervenit. 3. Hoc est materia necessaria confessionis, quod in antiqua lege erat materia necessaria contritionis, confessio enim successit obligationi contritionis, sed mortalia dubia erant materia necessaria contritionis, ergo. 4. Illa spectant ad tribunal Sacerdotis, quæ spectarent ad tribunal Christi, si adesset, cùm Sacerdos sit Vicarius Christi, sed ad tribunal Christi spectarent mortalia etiam dubia, ergo. 5. Lex favorabilis debet ampliari, utì probat *Sanch.* De Matr. l. 1. d. 39. n. 5. sed lex confitendi omnia mortalia est favorabilis, quia tendit ad liberationem à peccatis, & liberat ab onere gravi contritionis, ergo debet extendi ad omnia mortalia etiam dubia. 6. Secundùm *Trid.* suprà c. 5. pœnitens tenetur confiteri omnia peccata, quorum habet conscientiam & memoriam, sed qui dubitat de mortali, habet illius conscientiam saltem dubiam, & sicuti actus intellectûs rectè dividitur in certum & dubium, ita etiam conscientia: Deinde etiam habet illius memoriam, quia meminit facti præteriti, in quo timet mortale, ergo. 7. In dubio de commisso homicidio incurritur irregularitas, ergo in dubio de commisso mortali incurritur obligatio confitendi. 8. Fideles confitentur mortalia dubia, praxis autem est optima legum interpres, imò consuetudo potest legem inducere. 9. Antiqui omnes docuerunt

cuerunt confitenda esse dubia, ergo credibile est id eos habuisse ex traditione Apostolica, quod enim in Ecclesia fit, & nescitur ejus initium, prudenter creditur esse ex traditione Apostolica. Videri potest *Cresp. à Borgia* in qq. Moral. q. 12. ubi hanc sententiam multis firmat & oppugnat contrariam.

§. 11. Rationes pro sententia obligationem negante, sunt sequentes : 1. In dubio melior est conditio possidentis, secundùm dicta l. 1. à n. 495. Quod valet non tantùm in materia justitiæ, sed etiam in aliis, secundùm dicta ibidem nu. 502., atqui negativè dubitans de mortali commisso est in possessione innocentiæ & libertatis contra præceptum confessionis, ergo. *Prob. min.* herì antequam accidisset illud, de quo nunc dubitat, ipse certò erat innocuus ab illo mortali, & certò non tenebatur illud confiteri, hodie autem, postquam supervenit illud dubium, præceptum confitendi non est certum, sed ad summum est dubium, quia fundatur in mortali, quod dubiè supponitur esse commissum, & consequenter sicuti mortale est dubium, ita præceptum confitendi est dubium, ergo per dubium superveniens ipse non debet dejici de certa sua possessione antecedente, ergo ipse manet in certa possessione innocentiæ & libertatis contra præceptum confessionis. *Conf. 1.* quia in dubio, an voverim dare eleëmosynam, non teneor hanc dare, quia libertas mea est in possessione contra obligationem dubiam, quæ supervenisset, simile autem est hìc, ergo *Conf. 2.* nam hæc conformia sunt Regulæ 9. ff. De Regulis Juris. *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.* Item Reg. 56. *Semper in dubiis benigniora* 608.

*præferenda sunt.* Item Reg. 122. *Libertas omnibus rebus favorabilior est.* 2. Dubium, quod factâ diligentiâ vinci non potest, æquivalet ignorantiæ invincibili, ergo dubium de mortali, quod factâ diligentiâ vinci non potest, æquivalet ignorantiæ invincibili peccati mortalis, sed potest aliquis in confessione tacere mortale, quod ex ignorantia invincibili putat non esse mortale, ergo. 3. In dubio, an lex existat, non est obligatio legis, secundùm dicta l. 1. n. 272. & 470. docentque Authores communiter cum *Suar. Henriq. Sa, Laym.* De legibus c. 20. n. 4. *Sanch.* in Decal. l. 1. c. 10. à nu. 32. Item in dubio, an aliquid contineatur sub præcepto, censendum est non contineri, utì probat *Sanch.* ibidem, & consentiunt communiter alii apud *Moyam* nu. 10. atqui dubium est, an existat lex confitendi mortalia dubia, sive, an mortalia dubia contineantur sub præcepto confitendi mortalia, si enim hoc esset verum, tot viri sapientissimi re utrimque diligentissimè discussâ non negarent. 4. In judicio non admittitur ùt legitima accusatio, nec auditur necessariò testis, nisi prudenter præsumatur delictum, ergo neque hic sustinetur accusatio, nec necessariò auditur testis, adeóque nec necessariò exigitur confessio, nisi prudenter præsumatur delictum, sed in dubio negativo facta non præsumuntur, nec prudenter præsumitur delictum, quia in dubio homo præsumitur innocens, & quisque præsumitur bonus, donec probetur malus, utì habent Regulæ Juris apud *Laym.* nu. 30. Neque hic est motivum prudens judicandi delictū esse commissum, ergo. 5. Illa tantùm tenetur pœnitens confiteri, quorum habet conscientiam & memo-

memoriam; sed negativè dubitans de mortali, imprimis non haber illius conscientiam, quia secundùm S. *Bernardum* De interiore domo c. 11. *Conscientia est cordis scientia*, & secundùm S. *Th.* 1. p.q.79.a.13. O. *Conscientia importat ordinem scientiæ ad aliquid, nam conscientia dicitùr cum alio scientia*, ergo requirit cognitionem saltem ita probabilem mortalis commissi, ùt pro innocentia nulla stet probabilitas, sed possit dicere absolutè se sibi conscium esse de mortali, atqui negativè dubitans non habet cognitionem ita probabilem de mortali, nec potest absolutè dicere se sibi de illo conscium, ergo. *Confir.* nam dubium non est conscientia, conscientiæ enim est judicium, dubium autem est suspensio judicii, ergo. Deinde negativè dubitans de mortali non meminit mortalia, nam secundùm *Aristotelem* l. De memoria, quem sequitur S. *Th.* ibidem Lect. 1. *cùm anima memoratur, pronunciat se vel priùs audivisse aliquid, vel sensisse, vel intellexisse*, atqui negativè dubitans non potest hoc pronunciare, cùm non possit judicare, ergo non meminit. *Conf.* nam qui meminit se solvisse debitum, non tenetur ampliùs solvere; qui meminit se orâsse Horas, non tenetur ampliùs orare; qui meminit se confessum esse mortale, non tenetur ampliùs confiteri: è contrà qui negativè dubitat, an solverit, orârit, confessus sit, adhuc tenetur, utì volunt adversarii, ergo evidens est etiam secundùm ipsos, quòd negativè dubitare non sit meminisse, adeóque meminisse oportet non purè suspicionem vel quodcunque dubium improbabile, sed saltem opinionem probabilem circa aliquid ùt præteritum, ergo. 6. Sì *Trid.* sub Tò conscientia & memoria compre-

henderet conſcientiam & memoriam etiam dubiam, ergo ex vi T*rid.* eſſet obligatio confitendi peccata etiam poſitivè dubia, hoc autem eſt contra communem etiam adverſariorum ſententiam, utì dictum eſt n.600.601.602.ergo. Atque ex allatis rationibus colligitur *Thomas Hurt.* immeritò dixiſſe hanc ſententiam negantem eſſe temerariam; & *Moya* meritò dicit cenſuram illam eſſe improbabilem: hinc,

609. §. 12. Sententia affirmans obligationem confitendi mortalia negativè dubia, eſt ſpectatâ authoritate probabilior, utì patet ex dictis n. 607. Spectatis tamen præcisè rationibus intrinſecis negans videtur probabilior, utì patebit comparanti rationes intrinſecas nu. 607.& 608. allatas. Et re ipsâ longè faciliùs reſpondetur ad rationes ſententiæ affirmantis, nam omnes manifeſtè retorquentur in peccatis poſitivè dubiis, ergo nimiùm probant contra dicta n.600.601.602. & ſpeciatim ad ſingulas, ſic reſponderi poteſt: *Ad 1.* Regula illa non tenet, ubi pro una parte eſt poſſeſſio, utì fatentur adverſarii, ſententia autem negans dicit pro ſe eſſe poſſeſſionem innocentiæ & libertatis. Deinde certum eſt Regulam illam ſæpe eſſe tantùm conſilii, utì dixi l. 1. n. 490. *Nec obſtat*, quòd *Clemens* III. Cap. *Ad audientiam.* 12. De homicidio, dicat, quòd in dubiis ſemitam *debeamus* eligere tutiorem, *nam* Tò debe · ſæpiſſimè ſignificat tantùm debitum majoris congruentiæ, decentiæ, honeſtatis, utì oſtendit *Boſco* n.96. *Ad 2.* Diſtinguo, certum eſt à temporibus Chriſti dari præceptum confitendi mortalia, ſi ſint tantùm negativè dubia, n. Si ſint ſaltem probabiliter cognita ſine probabilitate pro oppoſito, c. ant.

ant. & n. conſ. *Ad 3.* Confeſſio eſt loco contritionis, quoad aliqua, c., quoad omnia, n., alioquin teneremur confiteri poſitivè dubia, quia antiqui tenebantur de illis conteri. *Ad 4.* n. min., alioquin poſitivè dubia etiam ſpectâſſent ad tribunal Chriſti. *Ad 5.* Si argumentum valet, lex confitendi debet ampliari etiam ad poſitivè dubia; item ad omnes circumſtantias aggravantes: itaque licèt inſtitutio hujus Sacramenti & poteſtas confitendi ſit favorabilis, ideóque extendatur etiam ad venialia, non ideo obligatio confitendi eſt favorabilis, cùm minuat & reſtringat libertatem illorum, ad quos hoc præceptum dirigitur: & ideo etiam, ſi Chriſtus obligâſſet ad confitenda venialia, fuiſſet obligatio oneroſa; ſicuti poteſtas abſolvendi à reſervato eſt favorabilis, non tamen reſervatio. *Nec obſtat*, quòd confeſſio ſit ad bonum animæ, *nam* etiam ad bonum animæ ſunt excommunicatio, reſervatio, imò omnes leges Eccleſiaſticæ; & tamen multæ dicuntur odioſæ, ideóque ſunt reſtringendæ. *Ad 6.* Patet ex dictis n. 608. in ratione 5. Et ſi argumentum teneret, eſſet obligatio confitendi etiam poſitivè dubia. *Ad 7.* n. conſeq. Quòd autem incurratur irregularitas per homicidium dubium, ideo eſt, quia id exprimitur Cap. *Ad audientiam* 12. De homicidio, in dubiis autem circa alias materias non incurritur irregularitas, quia hoc nullibi exprimitur, ergo cùm etiam nullibi exprimatur obligatio confitendi dubia, hæc non eſt aſſerenda, ſi enim eſſet talis obligatio, deberet exprimi, urì ex jure probat *Moya* tr. 3. d. 1. q. 5. nu 13 *Ad 8.* Fideles etiam confitentur imperfectiones, venialia & mortalia poſitivè dubia, neque tamen

ideo est obligatio illa confitendi. Deinde talis obligatio nasci non potest ex praxi fidelium, quia nequidem tota Ecclesia posset ferre legem de confitendis omnibus mortalibus, uti dicetur n. 2017. Nec consuetudo facit legem, nisi sit introducta cum animo se obligandi, de quo hic non constat, & in dubio censeri debet introducta sine animo se obligandi, uti habet communis cum *Suar. Merat. Bonac. Mcroll. Dian.* p. 1. t. 10. R. 30. *Pasq.* De Sacrif. q. 351. num. 5. & dixi l. 1. n. 571. Unde, inquit *Bosco* n. 94. forte ideo ex consilio invaluit ista consuetudo, quia plerique discernere non possunt, quænam peccata sint mortalia, quænam certa vel dubia, quænam positivè vel negativè dubia, & ideo malunt confiteri, quidquid occurrit, quàm se exponere periculo committendi mortale. *Ad* 9. Antiqui plurimi non examinârunt eam quæstionem, & qui examinârunt, plerique loquuntur æqualiter de positivè dubiis. Deinde pro ratione non afferunt traditionem Apostolicam, sed rationem hanc, quia in dubiis tutior pars est eligenda, de qua ratione dictum est ad 1.

610. §. 13. Sententia affirmans obligationem confitendi mortalia negativè dubia est absolutè probabilior, ita *Arr.* d. 31. nu. 28. *Illf.* nu. 112. *Moya* n. 33. qui per 30. annos sæpiùs docuerat publicè oppositam: Similiter *Carden.* in 1. crisi d. 46. nu. 259. dixerat negantem esse probabilem, postmodum d. 74. c. 2., re magìs consideratâ, dicit esse dubiæ probabilitatis: *Dian.* p. 4. t. 3. R. 5. dicit esse improbabilem. Ratio nostra est, quia certum est hoc Sacramentum a Christo institui potuisse cum obligatione confitendi mortalia negativè dubia, ergo probabi-

liùs

liùs dicitur esse sic institutum, quia in illis, quæ pendent à voluntate Christi, tenendum est hoc, quod dixerunt antiqui & adhuc dicunt plerique Authores, præsumendum enim est illos de voluntate Christi magis rescire quàm paucos, qui priùs ab annis 50. inceperunt dubitare, præsertim cùm videatur accedere à primis sæculis communis sensus & praxis fidelium. Hinc ad rationes num. 608. allatas dicendum est *tres primas* hìc non procedere, quia ex dictis satìs certò constat nobis de voluntate contraria Christi, ita ut præceptum confitendi dubia jam non debeat censeri dubium, sed satìs certum. *Ad* 4. n. cons. non enim valet argumentatio à foro externo, in quo principaliter agitur de vindicta & pœna odiosa reo, hìc autem agitur in favorem & commodum pœnitentis, ut absolvatur à peccatis & recipiat gratiam, ergo quamvìs in foro externo non admittantur delicta dubia, meritò hìc admittuntur. Et quamvìs talis pœnitens positivè non præsumatur reus, tamen præsumitur reus dubiè, & ideo etiam tantùm obligatur se accusare ùt dubiè reum, sive tenetur confiteri peccatum sub dubio tantùm. *Ad* 5. dicimus sufficere conscientiam & memoriam dubiam; *S. Bernardus.* S. *Tho.* & *Aristoteles* ibi loquuntur de conscientia & memoria certa. *Ad* 6. n. seq. nam prudenter potest deponere dubium & positivè judicare, vel se non peccâsse mortaliter, vel se esse confessum, utì dictum est à n. 600. Videri potest *Gormaz* p. 2. à n. 133. & 155.

§. 14. Scrupulosi non tenentur confiteri peccata negativè dubia, sed tantùm illa, de quibus certi sunt esse mortalia, utì habet communissima 611.

nissima cum *Sanch.* n. 85. *Côn.* n. 68. *Laym.* n. 3. *Aversa* §. *Denique*, *Stoz* n. 200. *Platel* n. 796. *Bussen.* & aliis, quod certissimum esse dicit *Tamb.* n. 16. Ratio est, quia illorum dubia ordinariè sunt inanes apprehensiones, & obligatio confitendi dubia, quæ apud ipsos sunt frequentissima, induceret in gravissimas molestias, ergo excusantur ab ejusmodi integritate materiali confessionis, secundùm dicta l. 1. n. 534. Similiter non tenentur confiteri peccata, nisi certi sint se nunquam confessos, utì habent iidem Authores & est communissima cum *Cajetan. Med. Nav. Henriq. Rodriq. Regin. Becan. J. Sanch.* d. 41. n. 18. est enim incredibile, quòd peccata illis non occurrissent antehac, quando erant recentiùs commissa, si autem recurrissent, fuissent confessi, unde supponere debent, vel non fuisse mortalia, vel se tum esse confessos: & licèt re ipsâ omisissent, jam excusantur ob gravissimas molestias, in quas se conjicerent. Addunt *Sa* v. *Dubium.* n. 5. aliique relati l. 1. n. 511. scrupulosum non teneri confiteri, nisi quæ potest jurare fuisse mortalia, & se nunquam fuisse confessum, quod plures cum *Stoz* n. 202 asserunt saltem de illo, qui valde scrupulosus est.

612. §. 15. Qui timoratæ est conscientiæ, id est, qui non solet plenè, advertenter & deliberatè offendere Deum, non tenetur confiteri, si dubitet, an peccârit mortaliter, utì constat ex illis, quæ dixi l. 1. à nu. 546. & l. 5. nu. 226. quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio, adeóque habet motivum positivè judicandi se non peccâsse mortaliter. Et idem est de illo, inquit *Gormaz* n. 170. qui multis abhinc annis fecit confessionem generalem, & modò

nega-

negativè dubitat, an tum dixerit certum peccatum, confessio enim est in possessione pro integritate, nisi occurrat positiva ratio prudenter dubitandi: Hinc docet *J. Sanch.* suprà, quod valdè notandum esse monet *Diana* p. 3. t. 4. R. 107. & sequitur *Stoz.* p. 3. n. 613., quando quis, etiam alioqui non scrupulosus, in vita fecit confessionem generalem adhibitâ mediocri diligentiâ in examinanda conscientia, non teneri ampliùs de vitâ anteacta cogitare, & si postea occurrat dubium, an peccatum sit in Confessione expositum, an cum numero & circumstantia, posse præsumere, quòd ita. Quod *Stoz.* n. 614. dicit etiam applicari posse ad confessiones particulares, nam qui semper bonâ fide præstitit, quæ ad Confessionem requiruntur; non tenetur in prioris vitæ acta ulteriùs inquirere; quamvis hìc & nunc non recordetur se hoc vel illud determinatè peccatum esse confessum: Idem dicunt communiter Auctores cum *Præposito* q. 5. n. 115. de illo, qui solitus est sollicitè confessiones suas instituere nec advertenter aliquid reticere, si diu post patratum peccatum suboriatur dubium, an illud sit confessus, non teneri iterum confiteri. Quorum omnium rationem à priori dat *Stoz.* p. 5. nu. 169., quia non meminisse te tale aliquid esse confessum, non est prudens dubium, quòd confessus non sis, quia sæpe vix hesternorum aut etiam hodiernorum meminimus, & cùm solitus sit se parare diligenter nec voluntariè omittere aliquid, prudenter præsumit se non fuisse oblitum nec omisisse. Contraria omnia sunt dicenda de illo, qui vel non est timoratæ conscientiæ, vel antehac non est solitus cum dili-

gentia & integrè confiteri, nam hìc sunt rationes contrariæ, & ex communiter contingentibus est præsumptio contra ipsum, hinc dirigere se debet secundùm dicta n. 604. & 605. Atque ex his colligitur vix unquam circa ista fore dubium merè negativum, nisi de aliquo ignoretur, an timoratus sit, vel in confessionibus rectè instituendis antehac sollicitus fuerit necne, quando enim pro pœnitente est præsumptio juris, hæc pars censenda est probabilis, utì rectè Sot. *Arrago. Sanch.* & alii cum *Moya* n. 23. ideóque talis potest se dirigere secundùm dicta à n. 600.

613. §. 16. Si ex levi omnino fundamento dubites, aut potiùs timeas, aut suspiceris, an non fortè peccâris mortaliter, vel an in confessione non omiseris mortale, non ideo teneris confiteri, quia non est dubium prudens, unde sicut sine rationabili motivo incidit, sic poteris sine alio motivo contemnere: Et si tum esset obligatio confitendi, orirentur innumeri scrupuli, utì rectè cum aliis *Mendo* n. 2.

614. Q. 86. *An peccatum dubium se solo sit materia sufficiens confessionis.* R. Esset materia sufficiens, si reipsa esset commissum, sed quia hoc incertum est, non debet se solo subjici absolutioni dandæ absolutè, utì communissimè omnes cum *Patel.* n. 797. quia cùm possit esse non verè commissum, Sacramentum exponeretur periculo nullitatis: itaque per accidens erit obligatio addendi aliud peccatum certum saltem veniale, aut absolutio erit tantùm sub conditione danda, inquit *Gormaz* p. 2. n. 169. Si tamen certus esses esse veniale, & cõfitereris sub dubio, an esset mortale an veniale, non esset opus addere aliud peccatum, quia se solo esset materia certa,

certa, *Sanch.* in Decal. l. 1. c. 10. n. 3. *Dicast.* d. 9. n. 290. Similiter rectè notat *Sporer* n. 56. si Confessarius ex circumstanttiis personæ confitentis advertat pro certo aliquod peccatorum, quæ pœnitens sub dubio confitetur, revera esse commissum, potest absolutè absolvere, quia peccatum est declaratum, prout in conscientia est, nec Sacramentum exponitur periculo nullitatis.

Q. 87. *Ad quid teneatur, qui confessus est mortale certum tanquam dubium, vel dubium tanquam certum.* R. §. 1. Si confessus sis mortale tanquam dubium, quale tum putabas esse, & postea agnoscas esse certum, te non teneri iterum tanquam certum confiteri docent *Meroll. Leand. Caram.* & alii, quos *Moya* t. 3. d. 1. q. 6. n. 2. & *Mendo* d. 10. nu. 68. referunt. Accedunt *Ar.* d. 31. n. 46. *Escob.* l. 15. n. 179. *Bosco* d. 7. s. 8. à n. 138. quamvis postea n. 152. revocet in dubium. Idem, absolutè tenent *Stoz.* l. 1 p. 5. n. 170. & *Sporer* n. 398. nec dissentit *Herinx* d. 3. n. 51. quamvis absolutè nihil videatur determinare. Rationem dant 1. quia confessus es, uti habebas in conscientia, & directè es absolutus, nemo autem tenetur iterum confiteri id, à quo directè est absolutus. 2. Dubietas vel certitudo non est circumstantia se tenens ex parte objecti, quod solùm explicari debet, sed tantùm per accidens se habet ex parte intellectûs. 3. Absolutus à censura vel voto dubio non tenetur iterum absolvi, quamvis comperiat fuisse certa. Similiter in judicio forensi absolutus à crimine dubio non potest revocari ad judicium, quamvis crimen postea agnoscatur certum, uti cùm communi *Covar. Sanch. Lug. Tamb.* De confes- 615.

l. 2. c. 1. nu. 25. ergo à pari hìc. 4. Et præsertim, quia si dubites de numero, & ideo dicas te decies circiter feciſſe, quamvìs poſtea comperias te feciſſe undecies, non teneris poſtea hanc undecimam vicem confiteri, quamvìs hanc ſub dubio tantùm ſis confeſſus, ergo nec peccatum ùt certum, ſi confeſſus ſis ùt dubium. Hæ rationes non ſunt exigui roboris, inquit *Mendo* n. 76. & ideo Magiſter ſacri Palatii aliique apud *Lugo* d. 16. n. 93. dixerunt ſententiam iſtam eſſe probabilem, qualem etiam cenſent *Verric. Pellic. Roſel. Sachus, Delgald. Ferrant. Tancr. Perez* apud *Moyam* ſuprà, *Lohner* De confeſ. p. 2. c. 12. §. 2. q. 7. dicit pœnitentem in praxi poſſe ſequi, *Tamb.* num. 24. vocat ſententiam probabiliſſimam, *Breſſ.* non improbabilem, & ideo *Gob.* in Exp. t. 4. n. 214. dicit aliquem ſic recordantem mortalis ùt certi, quod ùt dubium erat confeſſus, probabiliter poſſe tutò communicare ſine nova confeſſione. E contrà eſſe obligationem iterum confitendi docent reliqui communiter, quos citat & ſequitur *Mendo* nu. 70. quod *Gob.* t. 7. n. 215. tenet ùt probabilius, *Illſ.* n. 116. dicit eſſe omnium ferè Doctorum, *Dicaſt.* d. 9. n. 141. dicit oppoſitum eſſe inauditum in Eccleſia, *Sanch.* in Decal. l. 1. c. 10. n. 69. *Carden.* in 1. criſi d. 51. n. 6. *Moya* dicunt eſſe certum & communi praxi totius Eccleſiæ conforme: *Lugo* à n. 77. poſtquam in utramque partem optimè diſcurriſſet, concludit ſe ab hac utpote communi nolle recedere. Omiſſis autem aliis rationibus, quæ vel nimiùm probant, vel facilè retorquentur, probatur ex dictis n. 610. quia in illis, quæ pendent à voluntate Chriſti, utì hìc eſt, tenendum eſt hoc, quod dicunt plerique, ſed

sed plerique dicunt peccatum tale esse repetendum, ergo. Deinde ab initio erat obligatio assertivè illud confitendi tanquam certum, etiam ideo, quia notabiliter immutatur judicium Confessarii, debetque alia ferri sententia & alia imponi satisfactio, si assertivè proponatur ùt certum, quàm si ùt dubium, ergo cessante dubio, quod per accidens tantùm suspendebat & non tollebat obligationem, redit obligatio assertivè confitendi ùt certùm. Ad rationes oppositas respondetur,

*Ad* 1. n. conf. per accidens enim sæpe est obligatio iterum confitendi id, à quo directè es absolutus, utì num. 590. dictum est, etiam ideo quia necdum absolutus es absolutè, sed tantùm quasi sub conditione, debes autem, per se loquendo, ab omni mortali absolvi directè & absolutè.

*Ad* 2. Quamvìs certitudo explicari non debeat, tamen debet explicari peccatum jam substans certitudini, quia in hoc statu est moraliter aliud à se ipso ùt substante dubietati, nam substans dubietati poterat nullum esse peccatum. *Conf.* nam si planè ignorans, an pejerasses, dixisses, accuso me de perjurio, quod potui fecisse, vel de perjurio, si feci, postea agnoscens te feciſſe, tenereris absolutè confiteri tanquam factum, utì docent omnes communiter cum *Lugo* & *Moya*, quamvìs ab illo æquè dici posses directè absolutus, & certa cognitio non sit circumstantia se tenens ex parte objecti sed ex parte intellectûs tantùm, ergo similiter hìc.

*Ad* 3. n. conf. Absolutio à censura, voto, crimine forensi, non pendet ab illo, qui absolvitur, nec ab ejus dispositione vel confessione, sed

sed fieri potest à Superiore etiam invito reo. E contrà absolutio à peccato prætequirit affectivam confessionem certi peccati, prout postea est in conscientia.

616. *Ad* 4. est difficiliùs respondere, nam Lugo àn. 78. *Arr.* a n. 45. *Dicast.* à n. 124. & alii putant non posse inveniri disparitatem inter peccatum sub dubio & numerum sub indeterminatione per Tò circiter expressum, hinc Authores primæ sententiæ dicunt in neutro casu esse obligationem aliter postea confitendi: E contrà. G. *Hurt. Dicast.* n. 140. *Steph.* t. 5. d. 5. n. 153. *Schild.* t. 6. n. 48. *Aversa* q. 10. s. 12. §. *Post quam*, *Carden* apud *Illsf.* n, 150. negant antec. & dicunt esse obligationem confitendi postea illam undecimam vicem, ad quod etiam dicendum dicit se ratione cogi *Gob.* t. 6. n. 443. nam si dixisset, decies pejeravi & dubito de undecima vice, foret obligatio hanc undecimam vicem confitendi iterum, si postea de illa redderetur certus, utì fatentur *Moya*, *Illsf.* n. 116. ergo etiam in priore casu. His non obstantibus quia communissima sententia *Soti*, *Vegæ*, *Suar. Vasq. Bona. Regin. Côn. Stoz* n. 97. *Sporer* n. 446. & aliorum, quos refert *Lugo* n. 78. dicit non esse opus postea confiteri istam undecimam vicem: si dixerit, utì tum putabat, pejeravi decies circiter, & hunc esse communem sensum fidelium dicit *Arr.*; *Illsf.* autem dicit esse ferè omnium, hinc concesso antec. neganda est conseq., Disparitatem hanc dat *Moya*, quam etiam ex parte agnoscit *Lugo* n. 588., quia secundùm interpretationem communem voluntatis Christi, quam dant Authores, non est obligatio fatendi numerum mathematicè sed mora-

moraliter, ita ut Confessarius intelligere possit aliqualiter multitudinem peccatorum & statum pœnitentis, hoc enim sufficit, ut imponat satisfactionem debitam: & quòd semel aut bis plùs vel minùs fecerit, non solet multùm variare judicium Confessarii in ordine ad imponendam pœnitentiam. Oppositum est de exprimenda certa entitate peccati, nam Confessarius longè aliter debet judicare de certo, quàm de dubio peccato. Cur autem Christus voluerit magis determinatè significari speciem quàm numerum, ratio potuit esse, tum quia numerus longè difficiliùs cognoscitur & faciliùs è memoria excidit, tum quia Cpnfessarius faciliùs conjicere potest veritatem numeri, quàm certitudinem peccati. Aliam disparitatem dant *Mendo* nu. 76. & *Illf.* suprà, quia, qui dixit, decies circiter, sufficienter dixit undecimam vicem, nam illam dixit assertivè, quamvis sub disjunctione, nempe dicendo vel decem vel novem, vel undecim vices, & assertio illa disjunctiva est absoluta ac certa, propositio autem disjunctiva verificatur in quacunque parte disjuncti, ergo si commiserat undecim vicibus, confessio assertiva determinatè verificabatur in numero undecimo, sicque hic numerus erat sufficienter assertus & expressus. E contrà in confessione peccati ùt dubii nullo modo asserti vè exprimitur peccatum, neque in ista confessione ùt dubii verificatur confessio ùt certi. Aliam adhuc disparitatem dat *Burgh.* centur. 2. cas. 55. quia hoc ipso, quòd parvus numerus contineatur in magno, quasi absorbetur in illo & censetur in hoc explicatus: E contrà cùm dubium separatim exponatur, & certum non imbiba-

imbibatur in dubio, certum debet in seipso exprimi. Denique etiam à posteriori colligitur disparitas, nam peccata decem plùs minùs sunt materia certa absolutionis absolutæ, non autem peccata dubia, uti n. 614. dictum est, ergo. Quousque autem particula illa, circiter, extendatur, dicetur à n. 940.

617. §. 2. Si confessus sis mortale tanquam certum, quale tum putabas esse, quamvis postea judices esse dubium, non teneris iterum confiteri tanquam dubium, uti habet communissima cum *Dicast.* n. 287. *Bosco* d. 7. s. 8. n. 134. *Tamb.* n. 19. & certum esse dicit *Lugo* n. 77. imprimis quia confessus es, uti habebas in conscientia: deinde quia qui absolvitur à peccato certo, magis absolvitur à dubio, cùm sententia lata in illud ùt certum afficiat & exæquet totam rationem dubii quodammodo inclusam & superatam in ratione certitudinis. Atque idem est, si confessus sis majorem numerum & postea agnoscas fuisse minorem, aut si confessus sis peccatum ùt dubium, & postea agnoscas fuisse nullum, nam postea aliquid de hoc dicere non esset se accusare sed excusare, quod, per se loquendo, non est opus, quando confessio

618. jam bonâ fide peracta est.

§. 3. Si mortale certò cognitum confitearis tanquam dubium; aut è contrà si dubites de mortali, & te accuses tanquam de mortali certo, teneris iterum confiteri, *Tann.* q. 7. n. 45. *Dicast.* n. 136. *Lugo* n. 79. *Mendo* n. 79. *Illsung.* n. 114. aliique communiter contra *Bosco* n. 139. Ratio est, quia non es confessus, prout habebat in conscientia: imò si hoc advertenter fecisti, mentitus es in re necessaria notabiliter immu-

tante

rante judicium Confessarii, sicque peccâsti mortaliter, *S. Th. S. Anton. Palud. Sot. Led. Sylv. Aversa* q. 10. s. 3. *Moya* q. 5. n. 24. Et de hoc dicit *Sanch.* n. 68. neminem dubitare, nam ita confitendo dicebas te sic habere in conscientia, quod tamen falsum erat: unde quamvis non sit necessarium addere te habere certitudinem de existentia peccati, sed satis sit absolutè dicere te feciſſe, tamen non debes addere verba significantia certitudinem vel incertitudinem, quando judicium tuum non est tale.

§. 4. Si confessus es peccatum integrè, prout factum est, & prout conscientia tunc te arguebat, v. g. dicendo te osculatum esse virginem, quod peccatum jam nescis, sed dubitas, an fuerit veniale, an mortale, quamvis etiam tecum dubitaverit Confessarius, non teneris iterum confiteri, licèt postea tu vel Confessarius agnoscat fuisse mortale, *Sanch.* n. 69. *Lugo* n. 93. *Tamb.* n. 26. *Stoz* n. 170. & tandem consentit *Arr.* n. 50. dicitque *Bosco* n. 148. esse communem, quia confessus es integrè, neque ex modo confitendi determinâsti Confessarium ad falsò judicandum: sed neque ad valorem Confessionis requiritur, ut pœnitens vel Confessarius sciat peccatum esse mortale vel veniale, utì pluribus ostendunt *Dicast.* d. 10. n. 349. & *Ills.* n. 151. Unde etiam, quamvis per accidens judicetur esse veniale, quando est mortale, non obstat valori Confessionis, dummodo pœnitens dixerit factum, sicuti tunc in conscientia novit. Idem est, inquit *Arr.*, si rectè dixeris numerum peccatorum, quamvis Confessarius præsumpserit alium. Id tamen notandum est, quòd quando aliquod factum de se fuit indifferens 619.

ad mortale vel veniale, pœnitens, si meminerit, teneatur addere, an apprehenderit esse mortale vel veniale, uti omnes fatentur.

620. Q. 88. *An peccatum in communi sit materia sufficiens vel necessaria Confessionis.* R. §. 1. In casu necessitatis sufficit confiteri peccata etiam mortalia in genere tantùm, v. g. dicendo, accuso me de peccatis meis, *S. Tho.* & alii 49. gravissimi Authores cum *Vindice Gobat* propos. 1. n. 12. *Averja* q. 10. s. 16. *Dicast.* d. 9. n. 744. *Palaus* n. 293. aliisque communissimè, tum ex Rituali Romano, tum ex praxi Ecclesiæ, quæ absolvit moribundos, quamvis nullum peccatum in particulari expresserint, uti dicetur à n. 1156. Ratio autem est, quia hoc ipso, quòd doleat de peccato & se peccâsse manifestet, subjicit materiam aptam absolutioni: & sicuti impotentia excusat ab expressione numeri, ita etiam ab expressione speciei. An verò aliquid & quid in ejusmodi casu dici debeat directè absolvi, non conveniunt Authores; *Dicast.* à n. 748. dicit directè absolvi omnia, de quibus est dolor & ejusmodi Confessio quantumvis generica: *Lugo* d. 17. à n. 13. probabiliter dicit formaliter & directè remitti solùm prædicatum genericum peccati in communi, quia hoc solùm ex vi Confessionis fit Confessario cognitum, materialiter autem & indirectè remitti unumquodque peccatum mortale, prout à parte rei est identificatum illi prædicato generico.

§. 2. Etiam extra casum necessitatis, mate-
621. ria sufficiens & licita Confessionis est veniale secundùm speciem, uti si dicas, accuso me de mendaciis, fui impatiens, nullum exprimendo numerum, ita Authores communiter, &

certum

certum esse meritò dicit *Carden.* in 2. crisi d. 2. à n. 124. contra quosdam recentiores, quia est Confessio peccati, & quidem determinatè saltem unius in hac specie, nec obligatio est addendi numerum venialium. *Nec obstat*, quòd consecratio non valeat, si velis consecrare aliquas hostias in cumulo & non determines quas, *nam* hoc ideo est, quia per pronomen *Hoc* exigitur determinatio materiæ consecrandæ, nihil autem est in forma absolutionis, quod exigat determinationem alicujus peccati, ergo.

§. 3. Probabilius videtur non esse licitum 622.
extra casum necessitatis se in genere tantùm accusare de solis venialibus, v. g. dicendo, accuso me de multis venialibus, quæ per vitam feci, sed debere aliquod addi saltem in specie, tum quia est contra praxin Ecclesiæ, tum etiam quia hoc Sacramentum est institutum per modum accusationis & judicii, hæc autem, per se loquendo & ordinariè, fieri debent circa materiam saltem in specie certam & determinatam, *Suar.* d. 23. s. 1. n. 10. *Averja* §. *Quartò. Bosco* d. 7. s. 9. à n. 115. *Con.* & *Bonac.* apud *Dian.* p. 3. t. 4. R. 66. contra *Dicast.* n. 761. *Burgh.* cent. 3. casu 41. & alios.

§. 4. Si quis extra necessitatem ita in genere 623.
tantùm se accuset de venialibus, non determinando ullum in specie, validè quidem absolvitur, uti authores communiùs cum *Herinx* d. 3. n. 67. & *Bosco* nu. 114., valde tamen incertum est, quæ & quot venialia remittantur ex vi absolutionis: *Dicast.* d. 6. dub. 17. & *Dian.* p. 11. t. 5. R. 24. putant remitti omnia, ad quæ se extendit dolor, quia aliqua remittuntur, non est autem ratio, cur unum & non alterum. ergo.

È contrà *Lugo* d. 14. n. 142., ad quem inclinat *Bosco* s. 4. nu. 38. putat illa tantùm remitti, quæ Confessarius censetur potuisse secundùm speciem percipere, vel ex verbis pœnitentis, vel ex modo confitendi, vel saltem ex circumstantiis, quia illa sola censentur directè affici per sententiam absolutionis, cùm illa sola fiant ex vi Confessionis sufficienter cognita, & sic censebuntur sufficienter cognosci negligentiæ in officio, distractiones in oratione; item aliqua venialia, quæ pœnitens solet confiteri, ideoque saltem aliqua horum venialium remittentur, reliqua autem non remittentur nequidem indirectè, cùm enim unum veniale remitti possit sine altero, remissio indirecta, de qua dixi num. 597. non habet locum in distinctis venialibus, utì fatetur *Dicast.* n. 320.

624. §. 5. Si quis in specie tantùm se accuset de venialibus non determinando ullum numerum, sed dicendo, v. g mentitus sum, fui impatiens, *Arr.* d. 28. n. 23. *Dicast. Dian.* & *Bosco* suprà aliique multi apud *Moyam* d. 5. q. 5. à nu. 115. valde probabiliter dicunt ex vi absolutionis remitti omnia, ad quæ se extendit dolor, sicuti ad consecrandum omnes hostias, quæ ante me sunt, non est opus scire vel determinare, quot ibi sint, sed satìs est, quòd mea consecratio feratur super omnes in confuso: Contrà dicunt tamen etiam probabiliter *Lugo* suprà & alii, qui dicunt tantùm tot remitti, quot Confessarius censetur potuisse percipere ex vi Confessionis vel circumstantiarum, & ratio data est n. 123. unde in praxi tutius est addere aliquem numerum, si occurrat.

625. §. 6. Sciens se peccâsse mortaliter, sed nesciens

neſciens in qua ſpecie, tenetur dicere, peccavi mortaliter, eſtque hæc materia ſufficiens & neceſſaria abſolutionis, utì dicetur n. 1137. An autem abſolvi poſſit, qui nullum dixit peccatum, ſed tantùm dedit aliqua ſigna doloris, dicetur à n. 1156.

*Q. 89. Quid addendum ſit circa formam Sacramenti Pœnitentiæ.* R. ſeqq. § 1. Cùm formæ Sacramentorum ſecundùm dicta p. 1. n. 11. ſint determinatæ ad certam ſignificationem, communis ſententia tenet, per formam Pœnitentiæ ſignificari debere, 1. perſonam abſolventis. 2. explicitè perſonam hominis abſolvendi. 3. actualem liberationem à peccato. 626.

§. 2. *Scotus* in 4. diſt. 14. q. 4. putavit nulla præciſa verba hic eſſe neceſſaria, ſicuti neceſſaria ſunt in Baptiſmo & Euchariſtia; ſed ſi velit nulla omnino verba formalia eſſe neceſſaria, hoc ſuſtineri non poteſt, utì conſtabit ex §. ſeqq. Si autem tantùm velit eſſentiam formæ ſalvari in quibuſcunque verbis, dummodo retineant ſenſum à Chriſto intentum, hoc verum eſt, ſecundùm dicta p. 1. n. 29. ſed non video, cur aliud requirat in Sacramento Baptiſmi vel Euchariſtiæ, nam ad horum valorem etiam ſufficiunt verba æquivalentia. 627.

§. 3. Ad abſolutionem ſacramentalem requiruntur verba formalia, quod meritò dicunt eſſe certum *Suar.* d. 19. ſ. 1. n. 3. *Lugo* d. 13. n. 2. *Averſa* q. 12. ſ. 1. *Arr.* d. 49. n. 1. *Ill.* n. 18. ita ut uterque *Sot.* apud *Moyam* d. 6. q. 5. n. 49. oppoſitum vocent errorem vel hæreſin. *Probatur* 1. ex Florent. in Decreto *Eug.* IV. ad Armenos, ubi ait, *Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert.* 2. Ex Trid. ſeſſ. 628.

14. De pœn. c. 3. dicente formam in illis verbis Ministri positam esse, *Ego te absolvo &c.* 3. Ex traditione & perpetuo usu Ecclesiæ. 4. Ex consensu Theologorum & communi sensu fidelium. *Nec obstat*, quòd absolutio in foro externo, imò etiam in interno absolutio à censuris fieri possit scripto, *nam* pro absolutione à peccatis aliter voluit Christus, quod nobis constat ex dictis, & ita etiam posset Rex pro suo regno statuere, ut non valeret sententia Judicis, nisi voce prolata in foro.

629. §. 4. *Durand.* & *Aureol.* apud *Amic.* d. 11. n. 5. dicunt præter hæc verba, *Te absolvo à peccatis*, essentialiter etiam requiri illa, *In nomine Patris & Filii &c.* vel saltem similia, quæ significent Deum tanquam principale agens, uti in Baptismo exprimitur his, *In nomine Patris & Filii &c.* Hæc sententia communiter rejicitur ab omnibus, teste *Lugo* d. 13. nu. 13. ideoque secundùm *Bosco* t. 3. n. 8. non est probabilis, sed opposita est omnino certa, inquit *Arr.* nu. 15. nam pro Baptismo habemus fundamentum in scriptura *Matthæi 28. ℣. 19. Baptizantes eos in nomine Patris &c.* tale autem nullum est pro Sacramento Pœnitentiæ. Deinde ratio est diversa, quia Sacramentum Baptismi est specialiter Sacramentum fidei, ergo meritò potuit Chri-
630. stus requirere professionem Dei Unius & Trini, quod ipsum in p. 1. n. 382. dixi de Sacramento Confirmationis, quod est ad roborandam fidem in Baptismo acceptam, quæ ratio non est de Pœnitentia.

§. 5. P. *Sot.* & *Angel.* apud *Amic.* n. 8. item *VViggers* apud *Bosco* n. 12. dicunt hæc requiri, *Absolvo te à peccatis tuis*, putatque *Gabr.* apud *Illf.*

*Illſ.* n. 20. etiá addi debere, ab omnibus peccatis tuis: ſed contrà eſt, quia certum videtur non requiri Tò *tuis*, cùm ſignificatio illius vocis ſatìs contineatur in tò *te*, utì apud omnes in confeſſo eſt, inquit *Boſco* n. 15. & ſatìs manifeſtè colligitur ex Rituali Romano, quod pro forma in neceſſitate aſſignat iſta verba, *ego te abſolvo ab omnibus cenſuris & peccatis*, omittendo Tò *tuis*. Et idem videtur eſſe de tò *omnibus*, nam Rituale Romanum in forma ordinaria etiam omittit, & meritò, quia ſæpè non remittuntur omnia venialia, nec directè illa mortalia, quæ quis per oblivionem non eſt confeſſus, hinc *Arr.* ſuprà dicit Tò *omnibus* debere omitti.

§. 6. S. *Tho.* p. 3. q. 84. a. 3. *Catech. Rom.* S. *Anton.* aliique 42. graviſſimi Authores cum *Dian.* p. 11. t. 6. R. 11. ad quos accedunt *Rhodes*, *Dicaſt.* *Illſ.* *Sporer* & recentiores communiſſimè, dicunt ſufficere hæc verba, *abſolvo te*: Sententiam hanc optimè defendit *Mlotz.* d. 6. q. 1. diff. 2. p. 1. eamque certiſſimam vocat *Suar.* de cenſ. d. 10. ſ. 2. n. 7. *Eſcob.* l. 14. n. 199. omnino certam, *Tamb.* De confeſſ. l. 3. c. 10. n. 57. certam: ſed immeritò, utì conſtabit ex dicendis: eſt tamen valde probabilis, tum ex communi Doctorum ſenſu, qui in illis, quæ à Dei voluntate pendent, multùm ponderis habet, tum quia hæc verba videntur ſufficienter ſignificare effectum Sacramenti, qui eſt remiſſio peccatorum, hoc ipſo enim, quòd dolor ſit manifeſtatus per Confeſſionem peccatorum, abſolutio ſubſequens ſaltem ex circumſtantiis & intentione Sacerdotis videtur ſufficienter determinata ad ſignificandam liberationem determinatè à peccatis. 631.

§. 7. *Herinx* d. 1. n. 27. dicit verba illa, *abſolvo* 632.

*solvo te*, ùt conjuncta cum circumstantia Confessionis & intentione Ministri habere vim significandi etiam *à peccatis*, si tamen Minister intenderet per illa sola non significare, sed tantùm simul per ista, *à peccatis*, dicit non significatura sine his, adeoque si adsit hæc intentio, omnia ista verba, *absolvo te à peccatis*, fore de essentia, quia Tò *absolvo* sumetur in significatione generali tanquam determinandum per verba subsequentia, sicuti verba æquivoca vel dubia per intentionem loquentis determinari possunt ad hanc vel istam significationem. Hæc sententia etiam probabiliter defendi potest, nihilominus,

633. §. 8. Probabiliùs videtur, quòd ad essentiam formæ Sacramenti pœnitentiæ semper requirantur hæc vel æquivalentia verba: *Absolvo te à peccatis*. Ita Auctores n. 629. & 630. citati, ad quos accedunt *Palud. Maj. Pasq. Martin.* apud *Dianam* suprà: sequuntur *Aversa* q. 12. s. 3. *Gorm.* n. 185. & alii. *Probatur* 1. ex verbis, quibus Christus instituit hoc Sacramentum *Joannis* 20. per hæc enim fecit expressam mentionem peccatorum, nam non dixit, quibus remiseritis, remittetur eis, sed *quorum remiseritis peccata*, ergo sicuti ex eo, quòd Christus instituens Baptismum fecerit expressam mentionē baptizantis & baptizandi; item Dei Unius & Trini, adversarii dicunt debere hæc determinatè significari per formam Baptismi, ita debent dicere de Tò *à peccatis* significando per formam Pœnitentiæ. *Prob.* 2. nam hoc innuunt Concilia *Florent.* & *Trid.*; item Rituale Romanum, quando expressè dicunt formam hujus Sacramenti esse verba, *Ego absolvo te &c.* ubi per Tò

*&c.*

*&c* videntur velle aliquid requiri præter illa, *ego te absolvo. Nec obstat*, quòd aliqua exemplaria Florentini, teste *Dicast.* non habeant Tò *&c. nam* exemplaria *Trid.* ubique habent, & communiter habent etiam exemplaria *Florentini*, saltem ubi ad longum impressum est, utì fatetur *Bosco* n. 9. *Quamvis* autem probabiliter dicatur ideo apposuisse Tò *&c.*, quia alia addi debent ex præcepto. *tamen* incertum est, an hoc tantùm intenderint, & oppositum colligitur ex simili loco *Tridentini*, nã sess. 14. De extrema Unctione c. 1. dicit hujus Sacramenti formam esse illa verba, *per istam unctionem &c.* & tamen certum est quòd verba alia inclusa in Tò *&c.* sint de essentia hujus formæ: hinc *Conf.* nam omnes communissimè dicunt de essentia formæ extremæ Unctionis esse non tantùm ista verba, *per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus*, sed etiam ista, *quidquid deliquisti*, & quidem ratione suì, ut fiat expressa mentio peccati, ergo multò magis debet fieri mentio peccati in forma Pœnitentiæ, cùm sit directè & per se ad remissionem peccati, utpote Sacramentum mortuorum, & per Tò *absolvo* nõ ita significetur peccatum, utì per Tò *indulgeat*: unde *Prob.* 3. Quia per formam Pœnitentiæ debet significari remissio peccatorum, utì fatentur omnes, sed per verba illa, *absolvo te*, non significatur remissio peccatorum, verba enim illa sunt indifferentia ad significandam remissionem, vel censuræ tantùm, vel peccati tantùm, vel pœnæ tantùm, vel omnium horum, vel aliquorum tantùm; & simpliciter nihil horum significant, nequidem æquivocè, tam parùm quàm vox, *comedo*, æquivocè significet carnem vel piscem, aut vox, *dono*,

significet aurum vel pomum, uti rectè probat *Arr.* d. 49. à n. 18. Si tamen quis velit, quòd vox, *absolvo*, illa omnia significet, significabit univocè, quia propter eandem rationem per nomen significatam, nempe quia significat, *libero*, secundùm dicenda n. 641.

634. *Respondent*, determinari per circumstantias confessionis factæ & simul per intentionem Sacerdotis, ut potiùs significent hoc quàm illud. *Contrà est* 1. Ergo ex se non habent significare remissionem peccatorum, hoc autem videtur requiri ad formam hujus Sacramenti, ad quam Christus assumpsit verba & non circumstantias. 2. Si sufficeret, quòd simul loquantur circumstantiæ, ergo pro Eucharistia etiam sufficiet hæc forma, *ecce corpus meum*, si simul digito demonstrem hostiam præsentem, quod tamen plerique negant: item in hoc Sacramento sufficiet, Tò *absolvo*, si digito demonstrem hominem jam confessum, quòd licet in casu aliquo concedat *Sotus*, & probabile dicat *Arr.* nu. 23, tamen sententiam illam malè audivisse testatur *Aversa* s. 2. §. *Septimò*, quia Christus videtur voluisse exprimi personam absolvendi, ut ita sententia judicaria caderet super determinatum subjectum, nam Christus instituens dixit, *quorum* remiseritis peccata, & non dixit, quæ peccata remiseritis. Deinde si sufficeret absolvendum & ejus peccata ex circumstantiis intelligi, ergo si quis confessus peteret à Confessario, nunquid me absolvis? & Confessarius responderet, ita, Tò *ita* sufficeret, quia in his circumstantiis & ex intentione proferentis significaret, *absolvo te à peccatis*, quod quamvis concedat *Martinez* apud *Haun.* l. 4. num. 977., tamen

*Lugo*

Lugo d. 13. n. 25. meritò dicit oppositum èssè certum.

*Obji.* 1. Hæc forma Baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patria filia & spiritu sancta*, est valida, 635.
utì dictum est in p. 1. n. 36. sed ideo est valida, quia verba ex circumstantiis erant significativa veri sensûs, ergo similiter hæc verba, *absolvo te*. R. n. min. nam ideo est valida, quia in istis circumstantiis erant ex institutione sua secundaria, secundùm se significativa veri sensûs, utì ibidem explicatum est; aliud autem est verba ex circumstantiis sive cum circumstantiis esse significativa, utì sunt illa, *absolvo te*, aliud esse de se significativa in circumstantiis, qualia sunt hæc, *in nomine Patria*, quæ prout significativa includunt secundariam volitionem instituentium conditionatam, essentialiter respicientem has circumstantias, quâ volebant, ut si proferrentur in præsuppositis his circumstantiis, hoc significarent, ergo hæc verba ex institutione illa sua secundaria de se sunt significativa talis objecti, non per circumstantias simul loquantes, sed seipsis ex vi talis institutionis: è contrà verba illa, *absolvo te*, ex nulla institutione nequidem secundaria habent, quòd se solis significent absolutionem à peccatis, sed hanc debent simul significare circumstantiæ.

*Obji.* 2. Si quis commiserit unicum pecea- 636.
tum post Baptismum, falsum erit, absolvo te à peccatis, quia non habet peccata sed peccatum. R. Aliqui dicunt originale simul secundò remitti per infusionem hujus gratiæ, sed contrà, quia sola peccata post Baptismum commissa cadunt sub absolutionem Sacerdotis, secundùm dicta n. 588. Itaque dicendum est poni

in

in plurali, quia communiter adsunt plura, & si fortè adsit unicum ex modo loquendi ponitur plurale pro singulari, utì quando dicimus, *nos, vos*, pro, *ego, tu*, Ex dictis,

637. *Colliguntur 3eqq* 1. Hæ formæ, *tu à me absolveris à peccatis* : Petrus vel dominatio vestra me absolvitur à peccatis : Jubeo, volo te absolutum esse à peccatis, sunt validæ, quia est mutatio tantùm accidentalis, cùm verba retineant sensum à Christo intentum : sunt tamen illicitæ, quia fit contra consuetudinẽ & præscriptum Ecclesiæ. Et universaliter dixi in 1. p. à n. 40. quandonam mutatio accidentalis censeatur notabilis, adeoque sit peccatum mortale, & quandonam non sit notabilis, ideoque sit venia veniale tantùm vel etiam nullum peccatum. Speciatim hìc omittere tò *ego*, *Platel.* n. 801. dicit nullum esse peccatum, quia sufficienter includitur in Tò *absolvo* : *Gormaz* n. 185. dicit esse saltem veniale, *Aversa §. sextò* aliique communiter dicunt esse veniale tantùm, contra *Fagund.* qui putavit esse mortale. Similiter videtur esse veniale tantùm omittere Tò *tuis*. Si autem omittantur ista, *in nomine Patris & Filiì & Spiritûs sancti, amen*, aliqui cum *Dicast.* n. 28. dicunt nequidem esse veniale, quia putant consuetudinem Ecclesiæ illa addentis esse liberam. *Gran.* putat vix excusandum à mortali, & videtur in idem inclinare *Gormaz* n. 193. sed absolutè dicunt esse veniale tantùm *Bosco*, *Platel.* aliique communiter.

638. 2. Quamvìs ad valorem sufficiat, *absolvo à peccatis tuis*, utì habent *Lugo*, *Dicast.* n. 53. *Aversa* suprà, tamen videtur fore mutationem notabilem, adeoque mortale, imò fortè esset mutatio

tio inducens dubium de valore, qualis etiam est hæc, *mundo te à peccatis*, cùm non habeat speciem judicialis sententiæ, semper autem mortale est extra necessitatem uti materiâ vel formâ dubiâ, secundùm dicta p. 1. n. 45. Denique docent *Sa*, *Bosco* n. 6. *Dicast.* nu. 24. *Gob.* t. 7. n. 160. dummodo dicantur hæc verba, *ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, amen*, quamvis omittantur omnia antecedentia & subsequentia, non fore nequidem veniale, quia *Trid.* dicit tantùm laudabiliter adjungi. E contrà alii dicunt fore veniale, si absque rationabili causa omittantur ista verba: *Dominus noster JESUS Christus te absolvat & ego authoritate ipsius*, quia hæ voces videntur ex Ecclesiæ usu & voluntate assumptæ ad conflandam unam totam propositionem, quæ sit ordinaria forma hujus Sacramenti. Verba illa, *Passio Domini &c.* de quibus habet *Busenb.* n. 579. relatus, utiliter adduntur, præsertim in confessione generali, aut si tempore abundes, nam probabile est opera pœnitentis per illa elevari ad satisfaciendum, uti dicetur n. 1250.

639. 3. Si quis formam mutaret in modum deprecativum, v. g. dicendo, *O Deus absolve hunc à peccatis suis*, esset invalida, uti habet communissima cum *Aversa* s. 2. & *Bosco* à num. 64. ideoque S. *Th.* opusc. 22. c. 11. dicit oppositum esse temerarium, quia non esset sententia judicialis, qualem ex Christi institutione debere esse docet *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 2. & can. 9. Hinc rectè notant *Lugo* n. 105. & *Gorm.* n. 213. nequidem apud Græcos valere, si fiat more tantùm precatorio, unde quando aliqui SS. PP. absolutionem vocant orationem, volunt esse æqui-

æquivalenter talem, in quantum est repræsentatio meritorum Christi, quibus movetur Deus ad dandam gratiam, vel certè loquuntur de tota forma ordinaria, prout includit etiam antecedentia & consequentia. Si tamen diceret, *absolvat te Deus per me a peccatis*, non more deprecativo, sed imperativo, putat *Lugo* nu. 106. fore validam: Si autem tantùm dicat, *absolvat te Deus à peccatis*, *Arr.* à n. 7. & *Bosco* à n. 57. dicunt adhuc fore validam, quia persona Sacerdotis sufficienter significatur per exercitam prolationem hujus sententiæ, quæ in foro externo quandoque profertur etiam imperativè, & ita ex *Florent.* dixi in p. 1. n. 31. valere hanc formam Baptismi, *baptizetur servus Christi &c.* E contrà *Lugo* dicit fore dubiam; attamen valituram, si diceret, *sis absolutus*, vel *absolvaris a peccatis*, sed de hoc postremo etiam dubito, nam quòd verbis illis, *baptizetur servus Christi*, sufficienter significetur persona baptizans, ideo est, quia actio abluendi, quam ponit baptizans, & super quam tanquam materiam Baptismi cadit forma, est exercita significatio personæ baptizantis: E contrà dum absolvens dicit, *sis absolutus, absolvaris*, nullam ponit actionem, quæ sit materia Pœnitentiæ, & super quam tanquam materiam cadat forma, ergo non videtur esse exercita significatio personæ absolventis: Et de his aliisque similibus formis videri possunt *Bosco* concl. 3. & *Aversa* suprà: item ea, quæ dixi in p. 1. à n. 29.

604. Q. 90. *Quis sit sensus illorum verborum, absolvo te vel peccatis tuis.* R. §. 1. Circa hoc variè loquuntur Auctores, nam 1. *Magister* aliique apud *Vasq.* q. 84. a. 3. dub. 2. dixerunt esse hunc, *Declaro*

*te*

*te esse liberum à peccatis*, sed hanc sententiam esse falsam, patet ex *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 6. ubi can. 9. sic definit: *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti &c. anathema sit.* 2. Alii dixerunt esse sensum, *libero te ab obligatione peccata illa iterum confitendi*: Sed contrà est, nam peccata remittuntur per absolutionem, abstrahendo ab obligatione illa iterum confitendi, quæ obligatio sæpè manet, uti dictum est n. 590. Deinde datur absolutio de solis venialibus, & tamen nunquam fuit obligatio illa confitendi. 3. *Hugo* & *Rich. à S. Victore* apud *Suar.* d. 19. s. 2. n. 8. dicunt esse sensum, *remitto tibi pœnam æternam vel temporalem, prout adhuc debitor es.* Contrà est, quia per absolutionem, etiam ex intentione Confessarii, remittitur culpa, hæc enim venit nomine peccati. Deinde absolvi non poterit, cui peccatum esset remissum etiam quoad pœnam, quod est contra dicta n. 589 & contra sensum sanctorum hominum & fidelium, qui post exactas longas pro peccatis pœnitentias nihilominus sine scrupulo eadem iterum confitentur. 4. *Côn.* d. 4. à n. 61. dicit esse sensum, *libero te ab indignitate, quam per peccatum contraxisti*: sed confutatur ex jam dictis, nam inprimis liberatur à culpa, quæ est causa illius indignitatis: deinde si Deus semel & simul sustuliset illam indignitatem, posset peccatum iterum absolvi. Et ex his etiam confutantur *Esparsa* q. 90. ad 4. *A. Perez* & *Gorm.* p. 2. à n. 200. qui dicunt esse sensum, *libero te à sollicitudine causatâ per peccatum*: *Reddo tibi serenitatem animæ, quam sustulerat peccatum*, nam intentio Sacerdotis

dotis est primò & directè remittere culpam, etiamsi certus essem illam aliunde, v.g. per contritionem esse antecedenter remissam. 5. Suar. à n. 15. *Arr.* d. 49. n. 38. *Dicast.* d. 5. dub. 5. & recentiores communissimè non assignant alium sensum præter hunc, *confero tibi gratiam ex remissivam peccatorum*, sed per hoc non explicatur sensus naturalis, quem verba habent & retinent ex institutione humana, quam Christus non immutavit, sed supposuit, & postmodum ad istam aliam significationem supernaturalem elevavit: Itaque,

641. §. 2. Hæc verba, *absolvo te à peccatis*, ex institutione humana habent hunc sensum, *Quantum est ex me, judicialiter libero te à peccatis*: quod exercitè idem est, ac, *volo, ut dependenter ab hac mea sententia sis liber à peccatis.* E contrà ex institutione Christi habent hunc sensum, *Quantùm est ex me, confero tibi gratiam per se remissivam peccati post Baptismum commissi.* Pars 1. videtur constare ex notione vocum, nam omnes intelligentes latinum, si interrogentur, debent dicere hunc esse naturalem sensum. Notatque Bosco s. 3. n. 89. Ecclesiam convenientiùs uti verbo illo, *absolvo*, quàm isto, *Remitto*, quamvis etiam Tò *remitto* sufficiat, & Christus in institutione illo fuerit usus, quia Tò *Absolvo* est magis accommodatum ad significandam sententiam judicialem & authoritativam, solius enim Judicis est absolvere, è contrà etiam privatorum est remittere offensam vel injuriam sibi illatam. Pars 2. etiam probatur; nam ista verba esse à Christo instituta ad significandam & causandam gratiam primò & per se remissivam peccati post Baptismum commissi, certum est, quia

quia omne Sacramentum est institutum ad significandam & causandam gratiam; Pœnitentia autem, cùm sit Sacramentum mortuorum, est ad causandam primam, & quidem in illis tantùm, qui post Baptismum labuntur, utì dictum est n. 588. ergo licèt ex institutione naturali & humana non habeant significationem illam, tamen habent ex institutione Christi, sicuti verba illa: *Hoc est Corpus meum*, ex institutione humana habent, significare corpus illius, qui profert, attamen à Christo sunt instituta ad significandum Corpus, non Sacerdotis proferentis, sed Christi: hoc solum est discrimen, quòd forma Eucharistiæ proferatur non tantùm nomine, sed etiá in persona Christi, ideoque significet Corpus Christi tantùm, forma autẽ absolutionis proferatur tantùm nomine Christi, & in persona hominis Ministri Christo subordinati, utì Judex humanus in persona sua, sed authoritate Principis fert sententiam. Hoc non obstante significatio, quam verba absolutionis habent ex institutione humana, non est adæquatè eadem, quæ est ex institutione Christi, utì per se patet. *Conf.* utraque pars, nam imprimis per illum sensum, quem dicimus habere ex institutione humana, commodè explicatur, quomodo verba absolutionis maneant vera, quando Sacramentum Pœnitentiæ est validum & informe, eò quòd non causet gratiam, v. g. defectu doloris universalis, de quo casu dicetur à n. 672. tum enim absolvens, quantùm est de se, liberat à peccatis, quia, quantùm est de se, causat gratiam, cùm ponat Sacramentum de se causativum gratiæ, cujus tamen causatio per accidens hìc & nunc impeditur. Deinde per alte-

rum sensum, quem dicimus habere ex institu-
tione divina, meliùs explicatur, quomodo ea-
dem verba maneant vera, etiamsi cadant supe-
sola peccata quoad culpam & pœnam plenè re-
missa, tum enim causatur gratia, quæ remittet
illa peccata, si non inveniret remissa. Et re ip-
tum Deus per infusionem novæ gratiæ iterum
cedit jure ad odium & pœnam : potestque e-
iam remittere venialia per eandem infusione
eo fine factam. E contrà aliorum Authorum
sententiæ vel non ita satisfaciunt his difficul-
tibus vel incurrunt in alias.

*Obji.* Gratis dicitur, quòd verba illa consig-
ficent istam modificationem, quantùm est
me. R. n. ass. nam cùm à sola absolutione Sacer-
dotis non pendeat, quòd peccata re ipsâ remi-
tantur, sed requirantur etiam multa ex par
pœnitentis, quæ deesse possunt, verba Sacerdo-
tis non possunt omnino absolutè significare, se
debent tacitè imbibere hanc modificationem,
quantùm est exme, sive suppositis supponendis
& similiter in foro civili sententia Judicis, præse-
tim subordinati, non est omnino absoluta, se
imbibit hanc modificationem, quantùm pos-
sum secundùm allegata & probata &c. Hinc e
iam in absolutione à censuris communiter ad-
ditur, *in quantùm possum & tu indiges*, uti pra-
scribit Rituale Romanum.

*Inst.* Ergo verba absolutionis erunt vera
quamvis cadant super nullum peccatum, qu
absolvens adhuc verè dicet, quantùm est e
me, libero te à peccatis. R. n. ass. nam propo-
sitio affirmativa de subjecto non supponen
est falsa, si autem pœnitens nullum commise
peccatum, hæc propositio, *quantùm est ex me*
libe

*libero te à peccatis*, est de subjecto non supponente, quia dicit, tollo peccata tua, ergo supponit & dicit peccata fuisse, ergo si peccata non habuit, enunciat falsum. Neque dici potest sensum esse conditionatum, quasi dicat, libero à peccatis, si peccaveris: nam supponit absolutè peccata, & ea requirit ad valorem sui, alioquin non habet materiam, circa quam, neque tum esset dolor de vero peccato, nec confessio veri peccati, ergo nec tum haberetur Sacramentum Pœnitentiæ. *Nec obstat*, quòd forma extremæ Unctionis, *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti*, sit conditionata & valeat Sacramentum, licèt quis per sensus externos non peccârit, uti habent *Suar.* aliique cum *Dian.* p. 3. t. 4. R. 181. *nam* disparitas est, quòd *S. Jacobus* expressè dicat, si in peccatis fuerit, dimittentur, ergo non supponit absolutè adesse peccatum. Deinde extrema Unctio non includit dolorem vel confessionem de vero peccato. Denique extrema Unctio habet alium adhuc finem principalem, qui est gratia confortativa in ultimo prælio, quamvis fortè non sit remissiva peccati; opposita omnia sunt in Sacramento Pœnitentiæ.

642. *Q. 91. Quid præterea sit notandum circa absolutionem Sacramentalem.* R. seqq. §. 1. Quoties absolutio repetitur, toties causatur nova gratia, quia toties completur, & fit novum Sacramentum, hinc si Superior absolvisset pœnitentem à solis reservatis, & pro absolutione non reservatorum remisisset ad Confessarium inferiorem, aut è contrà, si Confessarius inferior absolvisset à solis nõ reservatis, & Superior postea à reservatis, in utroque casu essent duo Sacramenta & causaretur duplex gratia, *Suar. Con.*

Lugo d. 20. n. 81. *Dicast.* d. 11. n. 320. dicens esse certum, *Moya* d. 1. q. 8. n. 20. vocans certissimum contra paucos.

643. §. 2. Si quis sine justa causa in eadem Confessione absolutionem repetat super eadem peccata, peccat graviter, quia frustraneum est, & secunda absolutio est irrita defectu novæ materiæ, *Bonac. Stoz* l. 2. n. 86. Si faciat ex scrupulo quo se vult liberare, *Tamb.* & *Sporer* num. 631 dicunt saltem ordinariè fore veniale tantùm quia tum repetit ex metu offendendi Deum & desiderio non nocendi proximo, quæ videtur esse levis imprudentia & injuria non notabilis quæ non fit Sacramento: sed videri debent dicta p. 1. à n. 123. Si autem sit ita perplexus, ut æquè malum esse putet non repetere, quàm repetere, poterit nullum esse peccatum, secundùm dicta l. 1. à n. 81.

944. §. 3. Si pœnitens statim post Confessionem redeat & sola venialia afferat aut circumstantias mortalium non notabiliter aggravantes, repetenda non est absolutio, cùm enim id necessè non sit, videtur esse quædam irreverentia, *Sporer* n. 628. Quòd si tamen quis vellet repetere, expedit tacitè id facere non formatâ cruce, quo etiam tum videtur observandum, quando ob novum mortale certum vel dubium est repetenda absolutio, alioquin circumstantes, qui jam antea viderant absolvi, quandoque suspicabuntur attulisse novum mortale. An autem tum priùs renovandus sit dolor, dicetur n. 707.

945. §. 4. Absolutio potest ab uno pluribus dari simul, sic enim simul absolvuntur multi milites ante prælium, dicendo, absolvo vos à pecc

is: *Con.* Lugo d. 13. s. 7. *Arr.* d 50. s. 5. *Aversa* q. 12. s. 3. *Tamb.* De conf. l. 2. c. 10. nu. 5. Esſetque talis abſolutio non quidem formaliter, attamen virtualiter & æquivalenter multiplex, & eſſent tot Sacramenta, quot homines ponentes aliquam Confeſſionem & dolorem.

§. 5. Etiam poteſt abſolutio ſimul à pluribus dari uni, utì habent iidem Authores, nam ſi quis habens ſola venialia, vel etiam mortalia ſemel confeſſa, partem eorum confiteretur uni, & partem alteri, poſſet poſtea uterque ſimul abſolvere, utì etiam tum, ſi confeſſus eſſet mortalia non confeſſa uni, & alteri alia venialia. Imò fieri poſſet, ut idem æger duobus Sacerdotibus diceret, confiteor vobis hæc peccata mea, tumque poſſent hi eum ſimul abſolvere: Hoc tamen ultimum ordinariè eſt illicitum, quia eſt contra Eccleſiæ conſuetudinem, *Suar. Averſa.* 646.

§. 6. Si talis pœnitens ita à pluribus abſolveretur, eſſent plura Sacramenta, quia eſſent plura judicia, & multiplicaretur abſolutio, quæ in recto importatur, Confeſſio autem & dolor etiam virtualiter multiplicarentur, hinc ſingulis illis abſolutionibus reſponderent diſtinctæ gratiæ, *Lugo* n. 166. *Averſa* ſuprà contra *Gorm.* p. 2. n. 218. & alios. *Opponit Arr.* n. 27. tres ejuſmodi abſolutiones habere ſe ſicut ſe habent tres hoſtiæ, quas aliquis ſimul ſumit, quæ faciunt unum Sacramentum & unicam cauſant gratiam. *Sed contrà eſt*, nam tres hoſtiæ ſimul ſumptæ faciunt unum cibum, & cadunt ſub unam tantùm ſumptionem, quæ autem hìc interveniunt, non faciunt unum judicium, ſed ſinguli ſeorſim ſunt Judices, ferúntque diſtinctas 647.

ctas sententias, ergo sunt plura judicia. Necest simile in Baptismo, quem duo simul conferrent uni puero, quia cùm Baptismus non sit iterabilis & unicum habeat finem, qui est spiritualiter regenerare, unicus valet, ideoque tales duo Baptismi censeri deberent unus moraliter : è contrà Sacramentum Pœnitentiæ est iterabile, & ejus finis est etiam per plures gratias sæpiùs remittere peccata, ergo plures absolutiones non necessariò faciunt unum moraliter Sacramentum.

648. §. 7. Si pœnitens confessus coram multis voluisset ab uno tantùm absolvi, & plures simul absolverent, non conficerentur plura Sacramenta, quia pœnitens non voluit plura : conficeretur tamen unum, quia quamvis petierit unam tantùm absolutionem, tamen non excludit plures, nec unius absolutio tollit vim alterius, sed omnes sunt moraliter una, *Lugo* n. 175. *Art.* suprà.

649. §. 8. Si plures simul absolventes uterentur hac formâ, *absolvimus te à peccatis*, *Dur. Suar. Art.* §. 6. *Aversa* suprà, aliique probabiliùs dicunt contra *Vasq. Con. Lugo* n. 176. validè absolvuntur, quia sicuti valori hujus formæ, *absolvo vos*, non obstat, quòd significetur consortium plurium absolvendorum, ita nec valori illius, *absolvimus te*, quòd significetur consortium plurium absolventium, in neutra enim ponitur aliquid repugnans significationi à Christo intentæ. Et simile est, si Deus dispensaret cum aliquo ut posset duas uxores ducere, si enim diceret, *accipio vos in uxores*, illæ possent respondere, *nos accipimus te in virum*, foretque validum cum singulis Matrimonium.

§. 9

§. 9. Dicendo *absolvimus te*, possent absolve- 650.
re, vel singuli totaliter, id est, unus independenter ab altero, vel singuli partialiter tantùm, id est, unus dependenter ab altero & non nisi cum altero, prout ipsi formarent suas intentiones, verba enim sunt ad hoc indifferentia & per intentiones determinari possunt. *Nec obstat*, quòd volendo absolvere tantùm partialiter, viderentur habere intentionem tantùm conditionatam, *ego volo absolvere, si tu absolvas, nam* non obstat intentio conditionata, si sit de re præsente & purificata, utì dictum est p. 1. nu. 79. Deinde non est intentio strictè conditionata, quia sensus est, *volo absolvere, quia tu etiam absolvis. Nec iterum obstat*, quòd Christus voluerit Ministrum in hoc Sacramento esse in solidum Judicē, *nam* singuli erunt in solidum Judices, quamvis singuli judicare non velint, nisi etiam judicet alter.

§. 10. Si singuli vellent tantùm partialiter 651.
absolvere, & unus proferret formam ante alterum, communis sententia dicit, neutrum absoluturum, quia, quando existeret absolutio unius, non existeret absolutio alterius, & tamen singuli volebant absolutionem suam non valere sine absolutione alterius. *Arr.* tamen n. 36. probabiliter putat utramque valituram, dummodo ita sequantur se, ut adhuc censeantur moraliter coexistere: Quid autem futurum sit in casu, quo singuli vellent absolvere, si alter non absolveret, dictum est p. 1. n. 74.

§. 11. Non expedit, ut verba absolutionis 652.
omnino altè exprimantur, partim ne plebei ea addiscant & postea abutantur, partim quia absolutio sæpè datur sub conditione aut omnino non datur, ergo ut circumstantes non advertant,

tant, quandonam id fiat, præstat se assuefacere ad absolutionem, vocaliter quidem, attamen submissè dandam.

653. §. 12. Ritus in absolvendo est servandus pro consuetudine cujusque loci & Ecclesiæ, sic quidam absolvunt tecto capite, ut sic se Judices ecclesiasticos ostendant, alii detecto, ut significent se absolvere nomine Christi, tanquam principalis Judicis: & testatur *Rayn.* sententiam *Sa*, qui volebat fieri tecto capite, esse expunctam à sacris censoribus. Item communiter elevatur manus ad verba, *Indulgentiam*, vel, *Dominus noster Jesus Christus* &c. signatúrque Crux ad verba, *In nomine Patris* &c. Item superpelliceo & stolâ utuntur Confessarii non Regulares, quando in templo publicè audiunt: has tamen cæremonias omittere, peccare loquendo, nullum est peccatum, ita cum aliis *Stoz.* l. 2. n. 83.

Absolvi non posse absentem, probabitur n. 1195. Posse absolutionem dari ante expletam pœnitentiam & ante emendatam vitam, probabitur à n. 1230. Posse dari moribundo sine verbali confessione, dicetur à n. 1156. Quo sensu dari possit absolutio dimidiata, dicetur à n. 1152. Posse absolutionem aliquando, sed non semper differri, dicetur à n. 1764. Posse & debere aliquando dari sub conditione, dicetur à n. 1769.

## DUBIUM II.

### *Qualis contritio requiratur.*

654. »SUppono, quòd contritio in communi sit »dolor ac detestatio peccati commissi, cum »proposito emendandi, ùt habet *Trid. Sess. 14.* ubi eam

eam dividit in perfectam, quæ absolutè sic di-» citur, & in imperfectam, quæ attritio dicitur. » Perfecta est, quæ elicitur ex motivo charitatis,» propter Deum summè dilectum, & hæc se so-» lâ mox justificat, etsi cum voto & ordine ad» confessionem, quam deinde facere teneris.» Imperfecta est, quæ ex inferiore motivo, su-» pernaturali tamen, concipitur. »

Resp. Ad Sacramentum hoc sufficit, & re-» quiritur saltem attritio formalis, supernatu-» ralis, efficax, & universalis, (respectu morta-» lium) concepta in ordine ad confessionem, » vel saltem absolutionem. Est communis. *v.*» *Bon d.5.q.5.*& *Schol.*ac colligitur ex *Trid.l.c.Un-*» *de resolves.* »

I. Non requiritur contritio existimata, ùt» voluit *Gabriel.* »

II. Non sufficit, 1. attritio existimata tan-» tùm, licèt inculpabiliter, quia vera attritio est» pars essentialis. 2. Nec desiderium absolutio-» nis sine affectu ad peccata; idque etiamsi tan-» tùm confitearis venialia; ùt habet sententia» communis contra *Angles* & quosdam alios, » quos sequitur *Tamb.l.1.exp.conf.c.3. Vid.Dian.p.*» *9.t.9.R.31.*Unde peccat graviter,qui etiam so-» la venialia, vel sola mortalia, aliàs confessa, si-» ne omni formali dolore confitetur, quia non-» ponit materiam Sacramenti, & saltem pericu-» lo sacrilegii se exponit, Ita *C.Lug.d.14. s. 8. &c.*» *com.V. Dian.p.3.t.4.R.116. Bon. sect. 1. p. 3.* Non» tamen est necesse, ut dolor se extendat ad o-» mnia venialia, quorum sibi pœnitens est con-» scius, *Suar. Lay. Lug.* Imò notat *Tamb. l.c.* satis» esse de uno veniali dolere formaliter, etsi plu-» rium sis conscius, de quibus nec dolorem, nec»

»propositum emendandi habeas, sive ea con»fitearis, sive non.

» III. Non absolvitur, qui dolet, licèt inten»sissimè, tantùm propter infamiam, damna, »aliásve pœnas temporales præcisè, etsi ex in»culpabili ignorantia, quia non est dolor super»naturalis, nec ignorantia, aut bona fides potest »supplere defectum essentialem, *Bon. l. c. & c.* Li»mitat tamen *Regin.* cum *Tamb. c. 1.* nisi doleas »propter istas ùt à Deo inflictas vel infligendas.

» IV. Ad attritionem non requiritur ulla in»tensio vel duratio temporis, ùt vult *Durand.*

» V. Etsi debeat esse de omnibus peccatis »mortalibus, non requiruntur tamen singuli »dolores de singulis, ùt vult *Angles*, sed sufficit »unus actus, de omnibus simul sumptis, etiam »oblitis, ideóque peccat graviter, qui scienS »prudens non atteritur universaliter de omni»bus mortalibus nondum remissis, *Bon. & c. ll. cc.*

» VI. Non sufficit dolere, quòd non doleas, »ùt habet *Nav.* & *Sa*, nec velleitas non peccan»di. Ratio utriusque, quia non est dolor de »peccatis commissis, cum quo affectus ad ea »stare potest, *Henr. Vasq. Bon. l. c. n. 7.* Ubi rectè »notat, cum actu, quo quis dolet se non dolere »de peccatis, plerumque conjunctum esse do»lorem de peccatis, etsi pœnitens eum non di»gnoscat.

» VII. Etsi dolor hic debeat esse summus ap»petitativè, ita ut nihil magis detesteris quàm »peccatum, malisque omnia mala hujus mundi »perpeti, quàm mortaliter contra Deum pec»care, non tamen opus est, imò nec expedit, »particulares facere collationes; v. g. mallem

hoc

hoc vel illud malum subire, quàm mortaliter peccare, quia periculosæ sunt.

VIII. Qui non vult occasiones proximas peccandi à se amoliri, vel non remittere ex animo, vel non restituere aut satisfacere, quibus debet; vel non habet formale (licèt probabiliter cum *C. Lug. l. c. s. 5. Lay. Dian.* aliique dicant, virtuale in contritione universali inclusum sufficere, saltem quando non occurrit cogitatio de peccatis vitandis) propositum, peccata mortalia, (quando talia confitetur) vitandi efficax, id est, cum quo non possit consistere affectus actualis erga aliquod mortale, non est sufficienter attritus: Ratio, quia non est dolor & detestatio efficax, quippe cum quo possit stare voluntas peccandi, nec is se ex toto corde convertit ad Deum, detestans peccatum super omne detestabile, *Suar. Fernand. Lay. l. 5. t 6. c. 4. Dian. p. 3. t. 4. res. 119. &c.* commun. Et licèt sola venialia confitearis, teneris tamen, sicut dolorem, ita etiam propositum, saltem virtuale, circa illa habere. *C. Lugo, d. 14. s. 8. & 9.* & alii.

IX. Redire sæpe cum eodem mortali, non est certum indicium deesse attritionem, etsi sit magna præsumptio, præsertim in iis, qui coguntur confiteri à parentibus, magistris, &c. item in iis, qui aliquoties moniti concubinam non separant, aut restitutionem non faciunt; quibus proinde absolutio differenda est, nisi id actu præstent: Quanquam possint esse alia signa veri doloris, v. g. si media præscripta sint adhibita, occasiones vitatæ, si numerus peccatorũ imminutus, si pœnitens omnino asserat, cui plerumque credi debet, cùm ipse sit suî accu-

»accusator, defensor & testis; Qua in re oportet
»magnâ prudentiâ Confessarii, ne pœnitentem
»severitate avertat, neque etiam lenitate seduc-
»cat & peccet, peccatque cum illo, *Suar. m 3. p.*
»*d. 32. s. 2. Sanch. l. 2. in Decal. c. 32. & l. 3. c. 5. C. Lug.*
»*n.* 166. & 169. contra quorum, aliorúmque
»communem sententiam, docent apud *Dian.*
»*Vivaldus*, & *Joannes Sancius* d. 10. n. 16. posse to-
»ties, quoties confitetur, absolvi, etiamsi nullus
»appareat profectus, eò quòd sine illo possit es-
»se verum propositum, sicut est in iis, qui ve-
»nialia semper afferunt eadem. Verùm id pro-
bare non ausim, nec videtur esse par ratio. *Vid.*
»*Kon. d. 2. dub. 14. Dia. p. 1. t. 7. R. 55. & p. 2. t. 2.*
»*misc. R.* 45.

» X. Absolvendi sunt ii, qui ex officio, domo
»vel negotio, in quo propinquum peccati peri-
»culum imminet, discedere nolunt, eò quòd si-
»ne maxima difficultate non possint, parati in-
»terim media præscribenda adhibere. Ratio,
»quia occasio, etiam propinqua, non necessitat
»ad peccatum, ideóque stare potest cum pro-
»posito peccata vitandi. *Nec refert*, quòd quis
»putet vel timeat, se unum vel plura peccata
»non vitaturum, *quia* propositum est actus vo-
»luntatis, existimatio autem illa, est actus intel-
»lectûs, qui ex illo proposito, ob humanæ vo-
»luntatis mutabilitatem, non necessariò conse-
»quitur. Interim qui certus est, impossibile sibi
»esse in tali occasione peccata vitare, debet eam
»deserere, nisi velit perire Ita *Laym. t. c. Lug.*
»*num.* 152.

» XI. Non requiritur dolor sensibiliis, sufficit
»enim intellectivus: qui cùm sit internus, ac spi-
»ritualis, scrupulosi non facilè debent angi,

quasi

quasi sine dolore accedant ad Sacramentum, » eò quòd nullum sentiant. »

XII. Is, qui nihil cogitans de confessione, at-» tritionem elicuit, non referens eam ad Sacra-» mentum, non potest sine novo dolore ad id» accedere; quia pars debet referri ad compar-» tem. Ita *Suar. d. 20. s. 4. Bon. d. 5. q. 3. p. 2.* Contra-» rium tamen videtur docere *Lugo, d. 14. n. 37.*» quod non est improbabile, *Tamb. l. 1. c. 2.* »

XIII. Non sufficit ad Sacramentum dolor,» qui sequitur absolutionem: imò secundùm» sententiam saltem tutiorem, quam docet *Lay. ca. 4* & *Kon.* debet antecedere etiam confessio-» nem, etsi contrarium etiam probabiliter do-» ceant *Vasq. Fill. Fag. Lug. s. 2.* & *Gasp. Hurt. d. 6.*» *dif. 5.* apud *Dian.* & *Escob. t. 7. E. 6.* Unde pœni-» tentes initio ad dolorem excitandi; aut si post-peccatorum narrationem fiat, repetant verbo» confessionem, dicendo se dolere de peccatis» expositis. *V. Laym. l. c.* »

XIV. Probabile est eum, qui paulò antè con-» fessus iterum confitetur, vel eadem peccata, » vel quæ exciderant, de quibus antè (explicitè,» & in particulari) non doluit, non teneri eli-» cere novum dolorem, *Lug. s. 3. Dian. p. 9. t. 3.*» *R. 5.* & 51. & consequenter potest moribun-» dus propter periculum instantis mortis absol-» vi, audito tantùm uno alteróve peccato; &» deinde si superstes maneat, auditis reliquis» iteratò absolvi in virtute doloris præcedentis.» *Tamb.* »

## ADDENDA.

Quæst. 92. *Quid generatim notandum sit circa contritionem & dolorem ad Sacramentum Pœniten-* 655.

*nitentiæ requisitum.* ℞. seqq. §. 1. Contritio sæpe sumitur genericè, prout in communi est dolor de peccatis, abstrahendo an sit perfectus an imperfectus. Et quod attinet ad nomina illa *contritio* & *attritio*, *S. Th.* in Suppl. q. 1. a. 2. ad 2. sic explicat, quòd sicuti in corporalibus lapis tum dicitur conteri, quando ita comminuitur in minutissimas partes, ut non censeatur ampliùs manere lapis, sed fiat pulvis; è contrà sicuti tum dicitur atteri, quando aliquid quidem de illo tollitur, attamen adhuc censetur manere lapis: ita in spiritualibus tum dicatur conteri peccator, quando habet perfectum actum pœnitentiæ, vi cujus non maneat moraliter peccator, qui fuit, sed justificetur; tum autem dicatur atteri, quando habet actum pœnitentiæ, cum quo habitualiter quidem adhuc manet peccator, attamen deponit actualem voluntatem peccandi. Hìc ad vitandam æquivocationem, quando loquemur de contritione genericè sumpta, communiter utemur voce *dolor*, quando autem simpliciter & sine addito utemur voce *contritio*, ordinariè intelligemus dolorem, qui est actus charitatis Theologicæ & concipitur ex motivo bonitatis Dei super omnia dilecti, è contrà quando utemur voce *attritio*, intelligemus dolorem conceptum ex aliquo motivo inferioris virtutis.

656. §. 2. Dolor & detestatio non sunt idem, nam dolor est de malo ùt præsente, detestatio autem de malo ùt præterito: quod ut meliùs intelligatur, generatim notanda est diversitas actuum voluntatis, nam 1. Si objectum repræsentetur sub ratione boni vel mali, præscindendo, an sit præsens an absens, actus voluntatis circa bonum

num erit amor, è contrà circa malum erit odium. 2. Si objectum repræsentetur ùt præsens, actus circa bonum erit gaudium , circa malum erit dolor. 3. Si objectum repræsentetur ùt absens & possibile in futuro, actus circa bonum erit desiderium, si autem simul repræsentetur aliqua arduitas in illo bono obtinendo , actus circa illud bonum erit spes vel audacia; è contrà circa malum absens & possibile in futuro est fuga strictè dicta , si autem simul repræsentetur aliqua arduitas in illo malo amoliendo, actus circa illud erit timor vel ira. 4. Si objectum repræsentetur ùt absens & præteritum,actus circa bonum erit gratulatio, circa malum erit detestatio. 5. Omnes hi actus possunt ex modo tendendi esse vel efficaces , qui determinent ad arripiendum medium pro obtinendo fine necessarium;vel inefficaces, qui ad hoc non determinent. Similiter amor potest esse vel simplicis complacentiæ, qui cum odio oppositò stare possit, vel potest esse efficax, qui excludat simile odium ejusdem objecti : è contrà odium potest esse vel simplicis displicentiæ, quod cum amore oppositò stare possit, vel efficax, quod excludat similem amorem ejusdem objecti. 6. Actus prout fertur directè in aliquod bonum tanquam finem obtinendum per media,dicitur intentio,prout fertur directè in media pro obtinendo fine, dicitur electio : è contrà actus prout directè fertur in malum depellendum per media ad hoc necessaria, dicitur propositum , prout directè fertur in ista media in ordine ad depellendum malum, dicitur executio propositi. 7. Possunt omnes recensiti actus ex modo tendendi esse vel absoluti,

luti, utì hi, amo Deum, odi peccatum; vel conditionati, utì hi, amarem Deum, etiamsi non puniret; odissem peccatum, etiamsi non puniretur.

657. §. 3. *Caj. Nav. Regin. Gob. Bosco, Stoz.* l. 1. p. 1. n. 6. dicunt pro Sacramento Pœnitentiæ requiri solam detestationem, ad quam sequatur dolor veluti proprietas, quod *Suar.* d. 4. s. 1. n. 7. putat esse certum. E contrà *Gonet* d. 7. n. 6. & alii dicunt requiri solum dolorem, qui præsupponat detestationem: *Dicast.* d. 2. num. 103. & alii communiter dicunt sufficere alterutrum actum, nempe vel detestationem vel dolorem, sed *Con.* d. 1. à n. 10. probabiliùs dicit requiri utrumque actum, hoc enim est conformius Trid. sess. 14. De pœn. c. 4. ubi dicit contritionem esse *animi dolorem ac detestationem* de peccato commisso. Ratio autem est, nam imprimis actus requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ non est sola detestatio, alioquin Beati, qui aliquando peccârunt, dici possent de facto adhuc habere contritionem de peccatis, cùm habeant illorum detestationem, hoc autem est contra communem sensum, nam per contritionem intelligitur dolor vel tristitia, qui sit actus cordis inquieti, turbati, anxii, quod sine dolore non habetur; hinc Authores communiter, quando negant in Beatis esse contritionem, intelligunt dolorem: congruentia autem, cur ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur dolor, hæc est, quia cùm voluntas per peccatum converterit se ad delectationem sive gaudium circa bonum præsens, decebat, ut pœnitens reciperet dolorem circa malum præsens. Deinde actus requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ non est

est solus dolor prout contradistinctus à detestatione, qualem etiam damnati habere possunt, hinc omnes intelligunt requiri talem actum, qui respiciat peccatum commissum, quod retractet, ita ut voluntas vitalis actûs sit ita disposita, ut peccatum physicè præteritum impediret, si poneretur in circumstantiis, in quibus illud ab ipsa potuit impediri.

*Obji.* Communis omnium sensus est eum validè absolvi, qui accedit cum dolore & proposito, quamvis non cogitârit de detestatione, ergo detestatio non requiritur. R. n. conseq. quia licèt contritio vel attritio præcipuè significetur per dolorem, tamen per hunc dolorem non intelligitur actus respiciens malum tantùm præsens, sed simul respiciens præteritum : neque nunc elicere possumus dolorem, quin sit vel adjunctam habeat detestationem, utì nec elicimus detestationem, quin sit vel adjunctum habeat dolorem, utì ex *S. Tho.* 3. p. q. 84. a. 8. in O. notat *Côn.* suprà : Itaque sive contritio significetur nomine detestationis, sive nomine doloris, per utramque vocem intelligitur actus circa objectum secundùm aliquid præsens & secundùm aliquid præteritum ; quomodo autem peccatum sit malum præsens, etiamsi plenè remissum sit quoad culpam & pœnam, dictum est n. 591. Atque ex his, 658.

*Inferes*, Etiam illam opinionem Lutheri fuisse erroneam, quâ dixit per contritionem nec significari dolorem neque detestationem peccati, sed tantùm amorem justitiæ & novam vitam ; oppositum enim constat ex Scriptura & SS. PP. apud *Bellarm.* De pœn. l. 2. c. 4. Nam quando loquuntur de pœnitentia, semper me- 659.

minerunt peccati, cujus sit retractatio & dolor. *Nec obstat*, quòd scriptura loquens de pœnitentia utatur voce, *metanœa*, quæ vox significat resipiscentiam vel mutationem animi, *nam* pœnitentia est talis resipiscentia & mutatio, quæ simul sit detestatio & dolor de peccato, est enim transitus à malo præterito & præsente ad bonum futurum, illosque actus intellexerunt per nomen pœnitentiæ SS. Patres & antiqui, uti recte ostendunt *Gormaz.* n. 24. & *Bosco* t. 2. à n. 5. Hinc *Ausonius* de pœnitentia loquens ita canit:

*Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnam,*
*Nempe ut pœniteat, sic metanœa vocor.*

660. §. 4. Præter detestationem & dolorem, etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur propositum non peccandi de cætero, uti certum est ex *Trid.* suprà & pluribus explicabitur n. 891., adeoque ad valorem Confessionis requiritur odium peccati præteriti, præsentis & futuri, præteriti, in quantùm est detestatio; præsentis, in quantùm est dolor; futuri, in quantùm est propositum cavendi illud imposterum. Perinde autem est, sive re ipsâ sint tres physici actus, sive duo, sive etiam unicus habens illa tria prædicata per respectum ad peccatum præteritum, præsens & futurum: si autem re ipsâ sint plures actus, etiam perinde est, quo ordine eliciantur, posset enim propositum primo loco elici: connaturalius tamen est, ut præcedat detestatio, quæ post se trahit dolorem, atque ex his sequitur propositum.

661. §. 5. Ante actus illos requisitos ad Sacramentum Pœnitentiæ ordinariè præcedunt plures alii actus, uti docent *Trid.* sess. 6. c. 6. *S. Tho.* p. 3. q. 85. a. 5. *Catech. Rom.* De pœn. c. 1. n. 3. 1. est

gratia

gratia excitans sive supernaturalis illustratio intellectûs & pia motio voluntatis inducens ad pœnitendum, quam Deus operatur in nobis sine nobis liberè operantibus. 2. Actus fidei circa necessaria creditu necessitate medii ad justificationem. 3. Timor aliquis servilis pœnæ ùt infligendæ à Deo. 4. Spes veniæ & salutis per Christi merita. 5. Aliqua ad Deum conversio, quæ sit inchoata dilectio. 6. Quidam timor filialis Dei. 7. Actus supernaturalis prudentiæ dictans hìc & nunc esse pœnitendum. Neque tamen dicimus, quòd singuli hi actus sint necessarii, sed quòd ordinariè interveniant, & per illos tanquam per gradus optimè ducamur ad pœnitentiam, quinam autem ex his sint absolutè necessarii, intelligetur ex dicendis.

*Q. 93. Qualis actus debeat esse dolor, qui requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ.* ℟. §. 1. Debet esse actus voluntarius & liber, utì fides docet contra hæreticos apud *Bellarm.* l. 2. c. 2. sic enim definit *Trid.* sess. 14. De pœn. can. 5. *Si quis dixerit eam contritionem &c. esse dolorem coactum & non liberum ac voluntarium, anathema sit.* 662.

§. 2. Debet esse honestus: & re ipsâ est talis etiam pro statu legis gratiæ, utì iterum docet fides & *Trid.* suprà contra eosdem hæreticos apud *Bellarm.* suprà, qui dicunt nos per dolorem de peccatis impleri peccatis, ideóque nunc veniam peccatorum obtineri per solam fiduciam de remissione illorum; sed contra est, nam imprimis Scriptura nos admonet & provocat ad dolorem de peccatis Ps. 50. v. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Deut. 4 v. 29. *Invenies eum, si tamen toto corde quæsîeris & totâ tribulatione animæ tuæ* Ezech. 18. v. 21. *Si autem* 663.

*tem impius egerit pœnitentiam &c. vitâ vivet.* Matthæi 3. v. 2. & c. 4. v. 17. *Pœnitentiam agite.* Marci 1. v. 15. *Pœnitemini.* Lucæ 5. v. 32. *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Lucæ 13. v. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* 2. ad Corinthios 7. v. 10. *Quæ secundùm Deùm est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Deinde per pœnitentiam non intelligi inanem illam fiduciam, patet ex Jonæ 3. v. 9. ubi Ninivitæ pœnitentes sperabant quidem veniam, attamen incerti erant, dicentes: *Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus?* Hinc etiam *S. Cyprianus* Serm. De lapsis, ait, *Nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen jam veniam vindicantes.* Ratio autem est, quia Deus nullibi promisit veniam nihil agentibus, sed simul postulat actus pœnitentiæ, utì patet ex citatis locis, ergo.

664. §. 3. *Angel. Silv. Rosell.* aliique apud *Vasq.* q. 92. a. 1. dub. 1. putârunt ad hoc Sacramentum non requiri actualem & verum dolorem, sed sufficere voluntatem suscipiendi Sacramentum cum negatione actualis affectûs ad peccatum; sed hanc sententiam vocant *Vasq.* erroneam, *Suar.* d. 20. s. 1. n. 2. improbabilem & hoc tempore temerariam, *Illf.* n. 35. prorsus improbabilem & non securam. *Corduba, Bejà, Sot. Canus* apud *Dicast.* d. 6. n. 119. Item *Caj. Tolet. Valent.* aliique apud *Moyam* tr. 3. d. 5. q. 3. n. 3. putârunt sufficere, si quis bonâ fide putet se dolere, quamvìs re ipsâ non doleat, sed oppositum certum esse dicit *Illf.* n. 36.; quamvìs enim sic confitens excusetur à peccato, non ideo ponitur essentia Sacramenti: unde sicuti quando *Trid.* dicit peccatorem per contritionem justificari

ficari extra Sacramentum, in Sacramento autem per absolutionem, non potest intelligi contritio vel absolutio existimata tantùm, sed verè existens, ita & hìc debet verè existere & adesse dolor. Ratio autem est, quia talis existimatio non potest dare sufficientiam vel efficaciam, quam dolor ex Christi institutione habet, ergo.

§. 4. *Palud. Nav. Sa* apud *Dicast.* n. 125. putârunt satis esse, si quis doleat se non dolere; sed hanc sententiam vocat etiam prorsus improbabilem & non securam *Ills.* n. 35. eamque rectè refutat *Arr.* d. 37. n. 21. Similiter quamvìs aliqui dixerint sufficere quamcunque displicentiam peccati & velleitatem non peccandi de cætero, imò licèt aliqui apud *Moyam* q. 2. n. 3. putârint impediri quidém effectum Sacramenti, attamen non obesse valori, si quis sine ullo actu doloris accedat, etiamsi sciens se per hoc peccare mortaliter, dummodo se de hoc ipso peccato accuset & absolvatur, tamen hanc opinionem vocat *Suar.* s. 5. n. 4. improbabilem, *Aversa* q. 11. s. 1. improbabilem & prorsus falsam: hinc absolutè tenendum est requiri verum dolorem de peccatis, quia Concilia dicunt dolorem esse partem, nihil autem horum est simpliciter dolor. Notant tamen *Arr.* n. 22 & *Dicast.* n. 127. vix fieri posse, ut quis efficaciter doleat de carentia doloris, & re ipsâ non doleat, quamvìs enim non experiatur sensibilem dolorem, tamen habebit spiritualem, ideóque putant ejusmodi hominem tutò accedere posse ad Sacramentum. Addit *Less.* in Auct. v. *Confessio* Casu 1. abundanter sufficere hunc actum, ô maledicta peccata, quibus Deum meum of- 665.

fendi, vel quibus animam meam gratiâ divinâ privavi, & æternis pœnis obstrinxi &c. Vide dicenda n 679.

666. §. 5. *Silv. Rosell. Vivald.* & alii putârunt non requiri dolorem formalem, sed sufficere virtualem contentum in amore Dei, quam sententiam *Tamb.* De con. l. 1. c. 1. §. 5. vocat probabilem. Similiter *Moya* q. 12. dicit sufficere propositum formale non peccandi de cætero, si sit virtualis dolor, quam sententiam *Victoria* vocat probabilem; sed *Amic.* d. 12. n. 2. *Tann.* q. 6. n. 73. *Dicast.* n. 4. *Platel.* n. 63. dicunt certum esse, quòd requiratur dolor formalis: *Suar.* d. 20. s. 1. putat oppositum esse temerarium, *Vasq.* q. 92. a. 1. dub. 1. erroneum, quamvis *Illsf.* n. 34. dicat sententiam nostram esse tantùm communiorem & probabiliorem. Ratio autem est, quia *Florent.* & *Trid.* requirunt contritionem aliquam tanquâ partem hujus Sacramenti, quam dicunt esse dolorem ac detestationem de peccato commisso, hæc autem omnia sonant dolorem simpliciter & sine addito, adeóque formalem, amor enim Dei & propositum non dicuntur simpliciter dolor, sed cum addito, virtualis, ergo quamvis amor Dei super omnia, itemque propositum non peccandi de cætero conceptum ex motivo bonitatis Dei super omnia dilecti justificent hominem, tamen per illa sine dolore formali haberi non posset Sacramentum Pœnitentiæ. *Nec obstat*, quòd *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 3. dicat hunc contritionis motum omni tempore fuisse necessarium ad impetrandam veniam peccatorum, sic autem non fuerit semper necessarius dolor formalis, sed de se sufficiat amor Dei super omnia, *nam* ibi loqui-

loquitur de contritione, quam præcedit cognitio peccati commissi, quæ semper est dolor formalis, hinc dicit talem dolorem ad Sacramentum requiri, qualis semper fuit necessarius illi, qui ex recordatione peccati commissi fertur in Deum, quod semper fit per dolorem formalem; hinc rectè notant *Con.* & *Tamb* suprà, si quis post elicitum actum amoris in Deum confessus esset & absolutus, immemor formalis doloris, non debere esse scrupulosè sollicitum, quia moraliter impossibile est, imò absolutè contingere non potest, inquit *Escob.* q. 88. a. 5. ut qui peccatorum memor Deum amat super omnia, simul non detestetur peccata ùt mala Deo. Et idem est de proposito non peccandi de cætero, concepto ex motivo universali bonitatis Dei secundùm se complectente etiam peccata præterita.

§. 6. *Sot. Canus* & alii apud *Moyam* suprà q. 667. 4. putârunt sufficere dolorem honestum & naturalem, sed hanc opinionem aliqui vocant temerariam, alii erroneam & contra fidem, alii dicunt sapere hæresin, hinc *Platel.* n. 636. dicit videri esse de fide, quod dolor ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requisitus debeat esse supernaturalis, nam 1. *Trid.* suprà c. 4. docet attritionem, quæ ad gratiam in hoc Sacramento disponit, esse donum Dei & impulsum Spiritûs S., ideóque etiam sess. 6. can. 3. dixerat anathema illi, qui assereret sine Spiritûs S. inspiratione & adjutorio posse hominem pœnitere, sicut oportet; ubi rationem insinuat, quia dolor disponit ad gratiam & consequenter ad salutem æternâ, omnis autem propriè dicta dispositio ad salutem debet esse proportionata ad finem

nem ultimum & supernaturalem, ergo debet esse supernaturalis. 2. *Innocent. XI.* damnavit hanc 57. prop. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Quæ damnatio, cùm in genere ponat attritionem naturalem, intelligenda est de omni attritione naturali, quidquid contradicat *Carden.* ad istam prop. n. 8. putans non loqui de illa attritione naturali, quæ respiciat motivum supernaturale. Imò contra *Vasq. Bonac. Hurt.* & alios, quorum sententiam *Dicast.* d. 6. n. 12., vocat satis probabilem; longè probabilius est hunc dolorem debere esse in entitate sua supernaturalem, & non sufficere supernaturalem quoad modum, vel tantùm extrinsecè ratione acceptationis divinæ, quia dolor hic requirit principium supernaturale, à quo dependeat, utì pluribus probat *Gorm.* p. 1. à n. 375. Et quamvis *Suar. Lugo, Cón.* & alii putent actum in entitate naturalem, dummodo eliciatur ex gratia per Christum, posse esse etiam meritorium vitæ æternæ, quod *Moyan.* 17. dicit esse probabile, tamen probabilius est oppositum, nam gratia non dignificat actum in se naturalem, sicuti enim si filius Regis faciat opus commune rustico, non ideo meretur præmium regale, ita si homo, etiam habens gratiam, faciat opus naturale, ad quod se per accidens habet gratia, si in illud nullum principium supernaturale influat: Hinc 3. Ad dolorem pro hoc Sacramento prærequiruntur actus fidei & spei supernaturalis, utì constat ex dictis l. 2. à n. 18. sed non aliam ob causam, nisi quia dolor debet esse in se supernaturalis, utì notant omnes cum *Dicast.* n. 17. & *Stôz.* l. 1. p. 2. num. 19., ut nempe ex parte intellectûs adsit cogni-

cognitio supernaturalis & proportionata, quæ dirigat; & ex parte voluntatis motus supernaturalis & proportionatus, qui erigat, ita ut nisi præeant istæ dispositiones, principium supernaturale adjuvans non influat in dolorem, ergo. Videri possunt dicta l. 2. à n. 19. ubi explicavi, quorum objectorum fides prærequiratur. Et quæ contra ista opponi possunt, solvi ibidem à n. 26.

§. 7. Aliqui apud *Carden.* in 1. crisi d. 70. c. 668. 1. docuerunt ad effectum hujus Sacramenti requiri, ut dolor sit efficax, attamen ad illius valorem sufficere, si dolor invincibiliter existimetur esse efficax; sed oppositum rectè ostendit c. 2. & 3. Hinc absolutè dicendum est dolorem ad valorem & effectum hujus Sacramenti requisitum debere esse efficacem, id est, debere excludere voluntatem peccandi, nam *Trid.* suprà dicit dolorem disponere ad gratiam in Sacramento obtinendam, si voluntatem peccandi excludat, ex quo colligitur non ideo dici efficacem, quòd faciat, ut nunquam ampliùs peccetur, sed quia est talis, ut quamdiu est, cum illo componi non possit voluntas efficax illius peccati, de quo est dolor. Ratio autem, cur talis dolor requiratur, est hæc, quia alioquin homo simpliciter nō convertetur à peccato ad Deum, non est autem credibile Deum illi remittere peccatum, qui ab hoc simpliciter non avertitur, sed ad illud manet actualiter conversus, ergo. 669.

§. 8. Hic dolor etiam debet esse sensibilis, non hoc sensu, quòd debeat elici ab appetitu sensitivo, aut sentiri in corpore, nam sufficit, quòd sit purè spiritualis & in sola voluntate habeatur, sed hoc sensu debet esse sensibilis, quòd

debeat per confessionem vel aliud signum externè manifestari, utì omnes communiter docent vel supponunt cum *Côn.* d. 4. n. 44. *Laym.* l. 5. t. 6. c. 4. n. 4. *Lugo* d. 14. à n. 15. *Arr.* d. 37. s. 2. *Palav.* n. 276. contra paucos recentiores & *Moyam* d. 5. q. 10. n. 2. qui negant. Ratio nostra est, quia confessio, secundùm omnes, ut sit Sacramentalis, debet esse aliquo modo dolorosa, alioquin nec Sacerdos, qui est Judex, cognosceret dispositionem necessariam pœnitentis, nec illa ipsa confessio censeri posset vera accusatio pœnitentis. Congruentia autem est, quia hic dolor est pars Sacramenti, quod est signum sensibile pro hominibus à Christo institutum, ideoque congruebat Sacramentum quoad omnes partes, quas ponunt homines, dici signum humanum & sensibile, vel per se vel saltem per aliquid aliud, per quod exterius innoresçat; unde etiam intentio Ministri manifestari debet saltem per absolutionem, intentio autem pœnitentis per confessionem vel aliud signum.

670. §. 9. Dolor ad effectum hujus Sacramenti requisitus debet esse universalis respectu mortalium, id est, debet se extendere ad omnia mortalia non remissa, nam in hac providentia non remittitur unum mortale sine alteto, quia nullum mortale remittitur sine infusione gratiæ, quæ gratia pugnat cum omni mortali, neque ullum mortale remittitur sine efficace dolore de illo, utì dictum est nu. 668., ergo si desit dolor de unico mortali non remisso, deest dolor requisitus ad remissionem cujuscunque mortalis.

*Obji.* Ad effectum hujus Sacramenti non requiri-

quiritur confessio nequidem virtualis omnium peccatorum, nam si quis confiteatur furtum, & bonâ fide dicat se non fecisse perjurium, quamvis fecerit, per absolutionem accipit gratiam, ergo nec requiritur dolor nequidem virtualis omnium. R. n. conseq. Confessio omnium est tantùm de necessitate præcepti, & omitti potest quandoque, etiam scienter, utì dicetur à n. 1140. E contrà aliquis dolor sive retractatio omnium mortalium est secundùm præsentem Dei ordinationem de necessitate medii, ad hoc, ut aliquod mortale remittatur, secundùm dicenda n. 679.

671. §. 10. Non est necesse, ut dolor ad hoc Sacramentum requisitus sit ex uno motivo universali se extendente ad omnia mortalia, *Suar. Dicast.* d.6.dub.4. *Aversa* q.11.s.5.& communis contra *Bonac.* & alios, quia si quis tantùm habeat peccata furti & perjurii, eliciátque duos actus doloris ex motivis specialium honestatum, quas habent justitia & religio, habet dolorem se extendentem ad omnia sua peccata, ergo habet dolorem hoc sensu universalem, nec ratio est requirendi universaliorem, cur enim tenebitur detestari vel dolere de aliis peccatis, quæ non fecit? Itaque in hoc casu tenebitur tantùm habere propositum universale de vitandis imposterum omnibus mortalibus, utì dicetur à n. 898., & sic habebitur totum illud, quod ad contritionem pro Sacramento Pœnitentiæ requirit *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 4. nempe dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, ubi per dolorem de peccato commisso satis signanter innuit non requiri dolorem absolutè

lutè universalem, sed de peccatis commissis & non remissis, dummodo adsit propositum excludens omne peccatum pro futuro. Notatamen rectè *Dicast.* n. 63., si prudenter timeat, ne etiam alia peccata habeat, teneri ad dolorem absolutè universalem, ne exponat Sacramentum periculo saltem carendi suo effectu.

*Obji. S. Tho.* p. 3. q. 86. a. 3. in O. ait, *Non potest esse verè pœnitens, qui de uno peccato pœnitet & non de alio.* R. ait de pœnitentia, quæ extra Sacramētū fit, tractat enim ibi de virtute pœnitentiæ, & postea priùs in q. 90. tractat de Sacramento.

672. Q. 94. *An Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum & informe ratione doloris se non extendentis ad omnia mortalia.* R. Negant *Vasq. Con. Lay. Sa, Turr. Fagund. Castrop. J. Sanch. Martinon. Amic.* d. 12. s. 6. *Arr.* De Sacram. d. 13. s. 2. *Pal.* c. 31. *Moya* d. 5. q. 2. n. 6. *Mlodz.* d. 6. q. 2. *Gorm.* p. 2. n. 284. *Platel.* n. 720. *Haun.* l. 4. n. 996. *Spor-rer* n. 263. *Todtf.* q. 97. sed probabiliùs affirmant plurimi antiqui, quos refert & sequitur *Averf.* q. 54. s. 5. Sequuntur Thomistæ communissimè cum *Gonet* d. 10. a. 1. Item *Henriq. Suar. Tol. Tann. G. Hurt. Valent. Fill. Lugo, Bonac.* cum *Dicast.* d. 6. n. 84. Item *Perez, Salas, Escob.* cum *August. Laurentio* in Syntagm. t. 2. tr. 3. d. 3. n. 104. Accedunt *Rosmer, Carden.* in. 1. crisi d. 70. c. 1. & 2. aliique recentiores communissimè cum *Gob.* in Exp. t. 6. n. 177. *Ill.* n. 49. & hanc sententiam vocat in praxi probabilissimam *Dian.* p. 3. t. 4. R. 65. *Probatur* 1. authoritate, nam in illis, quæ pendent à voluntate Dei, multùm ponderis habet judicium plurium & graviorum Authorum, atqui pro nostra sententia stant plures & graviores, uti certum est, probátque *Dicast.* supra

suprà vix ullum esse contrarium ante tempora *Vasq.*, quem reliqui sunt secuti. Accedit, quòd pro nostra sententia videatur esse etiam S. *Th.* in suppl. q. 9. a. 1. ubi quærit, an confessio possit esse informis, & in O. sic habet, *Confessio potest esse etiam in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua pandere Sacerdoti & clavibus Ecclesiæ se subjicere, & quamvis tum non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam in aliis Sacramentis est.* Cùm autem dicat Sacramentum recedente fictione reviviscere, supponit fuisse validum, non cum defectu omnis contritionis, nam paulò ante dixerat aliquam contritionem esse partem Sacramenti, sed cum defectu contritionis alioquin requisitæ ad effectum Sacramenti, quæ nempe se extenderet ad omnia mortalia non remissa. Gratis autem dicit *Gormaz* n. 479. *S. Th.* postea retractâsse illam suam sententiam, nam nec verbo ullibi hoc insinuat. *Prob.* 2. ratione, nam si quis commiserit grave furtum & perjurium, ac post diligens examen non occurrat illi nisi furtum, si de hoc doleat propter honestatem virtutis justitiæ, & confiteatur bonâ fide dicens se nullum aliud peccatum habere, sícque absolvatur, Sacramentum non causat gratiam, utì certum est ex dictis n. 670., cùm enim unum mortale non remittatur sine altero, & mortale perjurii non retractetur, hoc mortale est obex, quominus causetur gratia, ergo Sacramentum in hoc sensu est informe, quia non causat formam gratiæ. Hoc non obstante videtur hoc Sacramentum esse validum, quia nulla pars essentialis ipsi deest: non confessio, nam integrè est confessus, quidquid occurrebat memoriæ. Nec abso-

absolutio, utì supponitur: Neque dolor, quia habet dolorem de furto, eúmque manifestat per confessionem furti, dolor autem de perjurio non est pars hujus Sacramenti, quia ille solus dolor est pars Sacramenti, qui per hanc confessionem potest fieri sensibilis, ut enim sit pars Sacramenti, debet esse sensibilis, secundùm dicta n. 669., & suppono per nihil aliud hìc & nunc fieri sensibilem, atqui dolor de perjurio, quamvìs adesset, non potest fieri sensibilis per hanc confessionem, ergo. *Prob. min.* dolor de perjurio non imperat hanc confessionem, nam pœnitens expressè & invincibiliter dicit se non habere aliud peccatum, quod velit confiteri, atqui confessio non potest dolorem de perjurio reddere sensibilem, nisi hic dolor eam imperet, ergo. *Prob. min.* Confessio per hoc tantùm dicitur facere dolorem sensibilem, quòd sit & censeatur esse effectus causatus à dolore, effectus autem manifestet suam causam, ergo talis dolor, quamvìs adesset, non fieret sensibilis per hanc confessionem, ergo non est pars hujus Sacramenti. *Nec obstat*, quòd hic dolor requiratut ad effectum hujus Sacramenti, secundùm dicta n. 670.; *nam* non ideo est pars hujus Sacramenti, si enim adsit & nullo signo fiat sensibilis, non est pars Sacramenti, utì adversarii fatentur, & tamen est necessarius ad effectum Sacramenti, utì omnes docent, ergo aliud est requiri ad effectum, aliud esse partem Sacramenti. *Conf.* nam si quis suscepisset Baptismum sine dolore de perjurio ante Baptismum commisso, & post Baptismum commisisset furtum, tumque doleret de perjurio ex motivo religionis, de furto autem ex motivo justitiæ, sicque confi-

confiteretur furtum, dolor de perjurio esset quidem necessarius ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, ut nempe per illud causaretur gratia, attamen non esset pars Sacramenti Pœnitentiæ, quia sicuti perjurium ante Baptismum commissum non est materia Sacramenti Pœnitentiæ, ita nec dolor de illo est pars hujus Sacramenti, sed tantùm conditio & remotio obicis gratiæ, ergo manifestum est, quòd non omnis dolor, qui requiritur ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, sit pars illius Sacramenti.

*Obji.* 1. *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 5. sic habet, 673.
*Constat nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut, postquam quis diligentiùs se excusserit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum mortaliter offendisse meminerit, reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem confessione inclusa esse intelliguntur*: ergo mortalia, quæ non occurrunt, debent intelligi inclusa, sed certum est illa non includi hac confessione, quæ nullo modo per dolorem retractantur, ergo talis confessio & talis dolor non est ille, qui ad valorem hujus Sacramenti requiritur. *Conf.* nam *Trid.* ibidem c. 3. & can. 4. dicit dolorem, quatenus in pœnitente ad plenam & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiritur, hâc ratione pœnitentiæ partem dici, ergo dolor, qui requiritur ad effectum Sacramenti, est pars Sacramenti & ad ejus valorem requiritur. R. cum *Averja* s. 6. *Trid.* utroque loco dicere, quod per se est & ordinariè contingit, explicat enim modum ordinarium, qui est & procurari debet pro justificatione peccatoris, solet autem, & per se loquendo requiritur, ut dolor se extendat ad omnia

non

non remissa, ne impediatur effectus Sacramenti, secundùm dicta n. 671. De cætero Trid. abstrahit ab illo, quod per accidens est, & ratò contingit ratione doloris bonâ fide non extensi ad aliqua peccata, nec ullibi negat hunc dolorem ita restrictum obesse valori.

674. *Obji.* 2. Confessio furti non est valida, nisi adsit propositum cavendi omne mortale, sed propositum cavendi omne mortale est sufficiens dolor etiam de perjurio, ergo. R. n. min. quia licèt se extendat ad omne mortale tanquam fuga pro futuro, non tamen tanquam retractatio omnis peccati præteriti, uti hic supponimus, & ratio est, quia posset quis proponere nunquam pejerare imposterum, & tamen non dolere de perjurio præterito, quod sibi fuisset specialiter utile.

*Inst.* Saltem propositum universale cavendi etiam perjurium sit sufficienter sensibile pro confessionem solius furti, ergo etiam dolor de perjurio, si adesset, fieret sufficienter sensibilis. R. n. conf. disparitas est, quòd pœnitens judicet & Sacerdos sciat propositum universale cavendi omnia imposterum, esse necessarium ad reconciliationem cum Deo, & pœnitens non dicat se illo carere, confessio autem manifestat desiderium istius reconciliationis, & consequenter in his circumstantiis etiam sufficienter manifestat propositum universale cavendi omnia imposterum, adeoque etiam cavendi perjurium, è contrà hic pœnitens non judicat dolorem de perjurio esse necessarium ad reconciliationem, nec Sacerdos potest prudenter suspicari ipsum habere dolorem de perjurio, sed potiùs judicare debet oppositum, cùm bonâ

bonâ fide dicat se non habere aliud peccatum, ergo per confessionem furti non sufficienter manifestat dolorem de perjurio.

*Obji.* 3. Sacramentum Pœnitentiæ requirit voluntatem efficacem reconciliationis cum Deo, est enim institutum ad hanc obtinendam, sed hæc voluntas non potest esse sine dolore, saltem virtuali de omni peccato, utpote contrario isti reconciliationi, ergo. R. *Aversa* dicit non esse opus velle reconciliationem adæquatam, sed satis esse velle reconciliationem respectivè ad hæc peccata, sive remissionem horum peccatorum: sed datâ maj. n. min. qui enim efficaciter decernit post horam dolere de peccatis & confiteri, habet voluntatem efficacem reconciliationis cum Deo, neque tamen ideo jam habet dolorem: cujus ratio à priori est, quia licèt intentio efficax finis sit voluntas virtualis applicandi media, tamen non ideo est ipsa actualis applicatio mediorum, & multò minùs est ipse finis intentus, ergo quamvis intentio efficax reconciliationis sit voluntas eliciendi dolorem, non ideo est ipse dolor. 675.

*Obji.* 4. Detestatio omnium mortalium est medium unicè necessarium ad remissionem furti, ergo quia hic confitens vult remitti furtum, etiam virtualiter vult remitti omne mortale, qui enim vult finem, vult medium unicè necessarium ad finem, ergo licèt detestatio furti non habeat connexionem cum detestatione perjurii in ratione motivi, tamen habet connexionem in ratione medii. R. Habet connexionem in ratione medii, id est, intendit detestationem perjurii tanquam medium ad remissionem furti, transeat, hoc ipso habetur detestatio 676.

perjurii, n. conf. ſupponimus enim non adeſſe deteſtationem perjurii, ſed ſolius furti.

677. *Q. 95. An aliter poſsit Sacramentum Pœnitentiæ eſſe validum & informe ratione doloris vel ob aliam cauſam, & quid tum ſit dicendum.* Bz. §. 1. Suar. d. 20. ſ. 4. n. 26. aliique cum **Laurentio** ſuprà nu. 210. & 225. putant dolorem bonâ fide dimidiatum non obſtare valori hujus Sacramenti, ſicuti non obſtat confeſſio bonâ fide dimidiata, hinc dicunt cum *Lugo* d. 14. n. 89. adhuc fore validum hoc Sacramentum, ſi quis accedat cum dolore particulari de furto, omiſſo omni dolore de perjurio etiam confeſſo, eò quòd invincibiliter putaret ſufficere dolorem de furto, quia memoria perjurii videtur ſe habere per accidens ad obligationem doloris de illo, ſuppoſitâ ignorantiâ invincibili de obligatione talis doloris. Idem dicunt aliqui, ſi omitteret dolorem de perjurio, invincibiliter putans eſſe tantùm veniale, aut ſi ideo de perjurio doleret tanquam de veniali ex metu ſolius Purgatorii. *Nec obſtat*, quòd dolor efficax & debitus de his peccatis fieret ſenſibilis, ſi revera adeſſet: *nam* non ideo iſte determinatè dolor eſt pars eſſentialis hujus Sacramenti, nam dolor de venialibus, quæ quis confitetur cum mortalibus, etiam fit ſenſibilis per confeſſionem illorum venialium, neque tamen eſt pars eſſentialis illius Sacramenti, ſed pars eſſentialis eſt tantùm indeterminatè hic vel ille dolor de peccato confeſſo, ſicuti pars eſſentialis hujus hominis eſt hæc vel illa indeterminatè materia. Ita illi probabiliter: & conſequenter,

678. §. 2. Probabile eſt in his caſibus dari poſſe Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe

me, 1. Si pœnitens habens, v. g. furtum & perjurium, de furto tantùm doleat, illudque confiteatur, inculpabiliter non cogitans de perjurio. 2. Si sciens furtum esse mortale, de hoc doleat ex speciali motivo justitiæ, & putans perjurium esse tantùm veniale, de hoc doleat ex metu solius Purgatorii, sed non confiteatur illud. 3, Si agnoscens utrumque esse mortale, etiam utrumque confiteatur, de uno efficaciter dolens, de altero inefficaciter, attamen invincibiliter putans se de utroque efficaciter dolere. 4. Si utrumque mortale agnoscens, utrumque confiteatur, dolens de uno non de altero, bonâ fide putans hunc alterius dolorem non requiri. 5. Si adultus post commissum mortale, sine dolore de hoc mortali susceperit Baptismum, & postea peccet mortaliter vel venialiter, hócque peccatum confiteatur cum debito dolore. Videri potest *Dicast.* d. 6. àn. 251., ubi ostendit confessionem etiam de solis venialibus posse esse validam & informem.

§. 3. Si quis sibi conscius de furto & per- 679.
jurio gravi, scienter omittat dolorem de alterutro peccato, certum est Sacramentum fore invalidum, nam ut valeat, debet adesse talis dolor & tale propositum, vi cujus ille, qui confitetur, denominetur simpliciter pœnitens, sed si ille, qui confitetur, malâ fide omittat dolorem de perjurio, non potest nec per dolorem de furto, nec per præsens propositum denominari simpliciter pœnitens, ergo. *Prob. min.* Dolor, qui denominat simpliciter pœnitentem, debet excludere voluntatem actualem peccandi, sed hanc non excludit iste dolor, nam actua-

liter peccat, utì supponitur: nec talis habet propositum universale non peccandi, cùm actu peccet, ergo nec per tale propositum potest denominari simpliciter pœnitens. Et consequenter quandocunque aliquis actu mortaliter peccat in confessione, utì si scienter sine causa omittat mortale, aut accedat sine debito examine, tale Sacramentum semper est invalidum, quidquid contradicant aliqui apud *Dicast.* d. 9. dub. 13. & cum *Gob.* t. 7. n. 278. qui putant tum posse esse validum & informe. Similiter certò est invalidum, si quis etiam bonâ fide accedat sine ullo dolore, aut sine dolore supernaturali vel efficace, quidquid iterum contradicant aliqui apud *Lugo* n. 69. *Aversam* s. 7. *Gormaz* num. 297. Quòd si Sacerdos intenderet pœnitentem rité dispositum absolvere ab aliquibus tantùm, & non ab omnibus mortalibus, si hæc ipsius intentio prævaleat, id est, si absolutè nolit absolvere, nisi per absolutionem remittatur unum mortale sine altero, Sacramentum non est tantùm informe, sed prorsus invalidum, utì rectè *Gormaz* n. 285. quia non habet intentionem conformem institutioni Christi, qui voluit non remitti unum mortale sine altero: si tamen prævaleret intentio faciendi hoc, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, Sacramentum esset validum & formatum.

*Obji. S. Th.* in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. videtur docere, quòd Sacramentum possit esse validum, etiamsi etiam scienter aliquis omittat omnem dolorem internum, ita enim habet: *Confessio potest esse in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua Sacerdoti innotescere & clavibus Ecclesiæ se subjicere, & quamvis tunc non percipiat absolutionis fru-*

*fructum, tamen recedente fictione percipere incipit, sicut etiam est & in aliis Sacramentis: inde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.* Rationem dat Auctor libelli, cui titulus *Pentalogus diaphoricus* n. 3. & 32. quia dolor prout est internus, sic est tantùm dispositio, prout autem est absolventi externè manifestatus, sic tantùm est materia Sacramenti, sive, contritio cordis est dispositio tantùm, contritio oris est materia, ergo quamvis desit contritio cordis, potest Sacramẽtum esse validum, quia non deest materia Sacramenti sed tantùm dispositio, actualis autem susceptio Sacramenti supplet sufficientiam dispositionis, faciendo quòd Deus sit tali insufficientiâ contentus. R. & contra est. 1. nam *Conc. Florent.* relatum n. 583. dicit *cordis contritionem* esse materiam hujus Sacramenti, sicuti materia est *oris Confessio*, Similiter *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 3. ait, *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio & satisfactio.* 2. Quamvis dolor internus dicatur esse dispositio, tamen requiritur ad valorem Sacramenti, cùm sine illo nemo sit verè pœnitens: etiamsi autem dicatur esse materia prout manifestatus nihil ad rem facit, attamen ad valorem requiritur, ut adsit, imò manifestari non potest, si non adsit. 3. Sensus communis fidelium & praxis Ecclesiæ est, ut quando Confessio est sacrilega, censeatur invalida, ideoque fideles repetunt peccata in ea exposita, ita enim etiam præscribit *Catech. Rom.* De Sacram. Pœn. c. 9. Si quis peccata confessus sit præmisso negligente examine, *Confessionem iterare omnino oportebit*, ergo similiter, si confessus sit sine inter-

no dolore, confessio est invalida, licèt utrobique negligatur aliquid merè internum. S. Th. intelligi debet de pœnitente, qui apud eundem Confessarium postea confitetur fictionem, hoc ipso enim censetur iterum sufficienter repetere suam confessionem: & in praxi pro securitate agendum est, ut in genere iterum se accuset de illis peccatis, secundùm dicenda n. 1216.

680. §. 4. Quando Sacramentum Pœnitentiæ fuit invalidum, nunquam reviviscit, quia non extitit. E contrà si fuit validum & informe, postea sublato obice reviviscit ad causandam gratiam, utì explicatum est in p. 1. à n. 201. Et per talem Confessionem quamvìs informem satisfit præcepto Cõfessionis annuæ, nec postea est obligatio repetendi peccata in tali confessione explicata, sed tantùm omissa, utì suis locis dicetur.

681. Q. 96. *Quid addendum sit circa dolorem, si quis confiteatur sola venialia.* Rr. seqq. §. 1. Dolor sufficiens pro remissione venialium in Sacramento, debet esse honestus, verus, formalis, supernaturalis, sensibilis, & efficax respectu alicujus saltem venialis, utì constat ex dictis à n. 663. si cum proportione applicentur rationes ibi adductæ: unde licèt non sit obligatio confitendi venialia, tamen si quis ea confiteatur, debet habere illa, quæ requirit valor & effectus hujus Sacramenti, *Aversa* q. 11. s. 1. *Dicast.* d. 6. dub. 15. *Dixi*, respectu alicujus saltem venialis, nam communis & certa sententia est, non esse opus, ut dolor se extendat ad omnia venialia, quorum aliquis sibi conscius est, cùm enim non sit obligatio ea confitendi, sed possint aliter

ter remitti, neque sint obex gratiæ, & possit unum remitti sine altero, planè nulla ratio est, cur pœnitens necessariò habere debeat dolorem universalem de omnibus.

§. 2. Rejiciendæ sunt sequentes opiniones : 682.
1. *Dilgaldilli* apud *Moyam* d. 5. q. 5. n. 3., qui dixit ad confessionem venialium nullum requiri dolorem : oppositum enim certum esse dicit *Arr.* d. 38. n. 9. *Leander* apud *Moyam* n. 20. dicit esse certissimum, & constat ex dictis hactenus, quia Concilia dicunt dolorem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ. 2. *Zanardi*, *Tancredi* & aliorum apud *Moyam* n. 14., qui dixerunt sufficere dolorem virtualem, nam n. 666. ostensum est oppositum. 3. Eorum, qui dicunt sufficere voluntatem suscipiendi Sacramentum sine actuali affectu ad ista venialia, quæ confitetur, quorum sententiam vocat non improbabilem *Præpos.*, & *Tamb.* De conf. l. 1. c. 3. §. 1. tuetur ùt probabilem, sed meritò contradicunt alii communiter cum *Stoz* l. 1. p. 2. n. 73. quia secundùm dicta n. 664. hæc voluntas suscipiendi Sacramentum non est re ipsâ dolor. 4. *Gran.* & aliorum apud *Moyam* nu. 1., qui putârunt sufficere quamcunque displicentiam, nam ex dictis num. 665. satìs constat oppositum. 5. *Fabri Patavini* apud *Dicast.* n. 255., qui dixit non fore mortale, si quis confiteretur sine ullo dolore venialium, eò quòd non videatur esse gravis irreverentia frustrare Sacramentum in materia levi : sed contrà est, quia hìc gravitas materiæ non debet desumi à materia confessionis, sed ab ipso Sacramento, cujus irritatio semper est res gravissima, utì rectè *Lugo* d. 14. n. 110. *Arr.* à n. 11. & constat ex dictis p. 1. n. 40.

683. §. 3. Sacramentum Pœnitentiæ potest habere valorem & effectum, quamvis dolor non extendat se ad omnia venialia, quæ quis confitetur, *Suar. Henriq. Vasq. Hurt. Fagund. Lugo* num. 118. *Arr.* d. 31. n. 53. *Dian.* p. 11. t. 5. R. 22. *Dicast.* n. 286. *Moya* q. 6. *Stoz* n. 66. *Palav.* n. 286. *Bosco* d. 7. s. 4. à n. 162. *Sporer* n. 96. contrà *Castrop.* t. 23. p. 7. n. 14. & alios apud *Suarez* d. 20. s. 6. n. 7. qui dicunt per hoc peccari mortaliter, adeóque invalidari Sacramentum : quam opinionem *Gonet* d. 7. nu. 77. putat esse improbabilem, sed *Dicast.* n. 265. & *Gormaz* p. 1. nu. 487. dicunt esse satis probabilem. Ratio nostra est, quia cùm non sit obligatio confitendi venialia, & possit unum per absolutionem remitti sine altero, etiam potest esse dispositio ad absolutionem unius & non alterius, ergo etiam poterit unum, de quo dolet, remitti sine altero, de quo non dolet, quamvis utrumque confiteatur. *Conf.* 1. ex *Haun.* l. 4. n. 1000., nam ad veniam ab offenso impetrandam duo requiruntur & sufficiunt, primum est velle efficaciter illius amicitiam, alterum est efficaciter excludere illud, cujus veniam petimus, hæc autem possunt haberi, licèt quis efficaciter non excludat omnia venialia, quæ confitetur, dummodo aliqua excludat, ergo. 2. ex *Palav.* suprà ; nam si hoc esset mortale, homines timorati meritò deterrerentur à confessione venialium : nam facilè fit, ut inter ea sit aliquod, de quo efficaciter non doleant.

684. *Obji.* 1. Peccatum, de quo non doles, est materia inepta absolutionis, sed materiam ineptam subjicere formæ Sacramenti est peccatum mortale, uti si quis hostiis triticeis consecran-

crandis miſceat avenaceam, ergo peccatis, de quibus doles, miſcere aliquod, de quo non doles, etiam eſt peccatum mortale. R. minorem non eſſe univerſaliter veram, nam parum vini miſcere aquæ pro Baptiſmo, item aliquot grana avenacea miſcere tritico pro hoſtiis; eſſet ad ſummùm veniale, uti rectè *Suar.* d. 22. ſ. 10. n. 8. *Lugo* ſuprà. Admitto tamen fore mortale, inter triticeas hoſtias conſecrandas miſcere avenaceam, ſed nego paritatem in peccato veniali, de quo non doles, mixto reliquis, de quibus doles. Diſparitatem dat *Dicaſt.* n. 284. quod in conſecratione tot phyſicè fiant Sacramenta, quot ſunt hoſtiæ, unaquæque autem hoſtia eſt materia æquè gravis, quam prout phyſicè diviſam afficit forma. E contrà per abſolutionem multorum peccatorum fit unicum Sacramentum, quod ſufficienter ſalvatur in unico veniali. Diſparitatem illam meliùs explicant *Suar.* ſuprà & *Lugo* n. 121. quidquid contradicant *Arr.* à n. 56. & *Dicaſt.* à nu. 270. quia nempe verba conſecrationis diriguntur ad materiam, quam abſolutè determinant & demonſtrant per *Tò hoc*, & de ſingulis hoſtiis dicunt eſſe corpus Chriſti, ergo ſi ſupponatur materia non vera nec apta fieri Corpus Chriſti, forma fit falſa. E contrà verba abſolutionis non diriguntur ad peccata, ſed ad pœnitentem, & indirectè tantùm ac in confuſo attingunt peccata, dicendo, quantùm in me eſt, remitto tibi peccata: quod manet verum, licèt ex indiſpoſitione pœnitentis aliquod peccatum non remittatur, dummodo cauſetur gratia, & peccatum, de quo dolet, remittatur. Aliam diſparitatem dat *Gormaz* p. 1. à n. 489. quia hoſtia avenacea non opponitur

ad alium finem, nisi ut consecretur, hinc consecratio cadit super eam : è contrà peccatum, de quo non dolet, non ideo in confessione dicitur, ut absolutio super illud cadat, sed dicitur vel ad humilitatem seu confusionem suî, vel ad manifestandam magìs conscientiam, sicuti etiam in confessione manifestari possunt habitus mali & propensiones inordinatæ, confessio enim etiam est ad regimen conscientiæ & ad secuturæ vitæ directionem, utì habet *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 8. Unde intentio pœnitentis vel absolventis non est, ut absolutio cadat super tale veniale, sed tantùm, ut cadat super ea, de quibus pœnitens dolet, utì notavit etiam *Arr.* num. 58.

685. *Obji.* 2. Confitens peccatum, exercitè dicit se dolere de eo, & velle absolvi, ergo si non doleat, & consequenter nolit absolvi, mentitur, ergo irritat Sacramentum. R. n. ant. Illo tamen dissimulato, & dato, quòd mentiatur, mendacium est circa rem levem, & circa materiam liberam confessionis, ergo ad summùm peccatur venialiter, nec ideo irritatur Sacramentum, dummodo maneat dolor de alio veniali. *Dixi*, dato, nam licèt ille, qui confitetur veniale, expressè nolens dolere de illo, videatur leviter mentiri, tamen si in genere dolens saltem de gravioribus, in fine dicat, de his & omnibus peccatis meis doleo, non videtur mentiri, quia non vult aliud significare, nec aliter eum intelligit Confessarius, quàm quòd doleat de omnibus illis, à quibus nunc vult & potest absolvi: hinc,

686. §. 4. Quamvìs confitearis multa venialia, ad valorem & fructum Sacramenti satìs est, si dolear

doleas & te accuſes de uno graviore, vel de frequentia illorum, eſt enim ſpecialis inhoneſtas in gravioribus vel in conſuetudine eorum, & propterea potes dolere, *Lugo, Tancredi, Verric. Tamb.* apud *Moyam* q.5.nu.27. *Sporer* nu.97. Si quis tamen advertat ſe non dolere de aliquo veniali, meliùs facit omittendo illius confeſſionem : imò ſecundùm *Suar.* confitens illud peccat venialiter, quamvìs oppoſitum videatur *Arriagæ* n.55.

Quale requiratur propoſitum circa venialia, dicetur à n. 902. Quandonam autem dolor de venialibus cenſeatur revocari, dicetur à n. 715. 687.

*Q. 97. Quomodo dolor debeat ſe habere ad confeſſionem & abſolutionem.* R. §. 1. *Lugo* d. 14. ſ.4. *Averſa* q. 11. ſ. 1. *Regin.* l. 5. n. 54. *Tamb.* De confeſſ. l. 1. c. 2. §. 3. *Gob.* tr. 6. nu.155. *Sporer* nu. 288. *Moya* d. 5. q. 9. nu. 14. *Illſ.* nu. 40. & alii putant non requiri, ut dolor ſit elicitus ex intentione confitendi, ſed ſatìs eſſe, quòd per conſequentem voluntatem eò referatur, quamvìs non renovetur, quòd *Arr.* d. 37. n. 17. putat eſſe certum. E contrà *Præpoſ. Bonac. Dicaſt.* d. 6. dub. 13. aliique plurimi, teſte *Stoz* l. 1. p. 2. n. 53. probabiliùs dicunt debere elici ex intentione confeſſionis, quia aliàs non eſt actio Sacramentalis, ergo non cenſebitur ſubjici formæ tanquam pars materialis & determinanda, ſicuti ablutio facta ſine intentione baptizandi, quamvìs immediatè poſt referretur ad Baptiſmum, & adderetur forma, non eſſet actio Sacramentalis, nec pars Baptiſmi. *Si dicas*, ablutionem eſſe actionem Miniſtri, qui nomine Chriſti agit, ideoque ſpecialiter debere poni ex intentione Sacramenti. *Contrà* eſt, nam ad actionem ſuſcipientis

pientis etiam requiritur intentio Sacramenti, si enim ordinandus poneret contactum materiarum sine intentione Sacramenti, non ordinaretur validè. Et idem est de illo, qui posuisset confessionem sine intentione absolutionis, uti fatetur *Lugo* n. 45. quidquid videatur contradicere *Amic.* d. 12. à n. 64.

688. *Obji.* 1. Dolor & propositum sunt voluntas implendi omne præceptum, ergo cùm detur præceptum confitendi, sufficienter erunt voluntas confitendi. R. n. cons. nam sæpe elicitur dolor de peccatis, de quibus confitendi non est præceptum, qualia sunt venialia aut mortalia antehac confessa, ergo dolor secundùm se censetur aliquid indifferens ad confessionem. Docet tamen probabiliter *Palav.* nu. 278. si dolori conjunctum sit desiderium justificationis, tum adesse sufficientem intentionem confitendi mortalia necdum remissa, quia confessio est vel in se vel in voto medium necessarium ad veniam de his peccatis obtinendam. Et idem posset concedi de dolore circa mortale necdum remissum.

689. *Obji.* 2. *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 4. plùs non requirit ad dolorem, qui sufficiat, quàm ut sit cum spe veniæ & excludat omnem voluntatem peccandi, ergo malè requirimus, ut ponatur ex voluntate confitendi. R. n. antec. nam 1. vocat dolorem in Sacramento, non est autem in Sacramento, nisi eliciatur ex intentione Sacramenti. 2. Dicit illi debere esse conjunctum votum præstandi reliqua, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur, inter quæ est confessio, ergo si non adsit votum sive intentio confitendi, non est ille dolor, qui secundùm

cundùm *Trid.* requiritur ad justificationem per Sacramentum.

*Obji.* 3. Dolor de peccatis antecedens Baptismum sine ulla relatione ad Baptismum sufficit ad effectum Baptismi, ergo similiter hìc. R. n. cons. 1. quia dolor non est pars Baptismi, hinc non est opus, ut per ejusmodi relationem accipiat rationem actionis sacramentalis, quam habere debet dolor, qui est pars Sacramenti Pœnitentiæ. 2. Quia dolor ante Baptismum semper refertur ad Baptismum, cùm sit illius votum, non ita semper refertur dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ, utì dictum est n. 688. 690.

*Obji.* 4. Species panis & vini sunt partes Sacramenti Eucharistiæ, neque tamen opus est eas produci ex intentione Sacramenti, ergo idem est hìc. R. Species sunt partes per modum actionis humanæ & transeuntis, n. per modum rei antecedenter productæ & permanentis, quæ secundùm se perdurans postea constituit Sacramentum, c. antec. & n. cons. 691.

*Inst.* 1. Peccatum ipsum est actio humana & transiens pœnitentis, simulque pars Sacramenti Pœnitentiæ, quod deficiente solo peccato non existeret, neque tamen opus est, ut sit positum cum intentione confitendi, ergo nec hoc opus est de dolore. R. n. cons. peccatum non est actio sacramentalis, cùm non ponatur ex institutione Christi, sed tantùm supponatur tanquam materia destruenda: dolor autem est actio sacramentalis ex institutione Christi ponenda. 692.

*Inst.* 2. Satisfactio est ex institutione Christi pars Sacramenti Pœnitentiæ, ponenda per modum actionis humanæ & transeuntis, & tamen 693.

opus

opus non est eam poni cum reflexione ad Sacramentum Pœnitentiæ, ergo similiter de dolore. R. 1. Si argumentum valet, ergo nequidem opus est dolorem referri ad confessionem per voluntatem consequentem, nam secundùm Adversarios, satisfactio manet impleta, licèt nunquam cogitem de illa ad Sacramentum susceptum referenda. R. 2. Dato antec. n. cons. quia satisfactio est tantùm pars integralis. *Dixi*, dato antec., nam n. 1286. dicam debere persolvi ex aliqua intentione satisfaciendi pro illa.

694. *Inst.* 3. Si Cajus dicat Bertæ, accipio te in meam; Berta autem reponat, & ego accipio te in meum, valet Matrimonium, quamvis Berta intentionem Matrimonii necdum habuerit, quando Cajus dicebat, accipio te in meam, ergo non est opus, ut intentio suscipientis Sacramentum tum adsit, quando ponitur actio, quæ ex institutione Christi est pars essentialis Sacramenti. R. 1. n. cons. nam suscipiens hìc est, non tantùm Berta, sed etiam Cajus, intentio autem Caji debuit tum adesse, & hoc sufficiebat, ut actio illa fieret sacramentalis, sub conditione, si Berta mutuò consentiret. R. 2. Quamvis hoc non teneret in Matrimonio, in quo Christus non immutavit naturam contractûs humani, inde nihil inferri posset ad alia Sacramenta, quæ non sunt contractus, & in quibus Christus voluit actiones suscipientis fieri sacramentales per ipsius intentionem.

695. *Obji.* 5. Odium morbi causat sumptionem medicinæ, ergo similiter dolor de peccato causat voluntatem illud confitendi, ergo dolor, con naturaliter loquendo, est prior quàm voluntas

luntas confitendi, ergo dolor non debet procedere ex voluntate confitendi. R. datâ 1. & 2. sequelâ n. ultimam, quamvis enim dolor de peccato connaturaliter causet voluntatẽ confitendi, tamen ut ille ipse dolor sit sacramentalis, debet poni ex aliqua alia priore voluntate confitendi, éstque etiam omnino connaturale, ut eadem voluntas pœnitendi imperet & dolorem & confessionem.

§. 2. Quamvis concederemus, quòd sen- 696.
tentia dicens non requiri, ut dolor sit elicitus ex intentione confitendi, esset probabilior, tamen ejus praxis foret illicita, & damnata est ab *Innocentio XI.* in 1. propositione, nam hìc agitur de valore Sacramenti, ergo cùm sententia illa non sit certa, nostra, quæ tutior est, debet in praxi teneri, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

§. 3. Dolor debet præcedere absolutionem, 697.
uti tenent omnes cum *Lugo* n. 17. *Arr.* n. 7. *Moya* q. 10. n. 3. *Dicast.* d. 6. n. 133. *Stoz* n. 47. Ratio est 1. quia peccator sine dolore non censetur pœnitens, nec dispositus ad remissionem peccati, ergo absolutio frustraretur. 2. Quia Christus voluit, ut Sacerdos tanquam Judex, ad absolutionem dandam moveretur per confessionem & dolorem pœnitentis, ergo debent præcedere. Putant quidem *Tamb. Raslerus, Gob* n. 54. *Sporer* n. 297. probabiliter sufficere, si dolor eliciatur sub absolutione, dummodo ante finem illius, sed *Lugo* n. 48. dicit talem dolorem non sufficere, monentque reliqui Authores id cavendum esse, quia Sacramentum exponeretur periculo nullitatis.

§. 4. Dolor sufficit, quamvis priùs post 698.
confes-

confessionem eliciatur : Ita *Nav. Tolet. Vsq. Hurt. Diam. Bonac. Fagund. Lohn. Suar.* d. 20. s. 4. n. 31. *Aversa* q. 11. s. 1. *Lugo* d. 14. s. 2. *Arr.* d. 2. *Amic.* d. 12. s. 4. *Tamb.* §. 4. *Haun.* l. 4. n. 995. *Bosc.* d. 7. s. 4. n. 96. *Platel.* n. 643. *Ills.* n. 41. *Sporer* n. 292. *Gob.* n. 149. *Moya* n. 1. qui citat plures alios; item *Abelly* p. 2. t. 1. c. 1. s. 10. dicens esse in praxi tutum. Est autem contra *Côn.* d. 4. dub. 6. *Laym.* l. 5. t. 6. c. 4. n. 4. *Castrop.* t. 23. p. 7. n. 11. *Bonac.* d. 5. n. 13. *Ochagav.* apud *Aversam* suprà : Ratio est, quia nihil obstat , utì patebit ex solutione objectionum. Et *Conf.* ex praxi Confessariorum, qui, prout faciendum esse monet Rituale Romanum, De ordine ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ §. 12. , auditâ confessione conantur efficacibus verbis adducere pœnitentes ad dolorem, neque tamen ideo jubent iterum confiteri. Item ex praxi fidelium, qui sæpè per multos dies continuant confessionem generalem, dolore ad ultimum diem dilato, contenti, si eliciant ante absolutionem.

699. *Obji.* 1. Si confessio non procedat ex dolore, ergo non erit sacramentalis, nec reconciliativa, sed habebit se sicut narratio historica. R. n. seq., nam manifestè differt à narratione historica per hoc, quòd fiat ex voluntate habendi absolutionem, per quam obtinetur remissio peccatorum; & per hoc etiam sufficienter dicitur reconciliativa; imò quamvis dolor præcederet , adhuc possent peccata merè historicè narrari, si quis ea enarraret sine intentione absolutionis, ergo ad hoc, ut confessio dicatur sacramentalis & reconciliativa, nihil ad rem facit, quòd dolor antecedat vel sequatur. Addunt *Suar.* suprà, *Dicast.* n. 133. *Gob.* nu. 152. *Sporer* nu. 295.

295. quamvìs pœnitens antea tantùm historicè vel ridiculè narrâſſet peccata, ſi tamen poſtea doleat de illis & externè manifeſtet ſe ab illis velle abſolvi, confeſſionem illam jam ſufficienter fieri ſacramentalem, quia ſufficienter cenſetur repeti.

*Obji.* 2. Dolor, qui eſt pars Sacramenti, de- 700.
bet eſſe ſenſibilis, ſecundùm dicta num. 669. ſed non poteſt fieri ſenſibilis per confeſſionem antecedentem, tum enim necdum eſt dolor, ergo. R. *Lugo* n. 17. *Haun.* ſuprà, *Moya* n. 3. *Palav.* n. 277. negant minorem, putant enim ſufficienter ſenſibilem fieri per confeſſionem ipſam ùt imperatam ex eadem voluntate ſuſcipiendi Sacramentum, ad quod etiam requiritur dolor. *Suar. Dicaſt. Sporer* n. 294. *Gob.* n. 151. dicunt etiam ſufficienter fieri ſenſibilem per exſpectantiam abſolutionis, & continuatam genuflexionem, quæ eſt quaſi continuata confeſſio. *Boſco* dicit etiam ſufficienter fieri ſenſibilem per *confiteor*, quod præmitti ſolet, & ſignificat dolorem præſentem vel futurum, ſed quidquid ſit de prioribus ſententiis, hac ultimâ non acquieſcunt *Dicaſt.* n. 135. & *Sporer* n. 268. Hinc dicendum eſt dolorem, qui ſequitur confeſſionem, poſſe aliter fieri ſenſibilem, ſi nempe pœnitens poſt elicitum dolorem tundat pectus, vel interrogatus dicat ſe dolere.

§. 5. Quamvìs ſecundùm dicta probabilius 701.
ſit ſufficere dolorem poſt confeſſionem elicitum, tamen praxis illius ſententiæ eſt illicita & damnata ab *Inn. XI.* agitur enim de valore Sacramenti, & quamvìs *Lugo* n. 13. ſententiam oppoſitam vocet ſingularem & contra omnes alios Theologos, nihilominus eſt probabilis,

utì fatentur *Stoz* n. 48. & *Gorm.* p. 2. n. 81. ergo cùm ſententia noſtra non ſit certa, Sacramentum exponeretur periculo nullitatis; hinc in praxi tenetur pœnitens poſt dolorem elicitum ſe accuſare ſaltem in genere de peccatis antea dictis, & ſi Confeſſarius tum interroget, an non ſe iterum accuſet de peccatis illis, ac pœnitens dicat, ita, hoc certò ſufficiet, ſic enim ſufficienter repetetur confeſſio.

702. §. 6. Dolor debet ita perdurare moraliter, ut abſolvendus ex vi illius cenſeri poſſit adhuc pœnitere, ſi enim non ita moraliter perduret vel in ſe vel in aliquo ſuo effectu, non conſtituet unum moraliter cum abſolutione, adeóque non erit pars Sacramenti Pœnitentiæ, neque peccator cenſebitur ampliùs petere ſibi remitti peccata. Quamdiu autem dolor phyſicè præteritus cenſeri poſſit ita moraliter perdurare, difficile eſt ſtatuere pro praxi; *Granado* apud *Averſam* q. 11. ſ. 1. abſolute requirit propinquum tempus: E contrà aliqui apud *Dian.* p. 3. t. 4. R. 116. putant ſufficere dolorem etiam ante plures annos habitum, dummodo non ſit retractatus; quam ſententiam *Stoz* n. 50. meritò dicit eſſe nimis laxam. *Tancredi* apud *Moyam* q. 9. n. 3. dicit poſſe præcedere per menſem. *Eſcob.* l. 14. probl. 24. & *Arr.* d. 37. n. 15. in genere dicunt etiam longo tempore antecedentem ſufficere; & conſentiunt *Prap.* & *Dian.* aliique plures apud *Averſam* ſuprà & *Moyam* n. 7. *Hurt.* autem apud *Dian.* p. 5. t. 14. R. 67. putat ſaltem ſatis eſſe, quamvis quatuor, quinque aut etiam pluribus diebus antecedat, ſed etiam iſta nimis laxa eſſe dicit *Stoz* n. 51. *Dicaſt.* d. 6. n. 167. *Arr.* n. 11. *Sporer* n. 301. *Gob.* n.

n. 169. dicunt, si quis hodie cum dolore confessus incidat in perpetuam amentiam vel apoplexiam, posse & debere post multos dies absolvi, etiam ab alio quàm illo, qui confessionem audivit: & similiter loquuntur *Nav. Sot. Ledesm. Henriq.* apud *Moyam* n. 6. Item *Marchant.* apud *Sporer* n. 287. unde *Gob.* n. 159. dicit perdurare dolorem, quamvis præcedat uno vel duobus diebus, quod *Carden*: in 2. crisi d. 2. n. 88. dicit esse certum. Addit *Gorm.* n. 82. posse perdurare etiam longiore tempore, dummodo aliquem sui effectum relinquat, hinc *Less.* in Auct. V. *Confessio* casu 3. sic habet, *Dolor semel conceptus de peccatis in ordine ad confessionem recogitatis, si quis ex vi illius & proposito tunc concepto, applicet se etiam postridie ad confessionem, sufficit, licèt quis in actu confitendi novum dolorem non concipiat, manet enim iste dolor virtute, sicut dum quis ex proposito hesterno applicat se hodie ad peregrinandum.* Idem tenent *Dian.* suprà, *Sporer* & *Gob.* n. 157. putans hoc esse indubitatum, & addit n. 160. se non legisse Theologum, qui hoc neget, hinc etiam *Tamb.* & *Stoz* n 52. cum *Dicast.* suprà dicunt sufficere, quamvis dolor etiam toto die antecedente præcesserit. Addunt *Tamb.* & *Sporer* suprà certò sufficere, si tantùm intercedat tempus trium vel quatuor horarum: *Moya* n. 10. dicit secundùm omnes sufficere, si duabus tantùm vel tribus horis antecedat: in hac tanta sententiarum varietate certa videntur seqq.

703. 1. Non est opus, ut formalis dolor coëxistat confessioni vel absolutioni; potest enim materia hujus Sacramenti longiùs abesse à forma, quàm in aliis Sacramentis, quia hoc Sacramen-

tum imitatur judicium forense, in quo sententia sequi potest diu post accusationem, processum & cofessionem Rei; neque constat, quòd Christus quoad hoc immutârit hoc judicium Sacramentale, nec est eadem ratio de aliis Sacramentis, quorum formæ plerumque significant materiam suam actu adesse præsentem, uti forma Baptismi ablutionem, forma Confirmationis unctionem &c.

704. 2. Si dolor præcesserit ante plures dies, meritò dubium est, an moraliter perduret, facilè enim posset esse retractatus per intercurrens peccatum, aut moraliter desiisse & supervenisse aliud motivum, propter quod nunc fieret confessio vel petereturabsolutio, unde ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis, dolor erit renovandus.

705. 3. Si quis experiatur se ex vi doloris in ordine ad absolutionem non diu antè eliciti adhuc aliquid facere, v. g. pergere examinare conscientiam, manere ad confessionale ex intentione confitendi, certus est se adhuc habere dolorem virtualem & sufficientem, qui perseveret in actu tenui & imperceptibili, nisi expresè vel tacitè per superveniens peccatum retractârit illum, quamvis fortè per plures horas dolor ille formalis antecesserit.

706. 4. Si quis, postquam dolorem elicuit, converterit se ad aliud negotium, v. g. ad scribendas litteras, aut si diu præterierit dolor, & animus per distractionem quasi dilapsus sit ad alia, quamvis positivè necdum dimiserit voluntatem confessionis & absolutionis, tamen in praxi breviter renovandus est dolor saltem in fine confessionis, dicendo, *De his & omnibus peccatis*

meis

*meis doleo, quia Deum summè bonum offendi, & per ejus gratiam propono peccata cavere imposterùm*

§. 7. Probabilius est eundem dolorem phy- 707.
sicè præteritum posse sufficere pro pluribus absolutionibus. Quod tamen non uno modo ab omnibus defenditur, nam L*edesm. Salas, Escob.* aliique multi cum *Moya* q. 8. dicunt tum saltem sufficere, quando eadem peccata iterum confitetur intra tempus, quo censeri debet moraliter manere ille prior dolor: *Henriq. Aversa*, q. 11. s. 1. *Platel.* n. 644. aliique dicunt sufficere, si pœnitens statim redeat & iterum confiteatur peccatum, quod fuerat oblitus: Idem dicunt T*amb.* & *Stoz* num. 52., quamvis sequenti die rediret: *Arr.* d. 37. n. 12. *Dian.* p. 11. t. 5. R. 21. *Dicast.* d. 6. n. 160. *Ills.* n. 43. *Stoz* suprà aliique absolutè dicunt eundem dolorem sufficere, sive iterum confiteatur, quæ antehac confessus, sive quæ oblitus erat, dummodo utraque confessio fiat intra tempus, quo dolor censetur moraliter perdurare. Hoc certius est, inquit *Sporer* n. 300., & omnes Theologi morales tanquam indubitatum supponunt, inquit *Moya* n. 4. si aliquis propter periculum mortis absolvatur necdum integrè confessus, & remittente periculo compleat confessionem, posse iterum sine novo dolore absolvi. Idem dicunt L*ugo* d. 14. n. 27. & G*ob.* t. 6. n. 165.; qui cum *Henriq.* addunt idem esse, si à Superiore accepisses absolutionem à reservato, & quia noluisset ab aliis absolvere, tu iterum alteri confitereris omnia, & ab hoc absolveris simul à reliquis, te non indigere novo dolore: quæ omnes sententiæ sunt, speculativè loquendo, saltem probabiliores: & ratio generalis est, quia multiplex forma

potest cadere super eandem materiam, etiam proximam, & cum ea constituere multiplex Sacramentum; nam imprimis multiplex consecratio ita cadit super eandem hostiam seu speciem, & super idem Corpus Christi, quando plures neomystæ cum Episcopo consecrant. *Nec obstat*, quòd hæ materiæ sint aliquid permanens, dolor autem sit actio transiens, nam supponimus dolorem permanere moraliter, quod sufficit secundùm dicta n. 703. Deinde si aliquis confiteatur simul pluribus Sacerdotibus, potest secundùm dicta num. 646. à singulis absolvi, etiam successivè, quia talis confessio audita à multis est moraliter multiplex, faciteque etiam dolorem esse moraliter multiplicem; ergo multò magis confessio intra breve tempus repetita & physicè multiplex faciet eundem dolorem esse moraliter multiplicem, adéoque sufficere pro pluribus absolutionibus etiam successivis. Denique si sim confessus & absolutus, sed quia unum peccatum fui oblitus, si paulò pòst redeam, dolor universalis, qui antecessit primam confessionem, fuisset sufficiens pro secunda confessione peccati, quod eram oblitus, si hæc confessio secunda fuisset prima, ergo etiam est sufficiens, quamvis alia confessio antecesserit, hæc enim non immutat illum dolorem.

708. *Obji.* 1. Duplex successiva absolutio non potest cadere super eandem confessionem uni Sacerdoti factam, ergo nec super eundem dolorem. R. n. cons. Disparitas est 1. quia hoc Sacramentum est per modum judicii, ut autem sit nova sententia, debet esse nova accusatio & novus processus, cùm Judex nihil possit nisi

servato

servato modo juris, qui est, ut si munere suo functus sit in aliqua causa, conquiescat, nisi aliunde iterum inchoetur processus: è contrà ad novam sententiam sufficit nova accusatio & nova causa sententiandi, quamvis non adsit novus dolor, hic enim non requiritur ad sententiam judicialem secundùm se, & quamvis requiratur ad sententiam sacramentalem, sufficit adesse eundem moraliter perdurantem. 2. Quia idem dolor fit moraliter duplex, cùm per duplicem confessionem bis exhibeatur & subjiciatur repetitæ absolutioni, non item eadem confessio, nam neque per se ipsam potest bis exhiberi, cùm physicè præteriêrit, nec reproducatur, neque per aliam confessionem, alioquin non esset una, sed duplex confessio.

*Inst.* Per primam absolutionem erat completus & terminatus ille actus judicialis, ergo si ponatur nova absolutio, quæ est nova forma judicii, erit novus actus judicialis, ergo debebit adesse nova materia proxima, ergo novus dolor. R. Ergo debebit adesse nova materia proxima, adæquatè alia, n. inadæquatè alia, nempe nova confessio, c. 2. seq. & n. 3.

*Obji.* 2. Si sufficiat unus dolor pro pluribus absolutionibus successivis, ergo qui initio anni haberet dolorem universalem de omnibus peccatis, & illius recordatione postea excitaretur ad confitendum, posset ex vi illius non retractati, quamvis non renovati singulis diebus anni confiteri peccata præterita & absolvi. R. Sequelam concedunt *Bosco* n. 154. & *Moya* q. 9. num. 12. extendens etiam ad plures annos, sed quia hoc videtur esse contra communem sensum, n. seq. si enim dolor ita longè distet ab 709.

absolutione, non censebitur facere unum moraliter cum illa, quantùm autem distare possit, colligendum est ex dictis à n. 702.

710. *Obji.* 3. Eadem ablutio non potest servire pro duplici Baptismo, ergo nec idem dolor pro duplici Sacramentò Pœnitentiæ. R. n. ant. nam si eadem ablutio, quæ cadebat super Cajum, reproduceretur, posset cadere super Titium substitutum in locum Caji: aut saltem si Cajus & Titius essent in eodem loco penetrativè, & affundens aquam diceret, *Ego vos baptizo, &c.* eadem ablutio serviret ad duplicem Baptismum. Quòd autem id fieri non possit naturaliter, causa est, quia ablutio physicè existens debet afficere baptizandum, & cùm sit actio transiens, non potest physicè afficere plures: E contrà non est opus dolorem physicè existere, ut afficiat confessionem, aut ut afficiatur ab absolutione, sed satìs est, quòd existat seu perseveret moraliter, sic autem perseverat, quando fit repetita confessio.

711. §. 8. Non est certum, quòd idem dolor physicè præteritus sufficiat pro pluribus absolutionibus, nam semper requiri novum dolorem, quoties datur nova absolutio, est sententia probabilis, quam docent *Vasq.* q. 92. a. 3. dub. 5. n. 10. *Bonac.* d. 5. q. 4. p. 4. n. 1. *Amic.* d. 13. n. 36. Eandem tenent, saltem tum quando iterum confitetur peccata antehac confessa, *Henriq. Aversa, Fill.* t. 6. n. 77. *Bernal.* De Sacram. d. 6. n. 74. *J. Sanch.* d. 1. n. 22. dicens communem, *Dian.* p. 3. t. 4. R. 116. Est autem ferme similis ratio de peccatis, quæ quis oblitus est, & de illis quæ est antea ac confessus, nec pro utraque parte desunt rationes probabiles, utì patet ex dictis à n. 708.

§. 9

§. 9. Praxis sententiæ, quàm à n. 707. defen- 712.
dimus, est illicita & damnata ab *Inn. XI.* utì constat ex dictis, sententia enim illa non est certa, & agitur de valore Sacramenti, ergo in praxi eligenda est oppositatutior : Unde si quis etiam statim post absolutionē recordans peccati illud addat, debeatque ab eo absolvi, tenebitur priùs renovare dolorem, alioqui hæc secunda absolutio exponetur periculo nullitatis, ideoque peccabitur mortaliter.

§. 10. Si idem dolor physicè perseveret sal- 713.
tem tenuiter, quamvìs imperceptibiliter, & ordinetur ad novam absolutionem, certò sufficiet, si enim dolor ille fuisset physicè interruptus & postea renovatus, certò sufficeret, ergo etiam quando physicè perseverat, est enim moraliter alius, partim per coexistentiam ad plura tempora, partim per repetitam accusationem, quâ iterum manifestatur & subjicitur formæ, partim etiam per relationem ad plures absolutiones: sic autem communiter contingit, si quis statim post absolutionem addat peccatum, quod fuerat oblitus, dolor enim saltem virtualis communiter adhuc existit cum confessione, & continuatur usque ad absolutionem secundam.

Q. 98. *Quandonam dolor censeatur revocari* 714.
*per peccatum subsequens.* R. §. 1. Dolor de mortalibus revocatur per quodcunque mortale postea commissum, quantùm est in ordine ad remissionem, cùm enim unum mortale non remittatur sine altero, hoc ultimũ mortale, de quo needum doluit, non remittetur, ergo nec cætera, de quibus doluit. Deinde saltem revocatum est propositum universale non peccandi

de cætero, quod requiritur ad remissionem cujuscunque mortalis, secundùm dicenda nu. 898. *Dixi*, quantùm est in ordine ad remissionem, nam si de prioribus doluerit ex motivo speciali, v. g. de furtis & perjuriis propter specialem honestatem virtutum justitiæ & Religionis, quibus hæc peccata opponuntur, poterit hic dolor manere, licèt postea admittatur delectatio turpis.

715. §. 2. Si ille, qui unico actu doluit de mortalibus & venialibus ex motivo universali cadente super utraque, v. g. quia displicent Deo summè bono, postmodum peccet venialiter, putant *Lugo* d. 14. n. 146. *Arr.* d. 38. n. 24. *Dicast.* d. 6. n. 322. *Palav.* n. 290. *Tamb.* De confess. l. 1. c. 3. §. 4. *Stoz* l. 1. p. 2. n. 72. & alii recentiores communiter non ideo dolorem illum revocari quoad mortalia, quia licèt esset actus physicè unus, erat tamen virtualiter multiplex, & inæqualiter ferebatur pro gravitate illorum, quia nempe in peccato graviore plùs reperiebatur de suo motivo quàm in leviore, graviora enim magìs displicent Deo ejusque bonitati magìs opponuntur, sicuti, inquit *Gormaz*, actus charitatis erga Deum & proximum, inæqualiter tendit in objecta sua secundùm horum inæqualitatem, alia enim est comparatio animi respectu Dei, alia respectu proximi: similiter alia erat comparatio animi respectu mortalium, alia respectu venialium, ergo licèt dolor revocetur respectu venialium, non ideo revocatur respectu mortalium. Pro quo dat alia similia *Palav.* suprà, sic enim qui per testamentum reliquit Petro totam hæreditatem, quamvis Paulo donet aliquid parvum, non ideo revocat

vocat totum testamentum : item qui ex motivo perfectæ amicitiæ decrevit nunquam offendere alterum, non ideo revocat voluntatem non offendendi graviter, licèt aliquando offendat leviter. Et hanc sententiam esse satis certam ac in praxi tutam dicunt plerique ex citatis authoribus : Restat tamen aliqua difficultas, nam motivum universale desinit movere respectu omnium collectivè sumptorum, ergo physicè desinit prior actus doloris, vel saltem desineret, si adhuc physicè esset, quia desinit extensio ad omnia, quæ extensio physicè erat idem totus actus, neque certum est, quòd physicè succedat novus actus circa reliqua, quia voluntas non applicatur de novo ad alium actum, ergo non videtur absolutè manere moraliter, actus enim, qui nunc physicè debuisset desinere, si adhuc physicè extitisset, quando superveniebat illud veniale, non videtur posse dici manere moraliter. Scio dici posse, quòd maneat moraliter respectu mortalium, attamen pro majori securitate expediet elicere alium actum doloris circa mortalia, aut resumpto universali motivo innovare priorem actum circa omnia. Rectè autem notant omnes post absolutionem bonâ fide acceptam non debere in dubium revocari valorem, dummodo in sequente confessione eliciatur dolor se extendens ad illa priora mortalia, hæc enim confessio erit formaliter integra, & per absolutionem indirectè remittentur etiam priora peccata, si fortè prior confessio fuisset invalida.

§. 3. Quæ dicta sunt circa dolorem de mortalibus & venialibus, valent circa dolorem de multis venialibus ex tali motivo universali, si enim 716.

enim postea committatur aliquod veniale majus vel æquale, revocatur dolor, si autem committatur veniale levius, iidem Authores cum *Arr.* n. 25. & *Dicast.* n. 325. putant non debere censeri revocatum, ob rationem antè datam; Sed in praxi putarem etiam in hoc ultimo casu talem dolorẽ pro securitate esse innovandum.

717. *Q. 99. Ex quibus motivis concipi possit dolor de peccatis.* R. §. 1. Dolor de peccatis concipi potest, 1. ex motivo malo, uti si doleas de ebrietate, quia per hanc impeditus, non potuisti occidere hostem. 2. Ex motivo indifferente, uti si doleas de ebrietate, quia contraxisti morbum. 3. Ex motivo humano, si doleas de furto, quia contraxisti infamiam. 4. Ex motivo honesto sed purè naturali, si doleas de mendacio, quia præcisè dedecet virum honoratum. 5. Ex motivo honesto respiciente Deum, & per fidem supernaturalem proposito, si doleas de peccato, quia fœdat animam Christi Sanguine redemptam.

Primus dolor est peccatum, tres sequentes non sunt de se mali, attamen non sufficiunt ad Sacramentum Pœnitentiæ, quia sunt naturales: Solus 5. potest esse supernaturalis & sufficiens, uti constabit ex dicendis. An autem dolor possit esse honestus & supernaturalis, si quis ex malo fine, v. g. ex vana gloria velit confiteri, dicetur à n. 1168.

718. §. 2. Dolor de peccatis ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitus universim concipi potest ex quatuor motivis, quæ sunt, 1. metus pœnæ. 2. spes præmii. 3. turpitudo peccati. 4. bonitas Dei, uti constabit ex dicendis, præsertim à n. 786.

Q. 100.

Q. 100. *Quid notandum sit circa metum, ex quo concipi potest dolor de peccatis.* R. seqq. §. 1. 719.
Metus ratione peccati alius est divinus sive cœlestis, alius humanus sive mundanus: divinus est, qui provenit ratione alicujus concernentis Deum vel cœlestem gloriam: Humanus est, qui provenit purè ratione creaturæ, utì si horream furtum, quia apud homines causat infamiam; & hic metus communiter est inhonestus, quia non excludit affectum internum peccandi, quem homines non vident, nec punire possunt.

§. 2. Metus divinus, alius dicitur servilis, 720.
alius filialis, alius initialis. Servilis est, quo timeo mihi malum, quod peccatum causat apud Deum. Filialis est, quo timeo Deo malum, quod peccatum causat. Initialis est, quo timeo mihi & Deo malum, quod peccatum causat. Hos metus explicat *S. Tho.* 2.2. q. 19. a. 2. in O. his verbis: *Si aliquis convertatur ad Deum & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis. Si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis, nam filiorum est timere offensam patris. Si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.* Addit ad 3. *Timor filialis & castus ad idem pertinet, quia per charitatis amorem Deus, pater noster efficitur.... Timor autem servilis ad aliud pertinet, quia charitatem in suî ratione non includit.* Addit ad 4. *Timor servilis & initialis respiciunt pœnam.... principaliter timor servilis, timor autem initialis secundariò.*

§. 3. Metus servilis alius est serviliter servilis, 721.
sive cum servilitate, alius est servilis sine servilitate. Servilis cum servilitate est, cum quo conjuncta est talis comparatio animi, ut si pœnam non timeret, adhuc peccatum vellet: & de hoc intel-

intelligitur, quod ex S. *Auguſt.* refert *S. Th.* ſuprà a. in O. 9. *Timor ſervilis poteſt habere annexam voluntatem peccandi.* Servilis ſine ſervilitate eſt, qui non cauſat, nec conjunctus eſt cum tali comparatione animi, ſed propter quem nunc ſimpliciter excluditur voluntas peccandi, uti probabitur à n. 813.

722 *Q. 101. Quæ ſit natura & vis contritionis perfectæ ſufficientis ad juſtificationem ſine Sacramento.* R. §. 1. Hæc contritio debet procedere ex motivo bonitatis Dei, adeoque eſſe odium peccati, quia Deo malum eſt, *S. Th.* p. 3. q. 85. a. 6. & q. 86. a. 3. O. *Arr.* d. 6. ſ. 3. *Dicaſt.* d. 2. nu. 112. aliique communiſſimè contra paucos, qui dixerunt hanc contritionem poſſe procedere ex motivo ſolius Religionis, juſtitiæ vel alterius virtutis reſpicientis Deum, præſcindendo ab omni pœna vel præmio, adeóque ſufficere deteſtari peccatum, v. g. quia eſt contra Dei cultum, contra jus Dei &c. quam ſententiam probabilem dicit *Suar.* d. 4. ſ. 2. n. 13. & ùt probabilem defendunt *Averſa* q. 3. ſ. 6. & *Lugo* d. 5. ſ. 1. è contrà *Arr.* ſ. 2. dicit non eſſe intrinſecè probabilem, *Boſco* ſ. 2. n. 134. vocat vix probabilem, *Vaſq.* q. 85. a. 2. n. 45. vocat erroneam. Ratio noſtra petitur ex *Trid.* ſeſſ. 14. De Pœn. c. 4. nam imprimis dicit per contritionem, ſi ſit charitate perfecta, cauſarì gratiam extra Sacramentum, non autem ſi ſit tantùm attritio. Neque ſenſus eſt, utì volunt aliqui cum *J. Pontio* d. 45. n. 9. contritionem tum eſſe charitate perfectam, ſi propter illam cum gratia infundatur habitus charitatis, nam contrà eſt, quòd ſimili ſenſu attritio cum Sacramento etiam dici poſſet formalis contritio charitate perfecta, quia propter attritio-

tritionem & Sacramentum etiam infunditur gratia & habitus charitatis, hoc autem est contra mentem *Trid.* ibi opponentis contritionem attritioni. Deinde *Trid.* voluit ibi declarare, quid ex parte contritionis requireretur, ut causaret gratiam, & dicit tum causare gratiam, quando est charitate perfecta, ergo loquitur de contritione, quæ sit per charitatem perfecta, antequam causetur gratia, agit enim de dispositione & causa proxima ad gratiam, ad quam gratiam sequitur habitus charitatis, ergo intelligit contritionem charitate actuali perfectam, antequam cum gratia infundatur habitus charitatis, alioquin propositio ejus esset nugatoria, sensus enim esset, si contritio sit charitate perfecta; id est, si causet habitum charitatis, tum causat habitum charitatis, quod est identicum & nugatorium. Præterea *Trid.* ibidem dicit dolorem conceptum ex turpitudine peccati se solo non sufficere ad justificationem, adeoque non esse simpliciter contritionem, sed dolor conceptus ex motivo, v. g. Religionis est conceptus tantùm ex turpitudine peccati, ergo talis dolor non justificat. *Prob.min.* dolorem concipi ex turpitudine peccati, est ideo concipi, quia peccatum turpe est, sed peccatum est turpe, quia opponitur honestati Religionis, ergo. Congruentiæ autem, cur Deus contritionem, quâ sine Sacramento justificamur, voluerit procedere ex motivo bonitatis suæ, sunt hæ, 1. quia cùm homo peccans fecerit se inimicum Deo per hoc, quòd bonitati Dei antepositerit bonitatem creatam, congruum fuit, si vellet per solum actum suum se reddere amicum, ut iterum bonitatem Dei præponeret omni bonitati crea-

creatæ. 2. Quia offensa Dei est actus pessimus hominis erga Deum, æquum fuit, ut homo reponeret actum optimum erga Deum, hic autem est actus charitatis. 3. Cùm præcipua malitia peccati consistat in hoc, quòd nos præferimus Deo secundùm finem, cui, omnes autem aliæ virtutes ament pro fine, cui, ipsum hominem, sola charitas emendabat inordinationem, quæ fuit in peccato, respiciendo Deum tanquam finem, cui. 4. Cùm Deus reconciliatus det gratiam, quâ vult esse amicus homini, æquum fuit, ut homo ad eam se disponeret per actum amoris amicitiæ. 5. Conveniebat Deum ad remissionem peccati plùs requirere extra, quàm intra Sacramentum, quia remissio intra Sacramentum est veluti privilegium & principaliter fit propter voluntatem & meritum Christi instituentis, sed intra Sacramentum exigit actum pœnitentiæ inferiorem charitate, ergo conveniens fuit, ut extra Sacramentum exigeret actum charitatis.

723. *Obji.* 1. Scriptura, SS. Patres & Theologi omnes pro justificatione obtinenda urgent pœnitentiam, & pœnitentiæ appromittunt remissionem peccati, ergo credendum est actum saltem specialis pœnitentiæ, qui propriissimè venit nomine pœnitentiæ, sufficere ad justificationem. R. n. conf. nam per pœnitentiam sine Sacramento justificantem intelligunt pœnitentiam perfectam, sive quæ sit ex motivo bonitatis Dei, uti docemur à *Trid.*, motivum autem specialis pœnitentiæ non est bonitas Dei, nihilominus ad illam urgemur etiam promissione gratiæ, quia per illam cum Sacramento justificamur.

*Obji.*

*Objī.* 2. Ex vi motivi, v.g. Religionis homo ita detestatur peccatum, ut si sua annihilatio esset ad reparandum Dei cultum necessaria, hanc vellet, sed nihil aliud requiritur ad perfectam contritionem, ergo. R. 1. Ex vi metûs gehennæ homo ita detestatur peccatum, ut si sua annihilatio esset ad gehennam evadendam necessaria, hanc vellet, secundùm illud *Matt. 26. v. 24. bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, ergo dolor ex metu gehennæ erit contritio perfecta, quod patet esse falsum. R. 2. datâ maj. n. min. quia hoc non obstante adhuc non attingitur motivum charitatis, vellet enim annihilationem suî, non propter Deum, sed propter honestatem talis cultûs sibi conciliandam, utì supponitur, ergo per hoc non haberetur contritio. *Dixi*, datâ maj., quam *Gorm* n. 267. negat, putat enim universaliter falsum esse, quòd homo possit per virtutem moralem eligere potiùs annihilationem suî, quàm non prosequi honestatem talis virtutis, quia cùm homo per virtutem moralem amet ejusmodi honestatem sibi tanquam accidentaliter bonam, non amat nisi in ordine ad se, ergo vi talis actûs non potest illam plùs amare quàm se, ergo nec potest amare annihilationem suî in ordine ad illam honestatem, alioquin dicere posset, volo annihilationem meî, ut existat honestas cultûs divini à me ponendi, in quo est contradictio. Ex dictis. 724.

*Colliguntur* seqq. 1. Homo, qui invincibiliter ignoraret Deum, justificari non posset per dolorem de peccatis, in quantùm sunt contra rectam rationem, nam talis dolor imprimis est tantùm propter turpitudinem peccati; deinde 725.

est naturalis, cùm sit absque fide in Deum *Suar. Aver.* q.3.s.5. & alii. 2. Contritio non habet pro fine Deum ùt amicum contrito, hic enim esset actus amoris concupiscentiæ, quia vellet Deum ùt bonum sibi contrito, nec vi illius actûs amaret Deum super omnia, quia non amaret suprà se ipsum, neque posset cum illo affectu componi actus, quo contritus optaret potiùs non esse, quàm deficere Deo bonitatem, non enim possum desiderare meam annihilationem, ut habeam divinam bonitatem mihi bonam, utì per se patet.

726. §. 2. Contritio est simul formalis amor Dei, *Vasq. Arr. Lugo, Aversa* d.3. s.7. *Maurus* q.24. *Bosco* s.2.n.117. *Gorm.* n. 263. *Dicast.* d.2.n.121. Contra *Suar. Tann. Amic.* d.4.n.34. Ratio est 1. quia contritio est perfecta per charitatem actualem, utì n. 722. ex *Trid.* dictum est. 2. Quia velle ab aliquo removere malum propter bonitatem ipsius actu moventem ad removendum illud malum, est formaliter illum amare, sed contritio vult à Deo removere malum extrinsecum peccati propter bonitatem Dei actu moventem ad peccatum removendum, ergo. *Prob. maj.* quia talis actus imprimis pro objecto, cui, habet illam personam, à qua vult removere illud malum, deinde habet actu affectum voluntatis, qui in illam personam fertur. Præterea movetur ipsius bonitate ad hunc affectum voluntatis, utì supponitur, neque plus potest exigi ad essentiam formalis amoris, ergo.

*Obji.* Possum amare medicinam propter sanitatem, etiamsi illo actu formaliter non amem sanitatem ùt quod, ergo similiter possum odisse

odisse peccatum ùt malum Deo, etiamsi illo actu formaliter non amem Deum ùt quod. R. Antec. negari à plerisque, hoc tamen dato n. cons. Si amem medicinam propter sanitatem, & per hoc non amem formaliter ipsam sanitatem ùt quod, nihilominus sanitas adhuc habet rationem finis, propter quem amo medicinam, quamvìs non sanitas sed ego sim finis, cui, ergo forsan opus non erit, ut sanitas sit hoc, quod amatur: è contrà quando odi peccatum ùt malum Deo, odi peccatum propter Deum, ità ut Deus sit etiam objectum, cui, & propter quem odi peccatum, ergo odi propter Deum amatum, ergo Deus debet necessariò esse objectum ùt quod amatum.

*Inst.* Possum mihi tanquam objecto, cui, velle aliquod bonum, etiamsi me formaliter non amem, alioquin quandocunque exerceo actum vìrtutis moralis, exercerem formalem actum charitatis erga me, ergo multò magìs possum Deo tanquam objecto, cui, velle carentiam alicujus mali, absque eo quòd Deum formaliter amem. R. n. cons. ut mihi velim bonum, non est opus, ut cognoscatur vel ut me moveat mea bonitas, quia natura omnis entis, quamvìs pessimi de se est determinata, ut licèt nullam in se bonitatem cognoscat, tamen velit se esse, optetque sibi bonum: è contrà ut alteri velim bonum, quia ipsi bonum est, vel nolim malum, quia ipsi malum est, ad hoc non determinor à natura, sed aliunde movere me debet vel ejus bonitas, quam cognoscam & amem vel saltem aliquod motivum alterius virtutis, quæ me ad hoc determinet, hìc autem non movet me motivum alterius virtutis, sed charitatis

tatis in Deum, ergo me movet bonitas Dei cognoti & amati.

727. §. 3. Ad contririonem neceſſe non eſt, ut præſupponatur formalis amor Dei, qui contritionem imperet, ſed ſatis eſt eum indiviſibilem actum eſſe amorem Dei & odium peccati, *Adverſa* ſuprà & alii contra *Can. Sot. & Cón.* d. 2. n. 49. Conſequenter quando contritio dicitur eſſe deteſtatio peccati propter Deum ſummè dilectum, non eſt ſenſus, quòd Deus debeat antecedenter eſſe dilectus, ſed quòd debeat ſaltem per illam ipſam deteſtationem diligi, ita ut Tò dilectum non ſumatur participaliter ſed nominaliter.

728. §. 4. Contritio eſt amor non tantùm benevolentiæ, ſed etiam amicitiæ: per hoc autem differt ſimplex benevolentia ab amicitia, quòd quamvis utraque velit bonum alteri, quia ipſi alteri bonum eſt, tamen amicitia prærequirit complacentiam in aliqua bonitate amici, non item benevolentia: hinc *Ariſtoteles* teſte *Palaz.* n. 92. negat inter ſceleſtos eſſe amicitiam, quia quamvis ſibi mutuò bene velint, tamen hoc non faciunt ex complacentia in aliqua bonitate alterius. Hinc quamvis contritio, quam peccator elicit pro priori ad gratiam, ſit amor amicitiæ erga Deum, tamen amor, quo Deus, antequam intelligatur dare gratiam, amat peccatorem, non eſt amor amicitiæ, ſed tantùm benevolentiæ, cùm enim contritio ſit cauſa gratiæ, pro iſto priori necdum intelligitur gratia in homine, ſola autem gratia eſt fundamentum amicitiæ Dei ad nos.

729. §. 5. Contritio hæc debet eſſe amor appretiativus Dei ſuper omnia, id eſt, debet adjun-

ctam

ctam habere talem æstimationem bonitatis Dei ut hanc præferat omni bonitati creatæ, ideoque homo vi contritionis debet paratus esse potiùs carere omni bono creato, quàm facere aliquid graviter oppositum infinitæ Dei bonitati.

§. 6. Hæc Contritio est odium peccati su- 730.
per omnia appretiativè, id est, contritus vi sui actûs odit peccatum plùs quàm ullum aliud malum, *Averſ.* q.2.ſ.10.*Dicaſt.*d.2.dub.7.dicens esse Catholicorum omnium, *Côn.* d.2.n.68.dicens esse certum. Ratio est 1. quia contritio est amor appretians Deum super omnia alia bona, & ideo detestans peccatum, quia est summum malum Deo summè dilecto, ergo hæc detestatio proportionata amori erit super omnia, ergo odit peccatum plùs quàm ullum aliud malum. 2. Hæc contritio est actus charitatis Theologicæ, utì constat ex dictis n. 722.; sed omnis actus virtutis Theologicæ appretiat suum objectum super omnia, cùm enim pro motivo habeat aliquam perfectionem infinitam Dei, inconveniens est & suo modo indecens, ut principium supernaturale influat in hujusmodi actum, nisi adsit debita æstimatio talis perfectionis infinitæ, adeoque comparatio animi ad adhærendum huic potiùs motivo, quàm ulli alteri opposito.

§. 7. Homo vi contritionis debet esse sal- 731.
tem virtualiter & implicitè ita comparatus, ut potiùs vellet bona omnia, famam, vitam amittere; item infamiam, tormenta ac mortem quamcunque subire, quàm contra Deum peccare mortaliter: alioquin nec Deum appretiaret super omnia, nec odisset peccatum appre-

tiativè ſuper omnia. *Dixi*, ſaltem virtualiter & implicitè, nam notant omnes non eſſe opus, imò multis, præſertim fragilioribus, non expedire facere comparationem formalem & explicitam inter peccatum & alia mala, volendo ſe determinare ad hæc potiùs eligenda, quàm peccatum, hoc enim ſæpè eſſet ſe tentare, aut ſibi ipſi ponere ſcandalum vel ſaltem impedimentum, hinc *S. Bonav.* in 4. diſt. 16. a. 2. q. 1. loquens de hac materia, ſic ſcribit: *Periculum eſt & ſtultitia quærere hoc ab aliquo infirmo vel etiam à ſe ipſo, quia hoc eſt ponere hominem in tentationem: unde nullus Confeſſor debet hoc ab aliquo, qui ſibi confitetur, quærere, ſed ſi pœnitens ſe offerat & dicat ſe malle mortuum eſſe quàm peccáſſe, vel ſimile aliquid, gaudendum eſt, quia ſignum bonæ voluntatis eſt.* Cur autem non expediat deſcendere ad ejuſmodi comparationes, ratio eſt, quia cùm iſta alia mala plerumque à nobis magis ſenſibiliter cognoſcantur & vivaciùs terreant, fieri poſſet, ut eorum expreſſa conſideratio impediret efficacem deteſtationem peccati: Hinc *S. Th.* in Supplem. q. 2. a. 1. ad 4. ait, *Quamvis talis debeat eſſe contriti diſpoſitio, non tamen de eis tentandus eſt, quia affectus ſuos homo non de facili menſurare poteſt, & quandoque illud, quòd minùs diſplicet, videtur magis diſplicere, quia eſt propinquius nocumento ſenſibili, quod magis eſt nobis notum.* Eſtitaque ſatis, virtualiter & implicitè hoc facere, quod fit, ſi voluntas ex vi contritionis ita ſit diſpoſita, ut quamdiu perſeverabit contritio, averteatur à peccato & conjungatur Deo: hinc enim ſequitur, quòd non eſſet deſertura Deũ pro quovis alio bono, ſed electura potiùs ſubire quodvis malũ, ſi neceſſarium foret ad evitandũ peccatum.

§. 8.

§. 8. Si contritus per errorem invincibilem constitueretur in eo casu, ut judicaret se hìc & nunc debere eligere, vel peccatum vel infernum, potiùs eligeret infernum prout contradistinctum & intentionaliter saltem separatum à peccato. Ita Lugo, *Arr. Aversa* suprà *Bosco* s. 2. concl. 7. *Haun.* l. 4. à n. 907. aliique communiùs: Et suadetur ex S. *Anselmo* De similitudinibus c. 190. his verbis: *Si hìc peccati pudorem & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò haberem uni illorum immergi, priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem, mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere.* Ratio est, quia malum culpæ est simpliciter majus quàm malum pœnæ etiam æternæ. Deinde si non præeligeret pœnas æternas, magìs amaret se quàm Deum, quia potiùs vellet cavere malum suum quàm Dei, ergo non esset contritus. *Dixi*, per errorem, nam ad contritionem non requiritur, ut quis, etiam virtualiter tantùm aut implicitè, dicat, mallem infernum, quàm offendere Deum, quia, quamvìs contritio faciat peccatum practicè ineligibile pro quocunque casu possibili, tamen non est possibilis iste casus, quo aliquis ad vitandas pœnas inferni indigeat peccato, aut ut pro moderna saltem providentia ad vitandum peccatum indigeat pœnis inferni, quia nec peccatum est medium ad vitandas pœnas inferni, nec pœnæ inferni de facto ordinatæ sunt à Deo tanquam medium ad vitandum peccatum, hinc foret inutile per contritionem vexare se in ejusmodi comparationibus, cùm prudentis non sit conditionatè deliberare de quibusvis eventibus 732.

planè per accidens & præter intentionem o-mnis virtutis occurrentibus: hinc cogitationes ejusmodi, si incidant, excludendæ sunt, saltem velut otiosæ, quod etiam notavit *Gerson* n. 1909. referendus. Similiter quamvis contritio posset esse ita perfecta, ut aliquis optaret infernum, si facere posset peccatum suum nunquam fuisse, tamen *Lugo*, *Rhod.* *Gormaz* à n. 310. rectè notant non obligari nos ad talem actum, sed satis esse nunc detestari peccatum, & negativè se habere circa physicam illius præteritionem. Denique licèt eadem contritio etiam posset esse in perfecta in aliquo, ut optaret tolerare quævis tormenta ad impediendum peccatum alienum, tamen rectè notat *Arr.* d. 9. n. 48. etiam ad hoc non obligare charitatem, quia aliàs daretur impiis occasio vexandi homines probos, possent enim velle peccare, nisi hi se miserè affligerent, ergo credibile non est charitatem ad talia obligare. Contra hactenus dicta,

733. *Obji.* 1. Affectus perfectæ amicitiæ in Petrum non exigit, ut ejus bona pluris faciam, aut ut ejus mala magis caveam quàm mea, ergo nec affectus contritionis, quamvis sit actus perfectæ amicitiæ in Deum. R. n. conf. vera amicitia est juxta regulas rectæ rationis, recta autem ratio dictat quemvis appretiandum esse juxta suam bonitatem, & secundùm hanc illi præponenda aut postponenda alia bona, ergo cùm Petrus sit finitæ bonitatis, nec tenear eum plùs amare quàm me, vera amicitia erga Petrum non exigit, ut Petrus appretietur super omnia bona mea, aut ut ejus bonum præponatur omni bono meo. Deinde certus sum Petrum posse sub interminatione inimicitiæ imprudent-

prudenter petere à me aliqua sibi non debita, ergo vera amicitia erga Petrum non potest me movere, ut velim Petro, quidquid ipsi bonum est & mihi malum. Omnia opposita sunt in Deo, qui habet absolutè infinitam bonitatem, propter quam debet amari super omnia & super nos ipsos. Deinde Deus pro conservatione amicitiæ nihil potest petere, quod non infinitis titulis teneamur præstare.

*Obji.* 2. Peccatum tollit tantùm bona extrinseca Dei, quæ non sunt digna appretiatione super omnia, cùm sint tantùm finita, ergo nec peccatum erit detestandum super omnia. R. n. cons. quia quamvis peccatum non tollat bona Deo intrinseca, tamen opponitur bonitati Deo intrinsecæ, hinc contritus adhærens Deo propter intrinsecam Deo bonitatem sic detestatur peccatum, sicuti adhæret Deo, ergo cùm Deo adhæreat, prout meretur bonitas, videlicet super omnia, etiam detestatur peccatum super omnia. 734.

*Inst.* Malum Deo intrinsecum, v. g. carentia omnipotentiæ esset majus malum Deo, quàm peccatum, ergo peccatum non est summum malum Dei, ergo nec super omnia detestandum. R. Peccatum est detestandum, imprimis plùsquàm omnia, quæ non sunt mala Deo, & hoc sensu detestamur peccatum super omnia. Deinde peccatum est summum malum Deo possibile, hinc contritio detestatur peccatum super omnia, quia detestatur super omnia mala possibilia, malum autem intrinsecum Deo non est possibile, ergo non est opus, ut contritio se ad illud extendat. Quòd si contritus per errorem judicaret vel peccatum sibi esse 735.

eligendum, vel sine peccato permittendum, ut bonum Deo intrinsecum destrueretur, *Alensis* & *Suar.* d. 3. s. 10 nu. 9. dicunt potiùs electurum peccatum, quia malum ipsi Deo intrinsecum est detestabilius quàm malum in homine extrinsecum Deo: E contrà *Arr. Lugo* d. 5. n. 28. *Bosco* suprà probabiliùs dicunt, potiùs permissurum illam omnipotentiæ divinæ destructionem, quia recta ratio, cui charitas maximè conformis est, dictat, non esse faciendum à me malum morale, ut inde eveniat bonum physicum, ergo licèt peccando salvarem Dei omnipotentiam, tamen contravenirem sapientiæ & rectæ rationi æternæ; E contrà habendo me permissivè circa illam destructionem physicam divinæ omnipotentiæ nulli perfectioni divinæ me difformo, ergo quamvis hæc destructio divinæ omnipotentiæ foret detestabilior in ratione entis physici, tamen peccatum foret detestabilius in ratione entis moralis, ergo cùm contritio, prout est detestatio, respiciat malum morale, peccatum respectu contriti foret minùs eligibile.

736. *Obji.* 3. Si velim Deo bona intrinseca, amo Deum amore amicitiæ, & non ideo volo Deo omne bonum extrinsecum, ergo cum actu amoris amicitiæ erga Deum stat actus, quo nolim Deo ullum bonum extrinsecum, ergo cum actu amoris amicitiæ stat peccatum. R. Si velim Deo bona intrinseca, & nolim extrinseca hìc & nunc illi debita, amo Deum amore amicitiæ, n. Si velim intrinseca & simul extrinseca, quæ illi velle debeo, c. ant. & n. utramque seq. ut enim exerceam actum veræ amicitiæ erga Deum, debeo velle implere omnes leges veræ amici-

amicitiæ, inter quas est cavere mala extrinseca Dei, quæ ipse hìc & nunc vult à me caveri, aut procurari bona extrinseca, quæ vult procurari.

§. 10. Hæc contritio debet se extendere ad omnia mortalia, quia unum mortale non remittitur sine altero, & nullum remittìtur, nisi antecedat illius detestatio. Putârunt autem *Silv.* & alii apud *Vasq.* q.86. a.2. dub.7. & *Dianam* p. 3.t.4.R. 118. debere se extendere ad omnia, non in confuso tantùm & virtualiter, sed ad omnia formaliter, ita ut contritus teneatur singula detestari per singulos actus, aut saltem uno actu omnia distinctè cognita, sicuti voluerunt *Sot. Can. Med.* apud eundem *Vasq.*, sed oppositum tenendum est cum *S. Tho.* De veritate q.28. a.5. ad 4. his verbis: *Omnia peccata conveniunt in aversione à Deo, ratione cujus gratiam impediunt, unde ad justificationem non requiritur, quòd in ipso justificationis momento aliquis de peccatis singulis cogitet, sed sufficit, quòd cogitet de hoc, quòd per culpam suam est aversus à Deo: recogitatio autem singulorum peccatorum debet vel præcedere vel saltem sequi justificationem*: intelligè, in ordine ad confessionẽ sacramentalẽ. Ratio est, quia imprimis moraliter impossibile est peccatori innumeris peccatis onusto tot contritiones elicere, quot peccata, sed per unicam sufficienter corrigìt omnes aversiones à Deo, sicuti si millenos actus amoris erga Deum elicuisset, omnes revocat per unicũ actum odii Dei. Deinde nec opus est antecedenter omnia recogitare, nam legimus *Lucæ* 18.19.23. Publicanum, Zachæum & latronem in cruce; item legimus in historiis plurimos peccatores subitò motos à Deo prorupisse in detestationem peccatorũ & justificatos esse: quamvis 737.

vìs enim peccata confusè tantùm cognoscantur, satìs apprehenditur malitia oppositа infinitæ bonitati Dei, utì probat experientia, sæpè enim elicimus contritionem, priusquam peccata distinctè recogitaverimus: unde nec ad contritionem requiritur, ut quasi dicam, detestor omnia peccata, vel doleo de omnibus meis peccatis, sed satìs est, si v. g. de solo furto distinctè cognito doleam ex motivo bonitatis Dei, quamvìs meus actus expressè non tendat in alia quorum etiam reus sum, nam si alia propter oblivionem non occurrant, res est per se manifesta, inquit *Suar.* d. 3. s. 6. n. 15., eadem autem est ratio, quamvìs non occurrant propter omissam recogitationem, ad quam non teneor nisi volens confiteri, cùm enim contritio illa sit actus charitatis & amicitiæ & ratione motivi universalis pugnet cum omni mortali, hoc ipso virtualiter se extendit ad omnia & singula mortalia, causatque gratiam remissivam omnium.

*Obji. Catechismus Roman.* De Pœn. c. 6 ait: *maximè hortandi & monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant, ita enim Ezechias contritionem describit, recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* R. Non dicit hoc esse præcepti aut necessitatis ad justificationem, sed tantùm consilii & dispositionis pro Sacramento, de quo ibi agit. Patetque hunc esse sensum, nam subdit, Deũ, quamprimum quis conteritur, remittere universa, *quæ*, inquit, *deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere ac detestari in animo habeat*: quando nempe confitendum erit.

738. §. 11. Non est opus, ut hæc contritio se extendat ad venialia, quia per hoc habetur contritio,

tritio, quòd ex motivo bonitatis Dei offensi concipiatur detestatio & dolor de illis peccatis, quæ cum Dei amicitia pugnant, sed cum Dei amicitia pugnant sola mortalia non autem venialia, ergo.

*Obji.* Summa Dei bonitas est motivum uni- 739.
versale, ergo debet se semper extendere ad omnia etiam venialia. *R.* Est motivum universale, semper universaliter movens, n, quandoque magis quandoque minùs universaliter movens, c. ant. & n. cons. Quòd autem non semper æquè universaliter moveat, oritur a voluntate, quæ ex modo & efficacia detestandi vel restringit vel extendit suum actum; sicuti enim intellectus potest eidem objecto ex eodem motivo diversimodè adhærere, nempe firmiter, firmiùs, firmissimè propter diversam suî applicationem aut inclinationem voluntatis eum simul extrinsecè determinantis, ita multò magis voluntas libera poterit per contritionem diversimodè detestari hoc, quod displicet Deo ob eandem bonitatem Dei. 1. detestando, quidquid solvit amicitiam cum Deo, & hæc contritio est infima, seque extendit ad sola mortalia. 2. Detestando, quidquid magis deliberatè fit contra Deum, & hæc contritio est perfectior, seque extendit ad omnia mortalia & venialia deliberata. 3. Detestando, quidquid ullo modo displicet Deo, & hæc contritio est perfectissima, seque extendit ad omne peccatum etiam ad veniale minùs deliberatum, in praxi autem qui ad tertium gradum non contendit, vix attingit secundum, & qui non quærit secundum, vix perveniet ad primum.

*Inst.* 1. Bonitas Dei est dignissima & meretur 740.
talem

talem appretiationem, vi cujus excludatur affectus etiam ad quævis venialia, ergo illam dignè non appretiat, utì meretur, qui contritionem non extendit etiam ad venialia. *R.* n. cons. nam quamvis non appretiet, quantùm meretur, tamen simpliciter dignè appretiat, utì meretur, qui potiùs vult amittere omnia bona & subire omnia mala, quàm illam simpliciter deserere, sive, quàm solvere amicitiam cum Deo: digniùs appretiat, qui ista vult, ne deliberatè etiam leviter offendat: digniſſimè appretiat, qui ista vult, ne ullo modo displiceat. Absolutè digniſſimè appretiaret, qui ista vellet, ut fiat, quidquid Deo maximè placet.

741. *Inst.* 2. Si non excludatur affectus ad venialia, ergo bonitas Dei non appretiatur summè & super omnia, ergo contritio talis non erit actus virtutis Theologicæ, secundùm dicta n. 730. *R.* n. seq. tum enim bonitas Dei appretiatur summè & super omnia, prout hìc intelligimus, quando præfertur omni motivo simpliciter opposito bonitati Dei, & exclusivo ejus amicitiæ: similiter contritio tum est appretians bonitatem Dei summè super omnia, quando cum contritione ex motivo bonitatis Dei concepta non potest stare actus, quo simpliciter deseratur Deus vel Dei amicitia, quod semper est, quando voluntas bonitate Dei mota est parata potiùs perdere omnia bona alia & subire omnia mala, quàm peccare mortaliter.

742. §. 12. Contritio est odium aliquo modo inæquale respectu diversorum peccatorum, nam est odium peccati, quia hoc malũ est Deo summè bono, ergo sic fertur in peccata, ut sit virtualiter & interpretativè majus odium illius pecca-

peccati, quòd magis pugnat cum Dei bonitate, ergo contritus vi sui actûs est ita dispositus, ut si eligendum esset majus vel minus peccatum, potius eligeret minus, & hoc est contritionem esse inæquale odium respectu diversorum peccatorum: Hinc.

1. Vi contritionis magis detestor actuale mortale proprium quàm veniale proprium, item mortale alienum quàm veniale alienum, item mortale gravius quàm minùs grave, item cæteris paribus magis detestor plura peccata, quàm pauciora. 743.

2. His non obstantibus vi contritionis practicè magis detestor veniale proprium quàm mortale alienum, ita ut non debeam velle committere aut commisisse peccatum levissimum, ut vitetur vel ut vitatum fuerit gravissimum alienum, *Dicast.* d. 2. n. 201. & ex *S. August. Bosco.* t. 2. concl. 13. quia cùm vi contritionis movear beneplacito Dei, hoc vi contritionis practicè magis detestor, quod respectu meî est magis dissonum à recta ratione & à voluntate Dei, sed me peccare venialiter est respectu meî magis dissonum à recta ratione & à voluntate Dei, quàm alterum peccare mortaliter, quia recta ratio dictat non esse à me faciendum malum, ut eveniat bonum, alioqui malum fieret bonum, & difforme rectæ rationi fieret illi conforme; similiter voluntas Dei est, ut nunquam peccem nequidem venialiter, alioquin meum veniale fieret conforme voluntati Dei, quæ ex terminis implicant, ergo me peccare venialiter est respectu meî magis dissonum à recta ratione & à voluntate Dei, quàm alterum peccare mortaliter, ergo cùm mea contritio sit maximè secun- 744.

dùm

dùm rationem & voluntatem Dei, vi illius detestor meum veniale plùs quàm alienũ mortale. *Conf.* nam omne peccatum dat Deo rationabilem causam displicentiæ, ergo ex charitate erga Deum eligere non possum peccatum meum tanquam medium ad cavendum peccatum alterius, quamvis enim hic finis cavendi peccati alterius sit bonus, tamen Deus non vult eum quæri, nisi per medium licitum, sicuti quamvis laus Dei placeat Deo, non tamen placet quæri per medium illicitum, alioquin possem occidere omnes pueros baptizatos, ut statim in cœlo laudarent Deum. *Nec obstat*, quòd alienum mortale sit in se majus malum Deo, contritio autem sit detestatio peccati, quia Deo malum est, & non quia malum est peccanti, *nam* ex hoc tantùm sequitur, quòd spectando præcisè motivum, & præscindendo à quo peccatum fiat, debeam odio quodam speculativo magis odisse peccatum mortale alienum quàm veniale proprium; de cætero in ordine ad electionem vel detestationem practicam, quâ volo peccatum non eligi vel excludi, contritio mea magis opponitur meo veniali quàm alieno mortali, quia charitas erga Deum, à qua elicitur illa mea contritio, est maximè conformis rectæ rationi & charitati erga seipsum, ergo cùm recta ratio & charitas erga me dictet, quòd in spiritualibus tenear me plùs diligere quàm proximum, charitas erga Deum postulat, ut potiùs caveam meum quàm proximi peccatum. *Conf.* iterum, nam me peccare venialiter, est à me leve malum Deo, è contrà alterum peccare mortaliter non est à me malum Deo, quia permissio mea non est mala, cùm Deus ipse etiam permittat, ergo.

3. Vi

3. Vi contritionis magìs detestor meum ve- 745.
niale actuale quàm originale, quod in Adamo contraxi: item efficaciter & practicè magìs detestor meum veniale actuale, quàm meum mortale habituale: hinc rectè inferunt *Lugo* d. 5. n. 60. & *Bosco* n. 419. contra *Arr.* d. 9. n. 36. si putarem, vel me moriturum esse in mortali habituali, vel per actuale mendacium accersiri debere Confessarium, à quo absolverer, me potiùs debere permittere, ut morerer in mortali habituali quàm mentiri, quia meum mendacium esset actualis deordinatio Deo displicens & maneret de se medium illicitum pro obtinenda justificatione, illudque mendacium esset magìs propriè meum mihique magìs nunc voluntarium, quàm habituale ùt tale, ista enim permanentia non esset mihi ad novum peccatum imputabilis.

*Obji.* Hoc à me est magìs detestandum, quod 746.
in me est Deo odibilius, sed originale & mortale habituale in me est Deo odibilius quàm actuale veniale, quia propter illa Deus me odit odio inimicitiæ, veniale autem non tollit Dei amicitiam, ergo. R. Hoc à me est magìs detestandum, quod in me est Deo odibilius, si hoc propriè à me fiat, c. si à me propriè non fiat, sed potiùs tantùm permittatur, n. originale autem & habituale mortale, quamvis in me existens sit Deo odibilius quàm veniale actuale, tamen nunc propriè non fit à me, sed potiùs permittitur; major autem detestatio debet hoc respicere, quod nunc magìs à me fit malum, mihique est magìs voluntarium.

§. 13. Contritio si sit charitate perfecta, ju- 747.
stificat, quamprimum existit, utì habent S. *Tho.*

p.3. q.89. a.2. O. & Catech.Rom. De pœn.c.6.n. 3., nam omnis actus charitatis causat justificationem, utì probabitur à n. 774. & videtur absolutè declarari à Trid. sess. 14. De pœn.c.4. ideoque etiam damnatæ sunt sequentes prop. Bajanæ: 31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientiâ bonâ & fide non fictâ, tam in catechumenis quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* 33. *Catechumenus justè, piè & sanctè vivit & mandata Dei observat ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.* 71. *Per contritionem etiam cum charitate perfectâ & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.* Dixerunt quidem aliqui propositiones illas damnari, quia videntur loqui de charitate habituali, sed contra est, nam *Bajum* intellexisse charitatem actualem, rectè ostendit *Arr.* d. 12. à n. 13. & manifestè colligitur ex his vocibus, *charitas sincera, quæ est ex corde puro, fide non fictâ: charitas quæ est plenitudo seu adimpletio legis, mandata observat, ac legem implet per charitatem &c.*, quæ non conveniunt charitati habituali, sed soli actuali, cui soli etiam conveniunt verba Apostoli ad *Rom.* 13. ℣. 10. *Plenitudo legis est dilectio*, quæ verba inde sumpsit *Bajus*.

748. *Obji.* 1. Si contritio, quamprimum existit, justificat, ergo frustra sunt Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ. ℟. n. seq. nam talis contritio includit votum Baptismi vel Pœnitentiæ, ergo votum hoc debet impleri. Deinde dantur

specialia præcepta de illis Sacramentis, saltem in ordine ad augendam gratiam, hinc si quis per Sacramentum Pœnitentiæ justificatus, sit oblitus aliquod mortale, tenetur adhuc postea confiteri; Præterea Sacramenta sunt saltem pro illis, qui hic & nunc conteri non possunt. Denique Sacramenta cum attritione sunt medium justificationis facilius quàm contritio, ergo Sacramenta non sunt frustra.

*Inst.* Saltem non erit verum, quòd Sacerdotes habeant potestatem retinendi peccata, quod tamen Christus dicit *Joan.* 20. ℣. 23. ℟. n. ass. quia possunt retinere ea, quæ ad Sacramentum afferuntur cum sola attritione. Deinde possunt retinere, quia possunt negare absolutionem, per quam conferretur gratia remissiva, & remitteretur pars pœnæ.

*Obj.* 2. Magdalena *Lucæ* 7. fuerat contrita, priusquam Christus illi remitteret peccata his verbis: *remittuntur ei peccata multa.* ℟. Quamvis peccata iterum fuerint dimissa per illa verba, uti docet S. *Th.* p. 3. q. 64. a. 3., tamen etiam antè erant dimissa, uti & ante ista verba, quæ postea Christus ad illam conversus dixit, *remittuntur tibi peccata.* Sensus itaque utrorumque est, quòd non eo præcisè physico instanti primò remitterentur, sed eo moraliter tempore remissionem haberet, quia dilexisset, sic Christus *Marci* 5. ℣. 29. antea sanaverat mulierem à fluxu sanguinis, & postea conversus ad eam dixit, *esto sana à plaga tua*, id est, es & manes sana, quia ita credidisti. 749.

*Inst.* 1. Paulus antè fuerat contritus, & tamen Ananias *Act.* 22. ℣. 16. ait: *Exurge, baptizare, & ablue peccata tua.* Deinde Centurio *Act.* 3. *vir religiosus ac timens Deum, faciens eleemosynas* 750.

*multas plebi & deprecans Deum semper*, utique habuerat contritionem, neque tamen erat justificatus, nam Petrus ad eum vocatus est, ut doceret *remissionem peccatorum accipere*. R. ad 1. Annniæ non constabat de contritione Pauli, & quamvis constitisset, tamen manebat præceptum Baptismi, quo conferretur nova gratia ablutiva peccatorum, & remitterentur eius quoad pœnam. *Ad* 2. Si Centurio habuerat contritionem erat justificatus, attamen edoceri debebat de præcepto Baptismi, quo iterum & certiùs acceperus erat gratiam remissivam peccatorum etiam quoad pœnam. Et eodem modo intelligi debet S. *August.* 8. confess. c. 4. dicens: *Ea fides, licèt per talem tantamque dilectionem operans, me securum non faciebat de præteritis peccatis, quæ mihi per Baptismum tuum nondum remissa erant.* Plura loca scripturæ videri possunt explicata apud *Bellarm.* De pœn. l. 2. c. 14.

*Inst.* 2. Si contritio statim justificaret, contritus posset sine confessione accedere ad Eu-
751. charistiam. R. n. ass. quia licèt quis certò sciret se esse in gratia, tamen in *Trid.* sess. 13. c. 7. & can. 11. est speciale præceptum præmittendi confessionem mortalium nunquam in confessione expositorum: quia tamen *Trid.* dicit Sacerdotem non habentem copiam Confessarii posse celebrare sine confessione, & *Clemens VIII.* in Pontificali Romano dicit ante reliqua Sacramenta sufficere contritionem, ex his certum est per contritionem causari gratiam.

752. §. 14. Hæc Contritio delet omne mortale quoad culpam, quia unum non potest remitti sine altero, cùm de facto remissio fiat per gratiam, quæ pugnat cum singulis mortalibus, ut jam dicetur.

§. 15

§. 15. Remissâ per contritionem culpâ mor- 753.
tali de facto semper remittitur pœna æterna, S. Th. p. 3. q. 86. a. 4. *Suar.* d. 10. s. 3. aliique communissimè, partim contra antiquos apud *Aversam* q. 3. s. 10. partim contra *Estium*, *Castorienses* & quosdam Lovanienses apud *Gorm.* n. 354. qui fatentur aversionem à Deo statim remitti, dicunt autem reatum pœnæ æternæ tum priùs remitti, quando per aliquod Sacramentum nobis applicantur satisfactiones Christi; sed oppositum docet *Trid.* sess. 6. c. 14. declarans pœnam æternam unà cum culpa remitti, hinc damnata est hæc 70. prop. Bajana: *Homo existens in peccato mortali sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Ratio est, quia culpa non remittitur nisi per gratiam, ubi autem est gratia, est adoptio in filium Dei, ergo jus ad hæreditatem, secundùm illud ad Rom. 8. ℣. 17. *Si autem filii & hæredes*: Idemque habet *Trid.* sess. 6. c. 7. hæreditas autem est æterna beatitudo excludens pœnam æternam. Nec opus est Sacramento, ut nobis applicentur satisfactiones Christi, sed sufficit actus supernaturalis elicitus per auxilium supernaturale datum ex meritis Christi, cui Deus appromisit, & Christus applicavit satisfactiones suas tanquam merito saltem congruo.

§. 16. Per contritionem non semper remit- 754.
titur tota pœna temporalis, uti fides docet ex *Trid.* sess. 6. c. 14. & can. 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis &c., anathema sit.* Idē repetit sess. 14. De pœn. c. 8.

& can. 12. Hanc veritatem docet etiam Scriptura, nam *Num.* 20. & *Deuter.* 34. Moyses & Aaron post remissum peccatum incredulitatis mortui sunt in pœnam. *Num.* 14. remissum est populo peccatum murmurationis, attamen mansit pœna mortis. 2. *Reg.* 12. remissum est Davidi adulterium & homicidium, sed in pœnam mortuus est infans ex adulterio natus. Putat tamen *Suar.* d. 10. s. 3. n. 18. & *Lugo* d. 8. n. 64. cum culpa semper remitti aliquid pœnæ etiam temporalis: sed manet incertum, quàm diuturna pœna temporalis, per se loquendo, maneat solvenda post remissum quodvis mortale, putatque *Hautinus* in Patroc. Defunct. à n. 370. Deum esse benignum, si cuilibet mortali remisso non relinquat plùs quàm sexcenta millia annorum in pœnam, quia major pœna debetur unico mortali quàm omnibus venialibus simul sumptis: creditur tamen per infinitam Dei benignitatem nunc breve tempus assignari, v. g. 7. annos.

755. *Obji.* 1. Per Baptismum remittitur omnis pœna, ergo etiam per pœnitentiam. R. n. confirmationem dat *Trid.* suprà, quia ante Baptismum potiùs per ignorantiam peccavimus, & tanquam debiles, nec adjuti tantis donis Dei: post Baptismum autem violavimus templum jam consecratum Spiritui S., fuimusque insigniter ingrati. Deinde oportuit pœnam relinqui, ut à relapsu deterreremur, ut ponendo satisfactiones recuperatemus etiam bonos habitus naturales operandi, ut sic bene operantes compateremur Christo, & quod deest ejus passionibus adimpleremus in nobis.

756. *Inst.* Per hoc fit injuria satisfactionibus & meri-

meritis Christi, est enim, atque si non fuerint sufficientes ad delendam omnem pœnam. R. Hoc dicere est hæreticum, uti definit *Trid.* sess. 6. can. 33. Ratio est, quia hoc non refunditur in defectum meritorum vel satisfactionum Christi, sed in liberam Dei ac Christi voluntatem, qui noluit aliter applicari nobis; unde sicuti gratiæ Christi non derogat, quòd non salventur omnes homines, ita nec quòd per eam non semper remittatur omnis pœna.

*Obji.* 2. Sublatâ causâ tollitur effectus, sed culpa est causa omnis pœnæ, ergo sublatâ culpâ tollitur omnis pœna. R. Sed culpa ùt physicè suo tempore existens, est causa pœnæ, c, culpa ùt moraliter perseverans in ratione culpæ,n, sic Pater ùt physicè existens erat causa filii, manet tamen filius patre desinente.

*Obji.* 3. Culpa mortalis non potest à Deo 757.
mutari in venialem, ergo nec pœna æterna in temporalem. R. 1. *S. Th. Caj. Sot. Maurus* l. 5. q. 39. n. 24. aliique apud *Suar.* d. 10. s. 3. n. 10. dicunt pœnam æternam non mutari in temporalem, sed totam pœnam æternam, quam meretur aversio à Deo, remitti; temporalem autem, quam meretur conversio ad creaturam, non remitti. R. 2. n. conseq., quia omnis culpa est moraliter mala, ergo Deus non potest etiam ex majori facere minorem: Deinde omnis culpa est actus peccantis, ergo nulla culpa potest à Deo causari, quod pluribus demonstrat *Lugo* d. 8. à n. 72. E contrà pœna non est moraliter mala, sed Deus & quivis Judex est causa illius, unde non est ratio, cur majorem non possit mutare in minorem. Vide *Suar.* suprà à nu. 14.

758. Q. 102. *An dari possit aliqua contritio, quæ non justificet.* Ratio dubitandi est, quia *Aversa* q.3 s.8. *Con.* d.4.n.37. *Lugo* d.5.n.79.&82. *Arr.* d.8.n.5. *Palav.* n.148. *Maurus* q.243.n.11. *Bosco* s.2.n.180. *Le Dent* De attritione n.290. *Germa.* n.278. probabiliter dicunt posse dari amorem Dei, ex motivo absolutæ bonitatis Dei, qui non excludat omnem voluntatem mortaliter peccandi, nec appretiet bonitatem Dei super omnia, ideoque non sit actus charitatis Theologicæ, sicuti enim possum ex motivo bonitatis Dei velle dare eleëmosynam, non tamen velle fieri Religiosus; item velle vitare omnia mortalia, non tamen omnia venialia, ita possum velle vitare graviſſima mortalia, non tamen minùs gravia: ad eum planè modum, quo possem ex amore hominis velle illi dare unum ducatum, non tamen mille; item velle non occidere eum, attamen velle ei inferre grave damnum. Et similiter possum gaudere de bono Dei, in se, desiderare ut ab omnibus honoretur, quia dignus est; orare, quia hoc ipsi placet, neque tamen ideo hi actus excludunt voluntatem peccandi, v.g. per luxuriam. Addit rectè *Aversa* dari posse amorem in futurum placendi Deo super omnia, qui tamen non justificet, eò quòd nequidem virtualiter retractet peccata præterita, nec absolutè appretiet Deum super omnia, sicuti potest aliquis alteri homini pro futuro optimè velle in omnibus, & tamen gaudere quoad præterita, quòd vindictam sumpserit de illo. Unde ratio horum à priori est, quia quamvis bonitas Dei sit motivum de se universale & etiam digniſſimum, ut universaliter moveat, tamen secundùm dicta n. 739. potest voluntas nostra

nostra moveri nolle universaliter, sed restrictè, & pro libertate sua adhærere uni objecto malo, quamvis ex motivo talis bonitatis Dei recedat ab alio objecto malo. Hinc ℟. 1. Si quis ex motivo bonitatis Dei detestaretur gravissima tantùm mortalia, non autem minùs gravia, talis actus non justificaret, utì per se patet. An autem simpliciter dici deberet contritio, non potest esse quæstio nisi de nomine, & saltem in talem actum non influeret habitus charitatis, cùm non appretiet Deum super omnia. ℟. 2. Si quis doleret de perjurio, in quantùm est Deo ùt summè veraci malum, aut de alio peccato, in quantùm Deo malum est secundùm specialem perfectionem, cui directè opponitur, videtur probabilius, quòd etiam talis actus non justificaret, quamvis supponeremus, quòd sic dolens non haberet nisi illud peccatum, quia talis actus non est aversio ab omni peccato tanquam malo Deo, nec est conversio ad Deum ùt summè bonum, ideoque omnes communiter cum *Amico* d. 3. n. 63. nolunt talem actum vocari absolutè contritionem sed attritionem, eò quòd attingat specialem turpitudinem hujus tantùm peccati ùt oppositi huic divinæ perfectioni, & consequenter secundùm dicta n. 730. in talem actum non influet habitus charitatis, quia non appretiat absolutam Dei bonitatem super omnia. Unde quando dixi vel dicam per contritionem aut per amorem Dei super omnia causari justificationem, intelligitur contritio & amor absolutè efficax, qui sint saltem virtualis detestatio omnis peccati mortalis tanquam mali Deo ex motivo absolutæ bonitatis Dei. 759. 760.

Q. 103. *An ad contritionem, quæ justificet sine* 761.

*Sacramento, requiratur aliqua certa intensio vel in-tensio seu duratio quoad tempus.* n. 4. §. 1. *Adrianus* ad perfectam contritionem requisivit intensionem summam; sed *Suar.* d. 4. s. 4. *Con.* d. 6. n. 61. *Amic.* d. 4. n. 164. rectè dicunt sententiam illam non esse probabilem; nam non debet esse summa absolutè, quia hæc implicat, & sæpe dantur contritiones sufficientes, quibus dari posset alia intensior. Nec debet esse summa respectivè ad præsens Dei auxilium, alioquin qui hodie cum auxilio ùt tria elicit contritionem ùt tria & justificatur, si cras cum auxilio ùt sex eliceret contritionem ùt quinque, non justificaretur, quod est absurdum, neque enim tenemur semper respondere toti intensioni gratiæ.

762. §. 6. *Durand. Rich. Palud. Sot.* requirunt intensionem, quæ superet alios actus in voluntate concomitantes: idem sensisse putatur S. *Bonav.*, quamvis eum ab ea sententia vindicare velit *Bosco* s. 2. à n. 237. sed cujuscunque sit, eam æquè improbabilem esse dicunt *Suar.* suprà, *Con.* n. 63. *Amic.* n. 166. Ratio est, quia pater dolens de filio mortuo per actum intensum ùt sex potest conteri de peccatis & justificari, per actum intensum ùt quinque, quo appretiet peccatum & Deum super omnia, si enim alius homo vel ipse nunc haberet hunc actum solum, justificaretur, utì omnes fatentur, ergo etiam justificatur, quamvis adsit alter dolor intensior de morte filii, qui de se malus non est, utì suppono, & per accidens se habet.

763. §. 3. *Aureol. Bassolus* & alii apud *Amic.* n. 161. requirunt certam intensionem sed nobis ignotam, vel secundùm quantitatem peccatorum, quæ sententia communiter etiam attri-

buitur

buitur *Scoto*, quamvis *Bosco* à n. 239. conetur excusare. Eam autem acerrimè defendit *Hiquæus* in Comment. ad *Scot.* in 4. dist. 14. q. 2. à n. 97. sed *Amic.* dicit se pro hac sententia etiam non invenire probabile fundamentum, malè enim dicitur nos obligari ad certam intensionem, & tamen nescire, nequidem probabiliter, quænam illa sit, nam ita exponimur periculo, ut vel minùs agamus, quam tenemur, vel nos immoderatè divexemus in intendendo actu. Deinde contritio, quæ sufficit ad delendũ mortale minus, sufficit ad delendum majus, utì expresè *S. Th.* in supplem. q. 5. a 3. ad 2., & quæ sufficit ad delendum unum, sufficit ad delenda omnia, quia contritio tollit unumquodque peccatum causando gratiam, quæ etiam in quocunque remississimo gradu excludit peccata omnia.

§. 4. *Estius, Lupus, Farvacques* & alii Lovanienses apud *Platel.* p. 5. n. 550. item Illustriss. *Le Drou* Episc. Prophyrienis De contrit. & attrit. Diss. 4. c. 3. §. 3. etiam requirunt certam intensionem, in quantùm contritionem ab attritione distinguunt per hoc, quòd contritio sit magis, attritio autem minùs intensa: sed hæc sententia videtur æquè improbabilis ac cæteræ, nam attritio de se non respicit bonitatem Dei pro motivo, utì à n. 784. dicetur, neque ullum fundamentum est dicendi non posse dari attritionem, v. g. ex spe beatitudinis æternæ, quæ sit intensior contritione sufficiente ad justificationem. Atque ex dictis sequitur contra quosdam Juniores, ut contritio justificet, non requiri, ut intensione superet affectus actuales & habituales cordis, alioquin qui actu intensissimo 764.

sissimo & honesto doluit de infausta morte Patris sui, debebit dolere de peccatis actu adhuc intensiore, qui ipsi sæpe, & præsertim in articulo mortis debili vel turbato erit moraliter impossibilis, adeoque talis homo justificari non poterit nec salvari: hoc autem dicere, est dare occasionem desperandi, ergo.

765. §. 5. *Scotus* videtur dicere, quòd ad contritionem requiratur certa duratio temporis à Deo taxati, *Scotum* tamen conatur explicare *Bosco* à n. 372., sed illum ita sentire fatetur *Hiquæus*: quam opinionem *Almainus* censet probabilem & ex parte sequitur *Caj.* apud *Diaz.* d. 2. dub. 9., absolutè autem eam defendit *Hiquæus* à n. 110. sed *Suar.* s. 5. n. 3. meritò dicit carere fundamento & probabilitate, nam *Ezech.* 33. ℣. 12. dicitur, *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Ratio autem est, tum quia contritio, quamprimum existit, causat justificationem, secundùm dicta n. 747. tum etiam quia contritio, quæ continuatur, habet in singulis instantibus perfectionem contritionis essentialem & specificam, ergo talis contritio etiam prout respondens primo instanti æquè justificat, ac respondens sequentibus instantibus: Hinc,

766. §. 6. Rectè docent *Aversa* q. 2. s. 10. & alii, certum esse, quòd ad contritionem, ut justificet, non requiratur certa intensio aut extensio, nam Scriptura, cujus textus referam n. 774. apprómittit gratiam verè pœnitenti & Deum amanti, nullâ prorsus factâ mentione intensionis aut durationis: similiter SS. PP., quos ibidem referam, & *Trid.* sess. 14. c. 4. dicit peccatorem justificari extra Sacramentũ per contritionem,

ad

ad quàm tantùm requirit, ut sit charitate perfecta: & specialiter quod attinet ad intensionem, ita expressè docet synodus *Agathensis* apud *Gormaz* p. 1. n. 445. his verbis: *Sat est ad veram contritionem detestatio super omnia, licèt dolor non sit ita intensus ut alicujus mali temporalis.* Similiter *S. Th.* in suppiem. q. 5. a. 3. *Sed contra, quælibet contritio est gratia gratum faciente informata, ergo quantumcumque sit parva, delet omnem culpam.* Et in fine O. sic addit, *Sic ergo dicendum quòd quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet.* De durationeidem docet 1. 2. q. 113. a. 7 O. ubi ait motũ liberi arbitrii, per quẽ causatur justificatio, posse esse nstitantaneum Clarissimè utrumque dicit *S. Chrysost* relatus c. ap. *Talis.* De pœn. dist. 3. his verbis: *Quantulamcunque tamen & quamlibet brevi tempore gestam non respuit pœnitentiam.* Ratio à priori est, quia contritio est appretiatio peccati super omnia mala, & appretiatio Dei super omnia bona, propter infinitam Dei bonitatem; & in hoc consistit ejus quasi substantia; quòd autem sit magis vel minùs intensa, quòd plùs minúsve duret, est aliquid illi accidentale: & hæc quidem intensio vel duratio major oritur potissimùm ex parte sensitiva, quæ plurimùm juvat, aut promovet conatum voluntatis vel teneritudinem affectũ: Econtra appretiatio oritur ex judicio rationis, ergo non est credibile, quòd Deus vim justificandi alligârit intentioni vel durationi actûs, & non potiùs efficaci ejusdem appretiationi. *Conf.* 1. nam gradus intensus non auget appretiationem objecti, sed solùm conatum vel teneritudinem circa objectum, hinc dari potest actus valde intensus doloris

circa

ca canem mortuum, qui tamen in appretiatione non adæquet actum remississimum circa patrem mortuum: E contrà appretiatio ex natura sua est actus, qui sive sit intensus sive remissus, secundùm suam speciem magis æstimat & præfert suum objectum, hoc autem sufficit ad contritionem, quæ justificet, ut ita super omnia detestetur peccatum & præferat Deum, ergo. *Conf.* 2. nam talis actus charitatis justificat, qualis sufficit ad implendum præceptum 1. Decalogi, sed ad hoc sufficit quivis actus ex motivo bonitatis Dei super omnia, præscindendo ab intensione, ergo.

767 *Obji.* 1. Connaturale est, ut ubi reperitur summa appretiatio objecti, ibi etiam sit summa intensio actûs circa objectum, & contrà, ergo qui amat vel odit aliquid intensiùs quàm Deum aut peccatum, non appretiat Deum & peccatum super omnia. R. n. ant. patet enim, quòd venator sæpe intensiùs amet canem quàm patrem suum, à quo est offensus, quem tamen plùs appretiat, paratus potiùs carere cane quàm patre. Ratio à priori est data, quia appretiatio & intensio oriuntur ex diversis causis, appretiatio ex æstimabilitate sive dignitate intrinseca objecti secundùm prudentem rationem, intensio ex vehementi applicatione vel conatu potentiæ, aut ex teneritudine affectûs erga objectum, quæ præcipuè oriuntur à potentiis sensitivis.

768 *Inst.* Peccator debet de peccatis dolere ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, ergo cum certa intensione actûs. *R.* n. conseq. nam etiam debet credere ex toto corde, *Actorum* 8. v. 37. & tamen nemo requirit certam intensionem in fide. Dolet ex toto corde &c. quando appre-

appretiat peccatum ſuper omne aliud malum, & ab illo ſe convertit ad Deum, hunc iterum amando ſuper omne bonum: neque opus eſt, ut faciat, quidquid abſolutè poteſt, ſed tantùm, ut applicet totum cor, totam animam, totas vires ad hoc faciendum, quod Deus fieri vult, hoc autem, quod fieri vult, eſt talis efficax appretiatio peccati & Dei ſuper omnia. Quòd ſi SS.PP. aliquando plùs innuant, tantùm loquuntur pro conſilio, vel pro neceſſitate habendi remiſſionem etiam pœnæ, ad quam delendam multùm confert intenſio actûs.

*Obji. 2. S. Tho.* De veritate q. 28. a. 8. ad 3. ait, 769.
*dicendum, quòd contritio ab attritione præcedente non differt ſolùm ſecundùm intenſionem doloris, ſed etiam informationem gratiæ.* Idem videtur dicere in 4. diſt. 22. q. 2. a. 1. *R.* Tantùm vult eum, qui priùs habuit attritionem, ordinariè poſtea habere intenſiorem contritionem, quia voluntas per motiva attritionis diſpoſita, ſimul ex eiſdem cum motivo bonitatis Dei contritionem elicit, per quam etiam obtinet gratiam. Poteſt etiam per intenſionem intelligi major perfectio ſpecifica actûs, ſicuti dicimus unicum rationale hominis eſſe intenſivè perfectius quàm differentias omnium brutorum: & in eum ſenſum dicit S. *Th.* in ſupplem. q. 3. a. 1. O. *dolor in contritione excedit omnes dolores, nempe motivo.*

*Inſt. S. Tho.* in ſuppl. q. 5. a. 3. O. ait: *dolor ... poteſt eſſe parvus, adeo quòd non ſufficiet ad rationem contritionis..... ſicut etiam amor poteſt eſſe ita remiſſus, quòd non ſufficit ad rationem charitatis.* *R.* Loquitur de dolore ex motivo alio quàm charitatis Theologicæ, ſecundùm dicta à n. 758., aut intelligit, ſi doleat, quia amittitur finis ultimus,

nam

nam addit, *ùt si minùs displiceret ei peccatum, quàm debeat displicere separatio a fine ultimo.*

770. *Obji. 3. Catech. Roman.* De pœn. c. 7. docet contritionem, quia debet pro qualitate criminum intendi ad certum gradum, esse valde difficilem, ideoque Deum instituisse Confessionem tanquam faciliorem modum justificationis; verba illius sunt hæc: *Ut enim hoc concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem & incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit? ac quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent &c.* R. Quamvis idem *Catechismus* c. 5. moneat, ut contritio de peccatis sit, *non solùm maxima sed vehementissima*, tamen addit *quanquam si id minùs consequi nobis liceat, vera tamen & efficax contritio esse potest, sæpe enim usu venit, ut quæ sensibus subjecta sunt, magis quàm spiritualia nos afficiant, quare nonnulli interdum majorem ex filiorum obitu quàm ex peccati turpitudine doloris sensum capiunt.* Itaque tantùm vult, meritò dolendum esse vehementissimè, nam ibidem dicit, *summum & maximum dolorem ex peccatis suscipiendum esse, ita ut nullus major excogitari possit.* Item, *ut quemadmodum nullus finis & modus charitati præscribitur, ita peccati detestationi nullus modus definiatur*: patet autem hæc non requiri tanquam absolutè necessaria, nam etiam lacrymas commendat, sed tantùm intelligi, æquum esse, ut quantùm in nobis est, conemur habere intensissimum dolorem.

Estque notandum, quòd non dicat contritionem debere esse acrem & intensam, utì plerique cum *Platel.* n. 561. malè legunt, sed acrem & *incensam*, qualis est, si contritus detestetur peccatum & redamet Deum super omnia, omnis enim

enim Dei super omnia dilectio est ex natura sua vehemens, acris, incensa, quia est amor maximus præferens Deum omni creaturæ: & ita seipsum explicat *Catech. Rom.* dicens *omnibus rebus Dei amorem anteponendum esse.*

*Obji.* 4. Si non requiratur certa intensio vel nobis ignota duratio contritionis, ergo homo poterit esse certus de sua contritione, adeoque certus erit se esse in gratia, quod est contra scripturam & *Trid.* sess. 6. c. 9. R. n. sequel. nam 1. nescit, an debitè appretiet peccatum & Deum super omnia. 2. nescit, an suus actus sit supernaturalis. Ex dictis

*Inferes*, falsa esse quæ docet *Christianus Lupus*, 771.
prout refert *Le Dent* c. 12. à n. 295. nam dicit 1. ad contritionem, quæ justificet sine Sacramento, requiri, ut homo vi illius nullum habeat amorem affixivum ad creaturam, id est, ut ita sit à creaturis avulsus & Deo ita conjunctus, ut nullo esset afficiendus dolore vel sensu, quamvis ipsi tollerentur parentes, divitiæ, honores &c. sed sic animo comparatus, ut hæc omnia cum gaudio dimitteret. 2. Credendum non esse agonizantes quosdam ejusmodi contritionem concipere aut justificari sine Sacramento. 3. *S. Petrum* antequam negaret Christum, *Davidem* conversum, *Magdalenam* pœnitentem aliosque non videri habuisse hanc contritionem, sed speciali Dei dono justificatos esse. 4. Apostolos omnes ante acceptum in Pentecoste Spiritum non habuisse amorem vel contritionem, qui potuisset justificare sine Sacramento. 5. Contritionem justificantem debere esse efficacem non tantùm affectivè secundùm voluntatem præsentem, sed etiam effectivè seu quoad effectum cavendi

peccata, adeoque si postea quis in mortale relabatur, signum esse, quòd antea non habuerit contritionem. Hæc aliaque similia Rigoristarum principia non videntur probabilia, possuntque dare occasionem dicendi contritionem esse moraliter impossibilem, sicque homines Sacramento destitutos conjiciendi in desperationem.

772. *Q. 104. An contritio, quæ justificat sine Sacramento, secum patiatur spem & timorem.* R. §. 1. Le *Drou* d. 4. c. 3. §. 3. docet illam solam contritionem esse perfectam & justificare sine Sacramento, quæ foràs mittit timorem, secundùm illud 1. *Joan. 4. v. 8. Charitas perfecta foràs mittit timorem, quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non est perfectus in charitate.* Consequenter infert, si Martyr pateretur mortem simul ex motivo timoris inferni, habiturum charitatem imperfectam. Sed opinio illa est contra communem, & adversatur *S. Th.* 2. 2. q. 19. a. 6. O. *Timor pœnæ potest stare cum charitate sicut & amor sui*: In 3. dist. 34. q. 2. a. 2. quæstiu. 3. *Timor servilis manet adveniente charitate, quantùm ad substantiam, sed non quantùm ad servilitatem.* a. 3. quæst. 2. *Timere pœnas æternas non est actus timoris initialis, sed compatitur secum istum actum, sicut & timor castus hinc.*

773. §. 2. Tenendum est tanquam certum, quòd charitati perfectæ justificanti sine Sacramento non obstet, quòd ei adsit supernaturalis spes præmii vel timor pœnæ, nam imprimis Innoc. XII. die 12. Martii 1699. damnavit propositiones Cameracenses, quibus asserebat talem aliquando esse statum charitatis perfectæ, ut excluderet spem & metum, inter illas enim sunt hæ: 1. *Datur habitualis status amoris, qui est charitas pura & sine ulla admixtione motivi proprii interesse.*

*tereſſe. Neque timor pœnarum neque deſiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem &c. 2. In ſtatu vitæ contemplativæ ſive unitivæ amittitur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei. 23. Purus amor ipſe ſolus conſtituit notam viam interiorem, & tunc evadit unicum principium & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii ſunt.* Deinde viri ſanctiſſimi in fine vitæ, quando procul dubio implebant præceptum perfecti amoris erga Deum & perfectæ contritionis, de quo præcepto dicam n. 2009. leguntur habuiſſe ingentem timorem ratione divinorum judiciorum, ſic *S. Hilarion*, de quo in Breviario Romano ad 21. Octobris, *Cùm extremo ferè ſpiritu conflictaretur, dicebat, egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta propè annis ſervîſti Chriſto, & mortem times? quibus in verbis ſpiritum exhalavit.* Innumera ſunt ejuſmodi exempla. Ratio à priori eſt, quia nullus actus ſupernaturalis de ſe pugnat cum charitate perfecta, cùm omnis actus ſupernaturalis ſit ex impulſu Dei, qui in ſe charitas eſt, & Author perfectiſſimæ charitatis in nobis, Deus autem non pugnet cum ſe ipſo, atqui ſpes vel timor, de quibus loquimur, ſunt actus ſupernaturales, quales eſſe poſſe, fide certum eſt, ergo non pugnant cum charitate perfecta. Unde quando ſcriptura & SS. PP. dicunt, quòd *charitas foràs mittat timorem*, intelligunt timorem ſerviliter ſervilem, inordinatum, immoderatum : hoc tamen etiam verum eſt, & hoc fortaſſe volunt aliquando, quòd quantò aliquis magìs ardenter & purè amat Deum, tantò minùs ſoleat attendere ad motiva etiam ſupernaturalia ſpei vel timoris, uti habet *S. Tho.* ſuprà a. 10. O. his verbis :

*Quantò aliquis magis diligit Deum, tantò minùs timet pœnam, primò quidem, quia minùs attendit ad proprium bonum, cui contrariatur pœna; secundò quia firmiùs inhærens magis confidit de præmio, & per consequens minùs timet de pœna.* Sed falsum est & inde malè infertur, quòd charitas non patiatur, aut de se repugnet spei vel timori supernaturali, hinc S. Tho. ad 3. addit, *Amor charitatis augmentatus, reverentiam timoris non minuit, sed auget.* Videri potest *Palav.* à n. 152. item Cont. *à Lapide* in eum locum Apostoli; item dicenda hìc à n. 1742. ubi practicè ostendam, quomodo per attritionem ex spe & metu assurgere debeamus ad perfectam contritionem.

*Obji.* Si motiva charitatis & timoris non pugnent, ergo poterit unicus actus procedere ex motivo charitatis & timoris, hoc autem implicat, quia actus charitatis debet procedere ex motivo solius bonitatis Dei, & pro motivo, cui, habere solum Deum. *R.* 1. Si ista duo motiva non possint influere in unum eundemque actum, influant in duos, & sic salvatur, quod dico. *R.* 2. c. seq. cum *S. Th.* in 3. dist. 34. q. 2. a. 3. quæstiu. 2. ad 1. *Timor initialis non includit servilem secundùm essentiam, sed in quantùm concurrunt ad unum actum imperandum.* Et talis actus simul erit charitatis & timoris, qui prout erit charitatis, respiciet solam bonitatem Dei & Deum ut finem, cui; prout erit timoris, respiciet pœnam & pro fine, cui, habebit hominem ipsum: sicuti actus, qui simul est fidei divinæ & humanæ, prout est fidei divinæ, respicit solam Dei auctoritatem; prout est fidei humanæ, solam auctoritatem hominum. Et similiter loqui solemus de actu, qui simul esset fidei, scientiæ & opinionis

&

Q. 105. *An omnis contritio, quæ est actus charitatis Theologicæ, justificet sine Sacramento.* R. Negant aliqui cum *Le Drou* diss. 4. c. 1. & seqq. sed oppositum tenendum est ex dictis à nu. 747. & 756. Quod ulteriùs, *Probatur* 1. ex Scriptura, quæ de dilectione (per quam intelligitur dilectio Dei ex charitate, seu quæ est amor Dei propter se & super omnia) absolutè dicit, quòd causet reciprocam Dei dilectionem & gratiam, quòd tollat peccatum &c. Sic dicitur Prov. 8. ℣. 17. *Ego diligentes me diligo.* Joannis 14. ℣. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* ℣. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* 1. Petri 4. ℣. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Joannis 4. ℣. 7. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est,* id est, factus est filius Dei, uti exponunt interpretes cum *Corn. à Lapide.* 774.

*Prob.* 2. ex SS. PP., nam S. *August.* De Trinit. l. 15. c. 18. ait, *Ipsa dilectio sive charitas ..... perducit ad regnum.* In expos. epist. ad Galatas, *Formatur Christus in eo, qui formam accepit Christi: formam autem accipit Christi, qui adhæret Christo dilectione spirituali.* De fide & oper. c. 14. *Charitas implet legem, & facit rectè vivere,* sed *non vivunt bene homines, nisi effecti filii Dei,* L. 1. contra 2. Epist. Pelagian. c. 2. *ergo charitas efficit filium Dei.* Tract. 7. in Joannem, *Qui diligit, ex Deo natus est. Quare? Quia Deus dilectio est.* Tract. 9. *Timor medicamentum, charitas sanitas est.* Tract. 76. *Dilectio sanctos discernit à mundo.* Tract. 9. in Epist. Joannis, *Diligendo Deum amici facti sumus.* S. Chrys. Hom. 7. in 2. ad Timoth. *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* S. Greg. in Lib. 1. Regum c. 3.

*Ex vi conversionis magnitudo deletur criminis, vis autem conversionis est affectio charitatis. S. Anselm.* in Monol. *Dubitari nullatenus debet, quòd ipse omnem naturam se verè amantem amet*, atqui omnis diligens Deum super omnia & propter Deum ipsum, verè amat Deum, ergo. *S. Ephrem* De die judicii c. 5, *Compunctio sanitas animæ est. S. Bern.* Serm. 83. in Cant. *Amor per se sufficit. Cassiod.* De amicitia §. De dilectione Dei, *Charitas est criminum abolitio.* S. *Tho.* 1. 2. q. 89. a. 6. O. Amor Dei, quo quis se iterum ordinat ad finem ultimum, causat gratiam, sed contritio ex charitate est amor Dei, quo quis se iterum ordinat ad finem ultimum, ergo.

*Prob.* 3. Ex communi sensu totius Ecclesiæ, quæ sæpe fidelibus omnibus contritis concedit indulgentias, quarum capax non est, nisi justificatus. Item monet Sacramentis vivorum præmittendam esse salutem contritionem, per quam restituatur gratia, si fortè absit, ergo certum est Ecclesiam supponere, quòd per contritionem, quæ est absolutè ex motivo bonitatis Dei super omnia, causetur justificatio. *Prob.* 4. ratione, quia contritio, quæ procedit ex motivo charitatis erga Deum, est actus perfectissimus, quo peccator gratiâ Dei excitatus & adjutus avertit se à peccato tanquam malo ipsi Deo, & se iterum convertit ad Deum super omnia dilectum, propter Deum ipsum, ergo congruum fuit, ut ad positionem illius Deus vicissim se converteret ad hominem, secundùm illud *Zachariæ* 1. ℣. 3. *Convertimini ad me, dicit Dominus exercituum, & convertar ad vos.*

His argumentis permotus *Sylvius* retractavit priorem sententiam, quâ id negaverat: Et meritò

ritò, inquit *Gonet* d. 3. n. 27., *eò quòd apertissimè contradicat variis Scripturæ, Conciliorum, SS. PP. testimoniis, nec non Summorum Pontificum decretis, ac omnibus scholasticis.*

*Respondent* 1. Authoritates adductas explicari posse de charitate habituali. *Contrà* est 1. ex verbis ipsis, saltem plerisque, patet ad oculum, quòd loquantur de actu dilectionis & amoris. 2. Non loquuntur speculativè de habitu charitatis, sed practicè incitant ad actus amoris Dei, ergo loquuntur de charitate actuali. 3. Scriptura & SS. PP. communiter per charitatem, intelligunt actualem, sic enim S. *Dionys.* De div. nom. c. 4. ait, *Mihi enim videntur Theologi existimâsse commune nomen esse amoris & charitatis.* Et paulò infrà: *Pro eodem ponuntur à sanctis Theologis charitatis & amoris nomina. S. Aug. 15.* De Trinit. c. 18. *Ipsa verò dilectio seu charitas, nam unius rei est utrumque nomen.* Et l. 3. De doctr. christ. c. 10. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum.* Vide dicta n. 747. 775.

*Respondent* 2. Intelligi de sola charitate perfecta seu intensa. *Contra est*, nam imprimis *Synodus Agathensis*, utì retuli nu. 766. expressè dicit hoc de contritione, *licèt dolor non sit ita intensus. S. Th.* ibidem relatus dicit, quòd *quælibet contritio, quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat. Catechismus Rom.* n. 770. relatus dicit, *Contritionem posse esse veram & efficacem*, quamvis non sit maxima. Deinde scriptura & PP. dicunt ista de dilectione Dei & de charitate simpliciter ac sine addito, ergo. Quòd si sententiæ toties repetitæ & abstrahentes à terminis illis, *perfecta, vehemens, intensa, diuturna*, non sufficiant ad persuadendum hoc de dile- 776.

ctione & charitate simpliciter & quoad substantiam tali, nihil poterit absolutè probari ex scriptura vel PP., quia quisque facilè inveniet distinctiunculam, per quam verba detorqueat à vero ad suum privatum sensum.

777. *Obji. 1. S. Aug.* docet catechumenis non remitti peccata, nisi dum baptizantur, sed catechumeni debent amare, & sæpe *flagrant* amore Dei super omnia, ergo. Ita *Le Drou* arg. 10. R. 1. Si argumentum valet, ergo nullus amor Dei super omnia à catechumeno elicitus tollit peccatum. R. 2. Tantùm vult non dimitti perfectè, etiam quoad pœnas: aut non dimitti legaliter, ac pro externo etiam foro Ecclesiæ, cùm per Baptismum fiat ingressus in Ecclesiam.

778. *Obji. 2. S. Tho.* in 2. d. 28. q. 1. a. 3. ad 2. ait, *Potest aliquis charitatem non habens* (quoad habitum) *diligere proximum & Deum etiam super omnia, ut quidam dicunt, & hoc diligere intelligitur actus charitatis sub præcepto directè cadere, & non solùm secundùm quod à charitate procedit.* Hanc autem charitatem 2. 2. q. 184. a. 3. ad 2. vocat *infimum dilectionis gradum*, quamvis sit super omnia, ergo talis actus charitatis non justificat. R. n. conf. quamvis enim talis actus sine habitu charitatis eliciatur à peccatore per auxilium supernaturale transiens, & quamvis etiam sit infimus gradus dilectionis Dei super omnia, tamen non negat S. *Tho.* per illum ipsum justificari peccatorem.

779. *Obji. 3.* Charitas, secundùm omnes, dividitur in perfectam & imperfectam, & ideo 1. *Joannis* 4. ℣. 18. dicitur, *Perfecta charitas foràs mittit timorem.* S. *Aug.* Tract. in Epist. *Joannis* ait, *Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Item cha-

charitas perfecta & imperfecta, secundùm *S. Tho.* 2.2.q.19. a.8.O. non differunt secundùm essentiam. De sola autem charitate perfecta, quòd sine Sacramento justificet, habemus ex damnatione propositionum *Baji* relata n. 747. in quibus semper additur *perfecta*, ergo si charitas sit imperfecta, cum ea stat peccatum mortale. *R. Dixi* n. 739. unam charitatem posse esse perfectiorem alterâ, & illo sensu una dicitur imperfecta respectivè, id est, minùs perfecta; & similiter contritio perfecta, quæ est odium etiam omnium venialium, perfectior est quàm illa, quæ est solorum mortalium: omnis tamen charitas & ex ea procedens contritio est simpliciter perfecta & justificat, quæ ex motivo absolutæ bonitatis Dei odit mortale super omnia, hinc admisso vel dissimulato toto antecedente n. conseq.

Q. 106. *An in casu necessitatis justificet sine Sacramento aliqua contritio, quæ extra necessitatem non justificaret.* R. Affirmat *Le Drou* diss. 4. c. 2. arg. 19. putans charitatem imperfectam, quæ alioqui ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur, in casu necessitatis sufficere ad justificationem. Sed tenendum est oppositum, nam 1. si hoc verum est, ergo nullus adultus ex defectu Sacramenti peribit, adeoque *Trid.* frustra cavit, ut nullum peccatum esset reservatum in articulo mortis, si enim moribundus non habeat charitatem imperfectam, ei non prodesset absolutio sacramentalis, uti adversarii volunt: si autem illam habeat, justificari posset sine absolutione. 2. Dici non potest, cur aut quomodo necessitas contritioni imperfectæ tribueret vim, quam de se non habet, nullum enim fun- 780

damentum est dicendi Deum ita instituisse, ergo.

*Obji. SS. Aug. Bern. Hugo à S. Victore* dicunt dari contritionem, quæ in necessitate tantùm justificet sine Sacramento. *R.* n. ass. non enim dicunt justificare in necessitate *tantùm*, sed tantùm dicunt justificare in necessitate, quando deest Sacramentum, quod verum est etiam de contritione perfecta.

781. Q. 107. *An contritio perfecta vel amor Dei absolutè prædominans requiratur tanquam pars adjustificationem in Sacramento pœnitentiæ causandam.* R. §. 1. Le *Drou* d. 1. c. 3. recenset multos, quos putat ante & post *Trid.* tenuisse, quòd ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur perfecta contritio, quæ præcedere debet absolutionem, ita ut per hanc tantùm augeatur gratia, remittatur saltem pars pœnæ, & homo visibiliter reconcilietur Ecclesiæ. Tenet autem ipse talem contritionem non requiri, attamen defendit oppositum non doceri à *Trid.*, nec esse omnino certum. Sed tenendum est velut certum & à *Trid.* sufficienter declaratum, quòd contritio perfecta non requiratur tanquam pars Sacramenti pœnitentiæ, nam. 1. *Catech. Trid.* De pœn. c. 5. n. 32. dicit, *Ex Fidei catholicæ doctrina omnibus credendum & constanter affirmandum, vi clavium remitti peccata*, ergo ante Sacramentum non semper supponuntur remissa, atqui supponerentur semper remissa, ante Sacramentum, si ante absolutionem requireretur, tanquam pars Sacramenti, contritio perfecta, ergo. 2. *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 4. docet aliquando contingere, ut contritio ante susceptum Sacramentum reconciliet, ergo satis significat, quòd non semper fiat.

fiat. 3. *Trid.* ibidem c. 6. dicit absolutionem Sacerdotis non esse solùm nudum ministerium declarandi remissa esse peccata, ergo saltem aliquando primò remittit. 4. Ibidem c. 3. dicit, quòd reconciliatio cum Deo sit effectus Sacramenti: item c. 2. quòd absolutio liberet à peccatis; Et c. 6. quòd sit functio remittendi peccata, hæc autem minùs congruè explicantur, si dicamus ad Sacramentum Pœnitentiæ semper prærequiri contritionem perfectam, per quam peccata sint antecedenter remissa, ergo. 5. Non poterit dari clara ratio, cur Baptismus & Pœnitentia potiùs quàm alia dicantur Sacramenta mortuorum. 6. Pontifices Cap. *Presbyter.* & Cap. *Agnovimus.* Causâ 26. q. 6. dicunt Sacerdotem, qui moribundo negat absolutionem, posse esse causam, cur damnetur, quod verum non est, si peccata non remittantur primò per absolutionem. 7. Adversarii fatentur cum *Le Drou* d. 3. c. 2. §. 4. ad susceptionem Baptismi & Pœnitentiæ sufficere dolorem ex eodem motivo, atqui ad Baptismum non prærequiritur perfecta contritio, per quam remissa sint peccata, nam *Act.* 2. v. 38. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrûm..... in remissionem peccatorum.* Et in symbolo Nicæno dicitur, *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

§. 2. *Opstraedt* De conversi. peccat. requirit pro 782.
Sacramento Pœnitentiæ dolorem ex amore Dei, non tantùm casto, sed etiam absolutè prædominante, quod explicat hoc modo: 1. Amor Dei castus est, quo quis amat Deum propter Deum ipsum. Amor Dei prædominans, est amor Dei castus, qui superat alium amorem. 2.

Amor

Amor prædominans potest esse talis, vel secundùm quid, vel absolutè: tum est prædominans secundùm quid, si superet alium amorem aliquem sed non omnem, v. g. si amor Dei superet quidem amorem divitiarum, sed non superet amorem honorum, quia aliquis potiùs vellet offendere Deum, quàm perdere honorem. In tali homine est amor Dei prædominans secundùm quid, nempe supra amorem divitiarum, sed è contrà amor honoris est prædominans supra amorem Dei. Tum est amor Dei absolutè prædominans, si superet omnes alios amores cordis, quia nempe potiùs vellet perdere divitias, honores, voluptates & creaturas omnes, quàm Deum. §. Certum est amorem secundùm quid prædominantem non sufficere cum Sacramento, hinc concludit c. 8 §. 2. solum amorẽ Dei absolutè prædominantem sufficere

783. §. 3. Dicendum est ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri aliquem actum absolutè prædominantem, qui faciat hominem ita aversum a peccato & conversum ad Deum, ut potiùs vellet perdere omnes creaturas quàm Deum, hic tamen actus, secundùm dicta, non necessariò est actus charitatis, vel amor perfectus, utì magis constabit ex dicendis.

784. Q. 108. *Quale motivum habeat attritio, & quomodo illud attingere debeat.* R. §. 1. Attritio non requirit pro motivo nequidem inadæquato bonitatem Dei super omnia dilecti, utì habet communissima cum *Le Dent* De attrit. c. 2. contra *Bajum*, *Jansen.*, *Jansenistas*, *Lupum*, *Farvacques*, *Le Drou* & alios. *Probatur* 1., quia attritio non justificat sine Sacramento, utì dicetur n. 832 sed si pro motivo etiam inadæquato haberet bonitatem

tatem Dei super omnia dilecti, esset actus charitatis Theologicæ, & justificaret sine Sacramento, secundùm dicta à n.774. Neque huic effectui obstaret, quòd adjunctum haberet motivum spei vel timoris, utì constat ex dictis à n.772. ergo. 2. *Trid.* sess. 14. De pœnit c.4. per hoc distinguit contritionem ab attritione, quòd contritio sit charitate perfecta, attritio autem concipiatur ex alio motivo inferiore, utì dicetur n. 786., ergo ex mente *Trid.* attritio non est per charitatem perfecta, ergo pro motivo non habet bonitatem Dei super omnia dilecti. *Si dicas*, nomine attritionis venire actum à charitate quidem elicitum, sed minùs efficaeem & perfectum. *Contrà* est, ergo attritio nequidem cum Sacramento sufficeret ad justificationem, ut enim sufficiat, debet esse efficax & excludere omnem voluntatē peccandi, utì docet *Trid.* suprà.

*Objì.* Attritio debet attingere motivum honestum & supernaturale, ergo debet respicere Deum tanquam finem ultimum, sed Deus est finis ultimus, quatenus est summum bonum in se, ergo attritio debet attingere Deum tanquam summum bonum in se, ergo pro motivo saltem inadæquato habet bonitatem Dei super omnia dilecti. *R.* Permissis omnibus, quæ assumuntnr pro antecedente, n. ult. cons. quia licèt attritio debeat elici cum respectu ad Deum, utì dicetur n. 792. Item licèt attingat honestatem, quæ est convenientia cum fine ultimo, sicque mediatè saltem & interpretativè attingatur summum bonum in se, ad quod ultimatè tendunt omnia, tamen non attingit illa propter bonitatem Dei, sive quia hoc Deo bonum est, sed quia bonum est ipsi attrito, ergo hìc non intervenit motivum charitatis in Deum. 785.

*Inst.*

*Inst.* Omnis actus honestus est conformis primæ regulæ, ergo includit amorem aliquem primæ regulæ & finis ultimi, in quantùm hic finis est in se summum bonum, utì pluribus probat *Maurus* q. 243. à n. 16. ergo omnis actus honestus, adeoque etiam attritio, est ex motivo charitatis. *R.* Datâ 1. seq. n. 2. nam ad summùm sequitur, quòd omnes actus honesti eliciantur cum aliquo respectu ad finem ultimum, qui est summum bonum in se, utì jam dictum est, non autem sequitur, quòd objectum suum vel ideo prosequatur, quia Deo bonum est, vel ideo fugiat, quia Deo malum est, quorum unum requiritur ad motivum charitatis. Consequenter ad actum honestum non requiritur, ut positivè actu amet finem ultimum propter ipsum finem ultimum, sed satìs est, quòd sit circa objectum conforme primæ regulæ & fini ultimo, quamvìs finem ultimum amet sibi, dummodo saltem per alium actum maneat ordinatus ad finem ultimum.

786. §. 2. Attritio habet pro motivo, vel turpitudinem peccati, vel amissionem præmii seu boni alicujus, vel incursionem pœnæ sive alicujus mali, sic enim *Trid.* suprà expresè docet contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, communiter concipi, vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu, ubi per gehennam intelligitur pœna damni & sensûs in inferno, utì notant omnes communiter cum *Lugo* d. 5. n. 137. per pœnas autem intelliguntur pœnæ temporales saltem Purgatorii, utì certum esse dicit *Arr.* d. 11. s. 1. quidquid contradicat *Vasq.* q. 92. a. 1. dub. 3. Imò communior sententia est cum *Aversa* q. 2. s. 14. attritionem

tionem concipi posse ob alia mala hujus vitæ, quamvis *Côn.* d.4. n. 39., ejusmodi attritionem habeat suspectam, Ratio nostra est, quia *Trid.* suprà subdit Ninivitas hoc timore pœnæ temporalis, nempe subvertendæ suæ urbis, utiliter concussos ad prædicationem Jonæ pœnitentiam egisse & misericordiam à Domino impetrâsse, non quòd justificati sint per attritionem, sed quòd obtinuerint, vel remissionem pœnæ intentatæ, vel dispositi sint ad contritionem, per quam sint justificati. Ad pœnam reducitur etiam amissio præmiorum & bonorum, quæ alioqui danda erant, & per peccatum impediuntur. hinc à contrario bonum retributionis sive præmii etiam nos movet ad attritionem, idem enim esse videtur timere carentiam boni velut pœnam & desiderare bonum velut præmium. Ex his,

*Colliguntur* seqq. 1. Per turpitudinem peccati 787.
intelligitur inhonestas, quam peccatum habet per oppositionem ad naturam rationalem, ad rectam rationem, ad legem illud prohibentem, ad virtutem, contra quam peccatur, inest autem omni peccato turpitudo divinæ offensæ, irreverentiæ in Deum, ingratitudinis, inobedientiæ, injuriæ, temeritatis, & ideo illa motiva dicuntur universalia: quibusdam peccatis inest specialis tantùm turpitudo, v. g. ebrietati, fornicationi, mendacio inest turpitudo per oppositionem ad specialem honestatem virtutis temperantiæ, castitatis, veracitatis, quæ honestas non opponitur omnibus peccatis, ideoque hæc motiva dicuntur particularia.

2. Ad amissionem præmii pertinet, quòd per 788.
mortale amittatur gratia & amicitia cum Deo,

virtu-

virtutes supernaturales, jus ad cœlum, æterna gaudia; per veniale autem reddatur quis indignus multis gratiis actualibus, speciali favore vel protectione Dei, singulari gloriâ vel gaudio accidentali in cœlo, & etiam pro hac vita bonis temporalibus, utì sunt valetudo, honores, divitiæ, longa vita, hæc enim omnia sunt bona connaturalia hominis & honestè amabilia.

789. 3. Ad incursionem pœnæ pertinet, quòd per mortale mereamur æternum Dei odium & inimicitiam, privationem gratiæ & visionis beatificæ, æternos cruciatus gehennæ, perpetuum cum dæmonibus & damnatis consortium &c. per veniale autem mereamur Purgatorium, pœnas etiam temporales hujus vitæ, utì bella, famem, paupertatem, morbum, infamiam, mortem, imò & quòd mereamur pœnas merè internas, utì remorsus conscientiæ, scrupulos, anxietates, ariditates, hæc enim omnia sunt opposita naturali inclinationi hominis & honestè odibilia.

790. 4. Omnis dolor de peccatis reducitur ad 4 classes generales, nam 1. perfectissimus, qui est contritio, desumitur ex motivo bonitatis Dei, & pertinet ad filium. 2. Minùs perfectus desumitur ex turpitudine peccati, & pertinet ad ingenuum. 3. Adhuc imperfectior desumitur à spe præmii, & pertinet ad mercenarium. 4. Minimè perfectus desumitur à timore pœnæ, & pertinet ad servum. Unde sicutì servo nobilior est mercenarius, mercenario ingenuus, ingenuo filius, ita hi dolores se cum proportione excedunt.

791. *Dices.* Saltem non poterit dari attritio concepta ex solo metu pœnæ, quia omne odium fundatur in amore oppositi, ergo peccatum non

non potest odio haberi ex metu pœnæ, nisi simul moveat bonitas virtutis oppositæ. *R.* n. conf. quando enim aliquid ratione alterius odio habetur, satis est amari hoc, propter quod alterum odio habetur, uti si oderim cibum dulcem, quia sanitati nocet, non est opus, ut amem cibum amarum, sed satis est amare sanitatem & me, cujus gratiâ odi cibum dulcem: ita hìc dum odi peccatum propter pœnam, satis est, quòd amem absentiam peccati & me, cujus gratiâ odi peccatum.

§. 3. Attritio ad justificationem disponens 792
debet attingere suum objectum cum aliquo respectu ad Deum, uti omnes communissimè cum *Lugo* à n. 140. *Dicast.* d. 6. n. 8. *Aversa* q. 11. s. 5. nam 1. *Trid.* suprà ad attritionem requirit, ut fiat cum spe veniæ, utique à Deo obtinendæ, cùm explicet attritionem de peccato Theologico, quod contra Deum committitur. 2. Ut attritio ad justificationem disponat, debet esse quædam inceptio dilectionis Dei, uti habet *Trid.* sess. 6. c. 6. Item debet esse conversio ad Deum, quia cùm peccatum sit aversio à Deo, qui iterum ad Deum non convertitur, non habet veram pœnitentiam, sed si non attingat suum motivum cum aliquo respectu ad Deum, non poterit dici conversio ad Deum, ergo. 3. Attritio debet esse Theologicè supernaturalis, uti dictum est n. 667. sed talis non erit, nisi aliquo modo respiciat Deum, ergo. 4. Talis attritio debet esse efficax, sive excludere omnem voluntatem peccandi, etiam internè, sed si non respiciat Deum, non videtur satis posse excludere omnem voluntatem peccandi internè, tum saltem, quando concipitur ex metu pœnæ, solus enim Deus

novit & sufficienter punire potest peccata interna, unde ab illo solo timeri poterit tali peccato pœna debita, ergo.

793 *Dixi 1.* ad justificationem disponens, nam attritio sine respectu ad Deum potest habere naturalem honestatem, hinc *Alex. VIII.* damnavit hanc 9. prop. *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu. Dixi 2.* cum aliquo respectu ad Deum, nam licèt *Bosco* s. 3. à nu. 9. requirat formalem & explicitum, tamen sufficere quasi virtualem seu implicitum docent *Suar. Amic.* aliique cum *Am.* d. 11. s. 2. talem autem putant haberi per hoc, quòd turpitudo peccati cognoscatur esse contraria naturæ rationali, legi humanæ, honestati virtutis &c., quod defendi potest, dummodo natura rationalis saltem confusè apprehendatur ùt quædam participatio naturæ increatæ, & lex humana ùt informata lege æternâ Dei, & honestas virtutis ùt quædam conformitas cum ratione æterna. Et similiter loquendum est circa amissionem bonorum vel incursionem malorum, quæ saltem confusè apprehendi debent tanquam neganda vel infligenda à Deo justo Judice. Hinc,

794 *Inferes 1.* Ad dolorem, qui sufficiat pro Sacramento Pœnitentiæ, semper requiri respectum ad Deum, vel tanquam ad primam regulam omnis honesti, vel tanquam ad punitorem aut præmiatorem, vel tanquam ad summum bonum in se & propter se infinitè amabilem.

*Inferes 2.* Aliqua motiva etiam attritionis desumi per ordinem ad Deum, præscindendo ab omni præmio & pœna, utì sunt motiva ex tur-

turpitudine peccati vel ex honestate virtutis oppositæ, quamvis enim Deus nec promisisset præmium pœnitenti, nec impœnitenti intentâsset pœnam, adhuc honestum esset dolere de peccatis propter inhonestatem, quam in se habent, & propter honestatem singularem virtutum, quibus opponuntur.

*Q. 109. An attritio ex spe & metu possit esse honesta & supernaturalis.* 14. §. 1. *Lutherus* dixit nos per attritionem ex spe vel metu fieri hypocritas & magis peccatores, eò quòd impediat tantùm peccata externa, & sit coacta : sed damnatur à *Trid.* sess. 14. c. 5. his verbis: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem..... ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocrytam & magis peccatorem, demum illum esse dolorem coactum & non liberum ac voluntarium, anathema sit.* 795

§. 2. *Calvin. Bajus* & alii dixerunt omnem actum, & consequenter attritionem, quæ non esset ex charitate, non esse bonam: sed oppositum certum est ex dictis l. 2. n. 132. Et verò honestum esse operari propter spem præmiorum, docet apertè Scriptura multis locis apud *Ripald.* De ente supern. tom. 3. d. 22. n. 9., & apud *Le Dent* n. 115. Idē definit *Trid.* sess. 6. c. 31. his verbis: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit.* Idem docent SS. PP. apud *Ripald.* n. 10. & apud *Le Dent* à n. 117. Ratio est, quia datur habitus supernaturalis spei distinctus ab habitu charitatis, 796

utì certum est ex 1. *ad Corinth.* 13. v. 13. *Fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas*; ac tenent Theologi omnes, ergo etiam dantur actus virtuosi & supernaturales spei respondentes : quod pluribus de aliorum etiam habituum à charitate distinctorũ actibus evincit *Ripald.* s. 2. n. 13. & seqq. ideoque meritò concludit *Gormaz* n. 345. nullam esse probabilitatem in illa sententia, quæ operationem ex spe præmii actam sine charitate, dicit esse inhonestam.

797 §. 3. *Jansenius*, *Jansenistæ* aliique apud *Le Dent* c. 6. dixerunt dolorem ex metu gehennæ esse malum, vel quia nascitur ex amore proprio, vel quia habet adjunctam malam comparationem animi : sed oppositum est de Fide ex *Trid.* supra, ubi definit esse utilem, & præparare ad gratiam. Idem dicit sess. 6, c. 8. his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, anathema sit.* Idem evincitur ex Scriptura apud *Bellarm.* hìc l. 2. c. 17. & *Ripald.* n. 35. quæ hortatur ad ejusmodi metum, utì *Matthæi* 10. v. 28. *Timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Similiter SS. PP. & specialiter *S. Augustin.* apud *Ripald.* s. 5. & 6. sic in ps. 127. loquens de puro metu, quo quis *timet, ne mittatur in gehennam, ait, bonus est & iste timor, & utilis est.*

798 §. 4. Multi alii Rigoristæ dicunt attritionem universim, alii saltem attritionem illam, quæ ex solo metu gehennæ concipitur, non posse esse supernaturalem : sed oppositum satis declarat *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 4. ubi docet eam *donum Dei esse & Spiritûs S. impulsum..... qua*

pœni-

*pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.... Et qui eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*; nihil autem naturale potest conducere vel disponere ad gratiam, uti tenent Catholici omnes : Hinc *Alexander VIII.* damnavit has duas prop. 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis. 16. Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei, non est bonus motus ac supernaturalis.* Ratio hactenus dictorum à priori est, quia ordinatè amare seipsum est honestum, non minùs quàm ordinatè amare alterum, ergo velle bona, naturæ suæ ùt rationali convenientia, & nolle mala illi naturæ suæ ùt rationali disconvenientia, est maximè honestum, atqui beatitudo æterna est bonum naturæ ùt rationali conveniens, E contrà damnatio æterna est malum naturæ ùt rationali disconveniens, uti per se patet, ergo maximè honestum est velle beatitudinem & nolle gehennam, ergo etiam maximè honestum est ex spe beatitudinis & metu gehennæ dolere de peccato, tanquam de illo, quod impedit beatitudinem & causat gehennam, ergo maximè congruè poterit principium supernaturale in talem attritionem influere.

*Obji.* 1. Perfecta charitas non mittit foràs actum honestum, sed *perfecta charitas foràs mittit timorem*, uti habetur 1. *Joannis* 4. v. 18. ergo timor non est actus honestus. R. Hoc solutum esse n. 773. in fine. Et si argumentum valeret, nullus timor Dei esset honestus. 799

*Inst. S. Aug.* & alii PP. sæpè reprehendunt timorem servilem; è contrà commendant timorem castum sive filialem. R. Quando repre-

hendunt timorem servilem, intelligunt vel mundanum, vel serviliter servilem, uti ostendit *Le Dent* à n. 87. Quandoque volunt esse minùs perfectum, uti ostendit idem *Le Dent* n. 98. Quandoque tantùm volunt non sufficere solo ad justificationem. Neque verum est, quòd per timorem castum semper intelligatur filialis, sed quandoque intelligitur talis, qui secundùm honestatem cujuscunque virtutis elicitur.

800 *Obji.* 2. Detestatio peccati concepta ex solo metu gehennæ necessariò habet adjunctum affectum, quo quasi dicit, peccarem, si gehenna non esset, ergo semper est serviliter servilis. 3. n. ant., quod directè est contra *S. Tho.* 2. 2. 9. n. 4. ubi probat dari timorem servilem sine servilitate: Ratio est, quia sicuti ille, qui dicit, nolo furari, quia furtum causat patibulum, non ideo dicit se furaturum, si furtum non causaret patibulum, sed ab hoc præscindit, attamen vi hujus actûs absolutè vult non furtum: item sicuti actus, quo dico, nolo hodie peccare, est honestus, neque ideo dico me velle cras peccare, sed ab eo præscindo, ita attritus ex metu. Deinde certum est, cum detestatione ex metu gehennæ stare posse alium actum detestationis ex amore Dei, sed cum hoc actu amoris stare non potest ille affectus conditionatus, ergo non necessariò conjunctus est cum detestatione ex metu gehennæ. Denique metus gehennæ non necessariò impellit ad conditionatam ejusmodi volitionem peccandi, sed potiùs ad absolutam nolitionem peccandi, quia nempe illa ipsa conditionata volitio causaret gehennam, ergo ex hoc, quòd habeam metum gehennæ, non potest sequi, quòd habeam volitionem peccandi, sub

condi-

conditione, si non esset gehenna, sed potiùs sequitur, me habere nolitionem absolutam peccandi.

*Inst. S. Tho.* ad 1. dicit timorem tum esse cum servilitate, quando non amat justitiá, sed solùm pœnam timet, ergo attritio ex puro metu non est honesta. *R.* Tantùm vult debere adesse amorem justificationis & spem veniæ, ita ut velit liberationem à pœna per liberationem à culpa.

*Obji.* 3. Detestans peccatum ex solo metu 801
gehennæ non curat de hoc, quòd peccatum sit malum Deo, adeoque æquivalenter dicit, detestor, quia mihi malum est, non detestaturus, si tantùm esset malum Deo. *R.* n. ass., sicuti enim possum per intellectum judicare peccatum esse fugiendum, quia causat gehennam, neque per hoc nego esse fugiendum, quia Deo malum est, sed ab hoc præscindo; ita possum per voluntatem detestari peccatum, quia causat gehennam, non excludendo voluntatem detestandi, quia Deo malum est, sed quasi præscindendo ab eo. Ratio à priori est, quia quamvis causare gehennam non sit omnis malitia peccati, tamen est sufficiens, ut propter eam absolutè detester peccatum, & hic actus detestationis non pugnat cum detestatione etiam ideo, quia Deo malum est, ergo quamvis vi hujus actûs, quo detestor, quia causat gehennam, non detester, quia Deo malum est, non ideo sic positivè dispositus sum, ut non detestarer, si tantùm Deo malum esset: neque ideo contemnitur Deus, nam aliud est Deum vi illius actûs non præferri positivè omnibus rebus, aliud est postponi omnibus rebus, hæc enim duo differunt toto cœlo.

*Inst.* 1. Cessante motivo detestandi cessat 802

detestatio, ergo quando detestor peccatum propter pœnam, si cessaret pœna, non detestarer peccatum, ergo virtualiter dico, non detestarer, nisi esset pœna. *R.* 1. Simili argumento probabo actum, quo nunc amo Deum consideratâ solâ illius misericordiâ, esse inhonestum, nam cessante motivo misericordiæ cessaret meus amor Dei, ergo virtualiter dico, non amarem Deum, si non esset misericors. *R.* 2. Cessante omni motivo detestandi cessat omnis detestatio, item cessante aliquo motivo detestandi cessat aliqua detestatio, c., cessante aliquo motivo detestandi cessat omnis detestatio, n., ergo si cessaret pœna, non detestarer peccatum, vi hujus actûs, quo detestor ex motivo pœnæ, non detestarer vi alterius actûs & motivi, quod non excluditur per motivũ pœnæ, n. 1. & 2. seq.

803 *Inst.* 2. Qui amat filium Titii propter Titium patrem, ille ita comparatus est, ut malle perdere filium quàm patrem, ergo qui atteritur de peccatis propter pœnam, ità comparatus est, ut mallet peccare quàm pœnam subire. *R.* Prior ita comparatus est, si nullum aliud sit motivum amandi filium quàm præcisè pater, cui aliud adsit motivum aliunde magis amandi filium, n. Pro odio autem peccati semper adest aliud motivum quàm præcisè pœna, nam ideo pœna absterret à peccato, quia peccatum cognoscitur aliunde habere malitiam distinctam, quâ causat pœnam, ergo semper adest aliud motivum detestandi peccatum.

804 *Inst.* 3. Plerique sic detestantes peccatum propter pœnam, peccarent, si abesset pœna. *R.* Peccarent vi actûs, quem tunc absolutè haberent, n., vi actûs alterius, quem fortè habituri essent,

trans.

trans., nam hoc est incertum, sicuti autem nemo est bonus per actum, quem sub hac vel illa conditione habiturus esset, ita nemo per talem actum conditionatum est malus.

*Obji.* 4. actus appretians pœnam supra culpam est inhonestus, quia certum est culpam esse detestabiliorem quàm pœnam, sed attritio ex metu pœnæ appretiat pœnam supra culpam, quia movetur pœnâ, ut detestetur culpam, ergo. R. n. min. sicuti enim si amem Deum propter gratiam mihi datam, non ideo appretio gratiam supra Deum, nec ideo apprehendo tantùm boni esse in gratia, quantùm est in Deo, ita hìc. Ratio à priori est, quia objectum in se vel optimum vel pessimum potest amari vel odio haberi propter diversa motiva, quorum singula quamvìs non adæquent totam amabilitatem vel odibilitatem objecti, tamen sint sufficientia ad excitandum amorem vel odium, eò quòd de se reddant simpliciter dignum amore vel odio, quamvìs alia abessent, ergo non est opus, ut apprehendam tantam esse bonitatem vel malitiam in motivo, quanta est in objecto amabili vel odibili. 805

*Inst.* 1. Attritus plùs fugit pœnam quàm culpam, & pœna est ipsi horribilior quàm culpa, nam *quod propter alterum oditur, minùs oditur*, inquit S. *Th.* in supplem. q. 2. a. 1. ad 4. atqui hoc est inordinatum, ergo. R. n. min., nam quamvìs exercitè vi hujus actûs plùs fugiat pœnam quàm culpam, tamen signatè non dicit pœnam esse plùs fugiendam, neque positivè excludit alium actum, quo culpa plùs fugiatur quàm pœna, sed talem actum compatitur, imò per hoc ad talem actum disponitur. Et hoc non 806

esse inordinatum, patet in simili, si enim moderatè fugiam mortem, quæ est pœna peccati, non ideo inordinatè ago, quamvis isto actu non fugiam peccatum : item si moderatè amem hominem creatum à Deo, non est inordinatio, quamvis isto actu non amem Deum. Et ratio horum omnium à priori est, quia non semper tenemur elicere actus perfectissimos. Deinde inordinatum non est plùs fugere pœnam quàm culpã, si simul reipsa plùs fugiatur culpa quàm pœna, quod hìc fit, nam attritus odit quidem magìs pœnam quàm culpam, in quantùm ex odio pœnæ movetur ad odium culpæ, sub alia tamen ratione etiam magìs odit culpam quàm pœnam, in quantùm ordinat odium pœnæ ad odium culpæ, eoque utitur tanquam medio ad fugiendam culpam.

807 *Inst.* 2. Inordinatum est ordinare Deum ad creaturam tanquam medium ad finem, ergo etiam inordinatum est ordinare detestationem culpæ ad evitationem pœnæ, hoc autem facit attritus, nam ideo detestatur culpam, ut effugiat pœnam, ergo. R. Dato antec., n. consl. Omnis creatura necessariò est propter Deum, & Deus necessariò est finis ultimus omnis creaturæ, hinc inordinatum esset velle usurpare Deum tanquam medium ad creaturam : è contrà tam detestatio peccati quàm evitatio pœnæ potest esse vel medium vel finis proximus ad aliquid aliud obtinendum, dummodo ultimatè tendant ad Deum, detestatio autem peccati est medium aptissimum ad evitationem pœnæ, ergo non est inordinatum ordinare detestationem peccati ad evitationem pœnæ tanquam ad finem proximum. *Dixi*, Dato antec. nam honestè

nestè opto Deum mihi ; item honestè ordino amorem Dei ad meam beatitudinem , & hoc sensu ordino Deum ad me tanquam ad finem , cui, proximum, ita ut non excludam, quominus saltem per alium actum me ipsum ordinem ad ipsum Deum tanquam finem , cui, ultimatum. Et universaliter loquendo , non esse inhonestũ aliquid perfectius ordinare ad aliquid minùs perfectum, patet in plurimis exemplis , nam incarnatio Verbi est ordinata ad salutem hominum; Sacrificium Missæ sæpe ordinatur ad obtinendam sanitatem corporis &c., cùm tamen illa priora sint secundùm se perfectiora.

*Obji.* 5. Actus disponens ad justificationem 808
debet esse voluntarius, sed attritio ex solo metu concepta non est voluntaria, quia metus causat involuntarium , ergo. *R.* n. min. , cujus probationem distinguo , metus causat involuntarium simpliciter , n. involuntarium secundùm quid , transeat, sicuti autem voluntarium simpliciter sufficit ad peccandum , ita etiam ad honestè & supernaturaliter operandum. *Dixi*, transeat, quia sic debet subdistingui : Metus retrahens in oppositum illius , ad quod voluntas inclinat, causat involuntarium secundùm quid, c. Metus impellens ad illud ipsum , ad quod voluntas de facto inclinat , causat involuntarium secundùm quid , n., nam hic metus potiùs auget voluntarium , non aliter ac concupiscentia, sicuti si libenter volenti bibere miner mortem, nisi bibat , hic metus mortis non facit potum minùs sed potiùs magis voluntarium. Jam verò metus gehennæ movet ad hoc ipsum , ad quod voluntas de facto inclinat , nam voluntas pœnitentiæ inclinat ad delendum peccatum ,

ex

ex isto enim fine atteritur & pœnitet, ergo metus gehennæ movet secundùm inclinationem voluntatis, ergo non causat involuntarium nequidem secundùm quid.

810 *Inst.* 1. Qui ex metu naufragii projicit merces, habet metum impellentem ad projiciendas merces, & tamen hic metus causat involuntarium secundùm quid, ergó metus etiam impellens causat involuntarium. *R.* Per metum impellentem intelligo eum, qui movet ad hoc, quod est conforme inclinationi voluntatis, metus autem impellens ad ejiciendas merces ordinariè est contra inclinationem voluntatis, quia ratione damni vellet non ejicere, adeóque metus ille ratione damni ex projectione secutum debet dici esse absolutè retrahens, & contra inclinationem voluntatis, adeóque causat projectionem secundùm quid involuntariam. Quod si abesset metus damni, utì si alius simul navigans ei sponderet dare triplum pretium mercium projectarum, projectio nequidem secundùm quid esset involuntaria.

810 *Inst.* 2. Talis projiciens merces communiter est ita dispositus, ut vellet non projicere, si abesset periculum naufragii, ergo similiter qui ex metu gehennæ vult abjicere peccatum, sic est dispositus, ut vellet non abjicere, si abesset metus gehennæ. *R.* n. conf. In projiciente merces est metus damni retrahens à projectione mercium, utì supponitur: è contra in attrito est metus tantùm impellens. Deinde illa inefficax volitio retinendi merces est licita, & non impedit, quo minùs reipsa projiciat merces ac evadat periculum, ergo in projiciente merces stat cum efficace volitione projiciendi inefficax volitio non pro-

projiciendi, si abesset metus damni, sicuti in ægroto stat volitio inefficax non sumendi medicinam, si aliter posset obtinere sanitatem, quia nempe hæc volitio inefficax non impedit, quo minùs medicina operetur sanitatem. In attrito est oppositum, nam volitio illa non abjiciendi peccatum, si abesset metus gehennæ, esset novum peccatum, sicque impediret, quominus abjiceretur peccatum & evaderetur gehenna, ergo cum efficace attritione ex metu gehennæ non stat volitio etiam inefficax non abjiciendi peccatum, si abesset metus gehennæ. Itaque ad dignoscendum, an volitio efficax alicujus objecti patiatur secum volitionem inefficacem oppositi, hæc est universalis regula, quòd tum patiatur, si non impediat obtentionem finis per volitionem efficacem intenti, E contrà si hanc obtentionem impediat, non compatiatur sed excludat.

*Inst.* 3. Ergo attritio ex metu gehennæ nihil habebit involuntarii. *R.* Nihil habebit involuntarii ratione metûs gehennæ, qui impellit, c. ratione alterius displicentiæ inefficacis, quæ comitatur. n. cùm enim omnis actus honestus fugæ, qualis est attritio, imò & contritio, sit partim detestatio mali inhonesti, cujus fruitio est delectabilis, partim prosecutio boni honesti, cujus adeptio est molesta, communiter habet aut saltem habere potest concomitantem aliquam inefficacem displicentiam carendi isto delectabili & amplectendi illud molestum: hæc tamen inefficax displicentia non debet explicari per comparationem serviliter servilem, per quam vellet peccatum, nisi metueret gehennam, sed per inefficax desiderium obtinendi justifi- 811.

stificationem sine difficultate & molestia, quod inefficax desiderium est homini quasi connaturale & necessarium, ideoque nullum est peccatum.

§12 *Obji.* 6. Maximè naturale est homini sperare præmium & timere pœnam, ergo actus ex spe præmii vel ex timore pœnæ non est supernaturalis. *R.* Maximè naturale est homini sperare & timere, sicuti oportet utiliter ad salutem, n. sine utilitate ad salutem, c. antec. & n. cons., nam etiam maximè naturale est homini diligere parentes, alere filios, conservare propriam vitam, timere offensam Dei, & tamen illi actus possunt esse supernaturales. Ratio à priori est, quia gratia non est contra, sed secundùm naturam rectè ordinatam, ergo ex hoc, quòd aliquid sit secundùm naturam rectè ordinatam, non sequitur non esse secundùm gratiam & supernaturale. Ut tamen ejusmodi actus sint supernaturales, non debent sistere in fine naturæ seu in conformitate cum natura rationali præcisè, sed debent ulteriùs tendere ad conformitatem cum ratione æternâ, uti n. 792. dictum est.

*Inst.* Talis attritio concepta ex metu gehennæ, pro objecto materiali habet peccatum, pro formali habet malum gehennæ, ergo totum ejus objectum est merè naturale, ergo ipsa non est supernaturalis. *R.* Pro formali habet malum gehennæ, sed propositum per fidem supernaturalem, tanquam infligendum à Deo, secundùm dicta l. 2. n. 19., sub quo respectu habet rationem objecti supernaturalis, & ideo in actum circa tale objectum influet principium supernaturale, quod in istum actum refundet supernaturalitatem.

§13 *Q.* 110. *An attritio ex spe præmii, vel etiam ex*

*solo*

*solo metu pœnæ concepta posit esse absolutè efficax, & positivè excludere omnem voluntatem peccandi.* R. Negant *Lupus, Farvacq. Castorienſis, Le Drou* & alii, ſed affirmandum eſt, & *probatur* 1. auctoritate, nam *Exodi 20. ℣. 20.* dicitur, *venit Deus, ut terror illius eſſet in vobis & non peccaretis. Pſalmo* 111. *℣. 1. Qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. Proverb. 14. ℣. 16. Sapiens timet & declinat à malo. Eccli. 1. ℣. 27. Timor Domini expellit peccatum. Joannis 5.* ſignificavit Chriſtus timore mali poſſe excludi voluntatem peccandi, quando languido dixit, *Jam noli ampliùs peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Trident.* ſeſſ. 6. can. 8. ait, *ſi quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe &c. anathema ſit*, ergo ſecundùm *Trid.* vi metûs gehennæ *à peccando abſtinemus.* ſeſſ. 14. De pœn. c. 4. dicit, quòd attritio prout diſtincta à contritione, diſponat ad gratiam in Sacramento impetrandã, *ſi voluntatem peccandi excludat*, ergo ſupponit poſſe excludere, alioquin loqueretur ineptè, ac ſi dicerem, homo eſt brutum, ſi ſit equus; homo poteſt volare, ſi habeat alas ad volandum aptas, ſuppoſitio enim talium conditionum eſt de re impoſſibili vel apertè falſa. *Alexander VII.* in Decreto, quod referam n. 875. dicit, *Attritio quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi*, ergo manifeſtè ſupponit poſſe excludere SS. PP. nominatim *Hieron. Cyprian.* cum *Origene, Baſilius, Ambroſius, Proſper* apud *Le Dent* à n. 62. docent timorem gehennæ poſſe eſſe efficacem in ordine ad excludendam voluntatem peccandi: & ſpecialiter ita ſenſiſſe *S. Aug.* fusè defendit *Boſco* ſ. 3. concl. 3. ſic enim l. 2. de

Geneſi

Genesi contra Manich. c. 28. ait, *Nihil sic retinet homines à peccatis, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* S. Th. 2. 2. q. 19. a. 2. O. ait, *Homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur eique inhæret.* Q. 17. a. 8. O. *Aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quòd timens ab ipso punitus cessat à peccato.* P. 3. q. 85. a. 5. O. *Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur.* Catechismus Romanus De pœn. c. 5. postquam locutus est de contritione perfecta, subdit, *quamquam si id minùs consequi nobis liceat, ut perfecta sit, vera tamen & efficax contritio esse potest.* Et quòd non intelligat contritionem imperfectam, attamen procedentem ex motivo charitatis, utì explicat *Le Drou* d. 4. c. 4. §. 5., sed intelligat attritionem ex inferiori motivo etiam pœnarum conceptam, patet ex verbis, quæ statim addit, *Sæpe enim usuvenit, ut quæ sensibus subjecta sunt, magìs quàm spiritualia nos afficiant.* Accedit pius asceta, Th. De Kempis De imit. Christi l. 1. c. 24. *Bonum est, ut si necdum amor à malo te revocat, timor gehennalis coerceat.* Similiter S. Ibid. l. 2. sent. c. 8. ait, *Antè necesse est timore converti ad Deum, ut metu futurarum pœnarum carnales illecebræ vincantur.*

814 *Probatur* 2. Ratione, quia potest dari tale desiderium cœli, & talis metus inferni, qui determinet ad absolutè adhibenda media necessaria pro obtinendo cœlo & pro declinando infer-no, si enim dari possit in homine tale desiderium boni temporalis & talis metus mali temporalis, qui determinet ad absolutè adhibenda media necessaria pro obtinendo illo bono & pro evitando illo malo, multò magis respectu beatitudinis & damnationis æternæ, quæ scien-

tur habere plùs efficaciæ ad movendum ratione majoris bonitatis vel malitiæ suæ: atqui medium obtinendi cœlum & declinandi infernum est fugere omne mortale, ergo potest dari desiderium cœli & metus inferni absolutè determinans ad fugiendum omne mortale, ergo etiam dari potest attritio efficax ex illis motivis concepta. Itaque ratio à priori hæc est, quia intentio efficax finis infert electionem medii necessarii, sed attritio ex spe vel metu est intentio efficax obtinendi beatitudinem aut declinandi infernum, medium autem ad ista necessarium est vitare omne mortale, propter quod Deus negat beatitudinem vel infligit infernum, ergo attritio ex spe beatitudinis vel ex metu inferni infert electionem vitandi omne mortale.

*Respondent* 1. Metum tantùm excludere pec- 815.
cata externa, non autem interna. *Contra est* 1. nam ratio allata n. 814. & reliqua argumenta probant excludere omnia mortalia, ergo etiam interna. 2. *Trid.* n. 795. relatum directè concludit contra *Lutherum*, utì manifestè ostendit *Le Dent* c. 1., sed *Lutherus* dicebat attritionem ideo hominem facere hypocritam, quia excluderet peccata tantùm externa, ergo ex *Trid.* certum est attritionem excludere etiam peccata interna. 3. Ideo attritio potest excludere peccata externa, quia est voluntas efficax, v. g. vitandi gehennam, quæ incurritur per peccata externa, sed eadem gehenna incurritur etiam per peccata interna, ergo attritio etiam hæc potest excludere. 4. Superbia & hypocrisis excludunt peccata externa, sed attritio supernaturalis plùs potest quàm illa, ergo potest excludere peccata etiam interna.

816. *Resp.* 2. Timorem pœnæ posse excludere voluntatem peccandi, non ab animo attriti, sed tantùm ab ipso actu attritionis. *Contra est* 1. Attritio supernaturalis nunquam in se est nec potest esse voluntas peccandi, ergo à se semper excludit voluntatem peccandi, ergo quando *Trid.* dicit, *Si voluntatem peccandi excludat*, non intelligit, si excludat ab actu attritionis, sed ab ipso attrito. 2. Saltem tùm, quando attritio in se non est voluntas peccandi, facere potest, ut à peccando abstineamus, ergo attritio potest etiam ab attrito excludere voluntatem peccandi. Conseq. patet, antec. autem definitur à *Trid.* sess. 6. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* ex quibus verbis manifestum est nos ex vi metûs gehennæ abstinere posse à peccando, adeoque hunc metum posse ab animo excludere voluntatem peccandi. 3. Attritio excludit ab attritione voluntatem peccandi, quia est nolitio peccandi, ergo etiam excludit ab attrito, qui habet istam nolitionem peccandi, in eodem enim attrito non potest simul esse nolitio & volitio peccandi.

817. *Resp.* 3. Attritionem ex metu excludere voluntatem peccandi, negativè tantùm, sicuti somnus vel ingens distractio. *Contra est.* 1. attritio excludit, quia est actus positivus fugæ directè tendens in peccatum tanquam positiva detestatio illius ex hoc motivo, quia causat gehennam, ergo positivè exludit voluntatem peccandi. 2. Ideo excludit, quia est positiva nolitio peccandi, ergo positivè excludit.

*Resp.*

*Resp.* 4. Metum gehennæ non per se ipsum immediatè, sed tantùm mediatè excludere voluntatem peccandi, quia movet ad charitatem, quâ omnis voluntas peccandi excluditur. *Contra est* 1. nam argumenta nostra, & præsertim illud n. 814. aliatum probat, quòd per se ipsum excludat. 2. Possum adjutus Dei gratiâ ita aversari aliquod malum, ut efficaciter nolim, quidquid potest mihi causare illud malum, ergo possum adjutus Dei gratiâ ita detestari gehennam, ut efficaciter nolim quodvis peccatum potens mihi causare gehennam. 3. *Alex.* VII. in Decreto, quod referam n. 875. dicit controverti, an attritio ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi *sine necessitate aliqualis dilectionis Dei* sufficiat cum Sacramento, controversia autem erat de attritione proximè sufficiente & per se ipsam excludente voluntatem peccandi, ergo ex mente *Alex.* VII. potest talis attritio per se ipsam excludere voluntatem peccandi. 818.

*Obji.* 1. *SS. Aug. Greg. Bernard. Tho. Bonav.* dicunt solo timore non excludi voluntatem peccandi, nisi dilectio charitatis accesserit. R. Plerumque loquuntur de timore serviliter servili. Quandoque tantùm volunt hominem per solum timorem non *perfectè*, non *purè*, non satis *filialiter* converti ad Deum. Quandoque volunt solo timore sine Sacramento non obtineri gratiam, & speciatim quando commentantur in psalmos, significant in antiqua lege peccatum sine dilectione remitti non potuisse. Et unum ex his convenire, patebit consideranti omnes textus, quos fusè adducit *Le Dreu* totâ diss. 2:, & adhuc fusiùs expendunt *Ripalda* De 819.

ente supern. tr. 3. d. 22. s. 8. *Bosco* s. 3. concl. 3. Le Dent c. 5. §. 4. *Francol.* De dolore l. 1. c. 3. Dece tero, quod aliquoties videtur insinuari, quasi semper peccatum sit operari ex timore & non ex charitate, defendi non potest, uti constat ex dictis, partim hìc n. 796. partim l. 1. n. 691. & l. 2. n. 132. Unde si oppositum haberet S. *Aug.* aut alius è SS. PP. non esset audiendus, sed Ecclesia, uti dictum est l. 1. à n. 211.

820. *Inst. S. Tho.* 2. 2. q. 19. a. 9. O ait, *Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritûs sancti, licèt sit à Spiritu sancto, quia, ùt Augustin. dicit, potest habere annexam voluntatem peccandi.* Et 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2. *Lex vetus dicitur prohibere manum non animum, quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit, sicuti recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ abstinet à peccato, & propter hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere.* R. *Ad* 1. *Alensis*, S. *Bonav.* & alii numerant timorem servilem inter septem dona Spiritûs S., videturque idē apertè tenere S. *Aug.* cum *Bellarm.* De pœn. l. 2. c. 17., unde quando ipse & S. *Th.* dicunt non esse donum Spiritûs S., eò quòd possit habere adjunctam voluntatem peccandi, intelligunt timorem aliquem, bonum quidem (& qui sit actus virtutis, secundùm dicenda n. 87. in obj. 9.) sed ex vi modi tendendi inefficacem, cùm è contra ad donum Spiritûs S. requiratur, secundùm S. *Th.* 1. 2. q. 68. a. 8. O., ut faciat promptū ad actus excellentes, adeoque ut sit actus efficax, qualis etiam debet esse attritio, ut voluntatem peccandi excludat. *Ad* 2. Etiam ibi loquitur de timore quodam inefficace, qui non determinet ad

ad efficaciter volendam liberationem à culpa, vel ad efficacem vitæ emendationem.

*Obji.* 2. Spes & timor sunt virtutes tantùm particulares oppositæ particularibus tantùm vitiis, ergo non excludunt omnia peccata. *R.n.* antec., nam spei opponitur contemptus beatitudinis sive neglectus finis ultimi, qui inest omni mortali : item spei beatitudinis & timori gehennæ opponitur temeritas, quâ homo se exponit periculo amittendæ beatitudinis & incurrendæ gehennæ, quæ temeritas etiam inest omni mortali. 82 Pi

*Obji.* 3. Desiderium præmii & metus pœnæ reducuntur ad spem, sed spes stat cum aliquo peccato mortali, ergo. *R.* Habitum spei stare cum peccato mortali non opposito fidei aut spei; item actum spei stare cum peccato mortali habituali; denique etiam aliquis actus imperfectus spei stat cum peccato mortali actuali, sed actus spei principalis & famosus, qui est desiderium absolutè efficax beatitudinis, ex quo concipi debet attritio, non stat cum mortali actuali, alioquin absolutè efficaciter vellet beatitudinem, uti supponitur, & non vellet absolutè efficaciter, quia non vellet absolutè negationem peccati, quæ est medium necessarium ad beatitudinem. 82 Zi

*Inst.* Actus fidei vel alterius similis virtutis non excludit omnem voluntatem peccandi, ergo nec actus spei. *R.* 1. Actus fidei vel alterius similis virtutis non excludit omnem voluntatem peccandi, ergo nec actus charitatis. *R.* 2. n. conf. quia exclusio sive nolitio omnis mortalis est medium proximè necessarium ad obtinendam beatitudinem, in quam tanquam

finem efficaciter tendit spes, non item ad elicien-
endum actum fidei vel alterius virtutis.

823. *Obji.* 4. Attritio fundatur in amore sui, sed amor sui non excludit omnem voluntatem peccandi, homines enim peccant, quia se amant. R. Attritio fundatur in amore sui ordinato, quo quis sibi absolutè vult bene esse in altera vita, q, in amore sui inordinato, vel tali, quo quis sibi non absolutè vult bene esse, sed tantùm respectivè ad hoc vel illud commodum hujus vitæ, n. Medium autem necessarium ad hoc, ut absolutè bene sit in altera vita, est evitatio omnis peccati mortalis, ergo ordinatus amor sui, in quo fundatur attritio, determinat ad evitationem omnis mortalis.

824. *Obji.* 5. Attritus ex metu gehennæ non odit peccatum sed tantùm gehennam, nam illud propriè non habetur odio, quod non propter se sed propter aliud odio habetur, sic homo propriè non habetur odio, quando propter peccata habetur odio, sed sola peccata odio habentur, ita *Castorienſis*, & *Conf.* ex S. *Augst.* Epist. 144. *Qui gehennas metuit, non peccare metuit sed ardere.* R. n. ass. quod si verum esset, non peccarem odiendo proximum, quia mihi damnum intulit, tum enim non odissem proximum, sed tantùm damnum meum, quod damnum licitè odi. Itaque licèt per attritionem ex metu gehennæ non oderim peccatum propter se, sed propter pœnam, attamen simpliciter odi peccatum, nam hoc ipso, quòd oderim propter pœnam, odi malitiam, quæ causat pœnam, & malitia illa est ipsum peccatum, ergo odi ipsum peccatum. *Ad Conf.* dico S. *Aug.* ibi loqui de timore cum servilitate.

*Inſ.*

*Inst.* Sic attritus non odit peccatum secundùm se, sed tantùm prout est inducens pœnam, ergo non tollitur affectus ad peccatum secundùm se, quia hic affectus non potest tolli nisi per displicentiam peccati secundùm se. *R.* n. cons. & ejus probationem, quamvis enim displicentia peccati propter pœnam non opponatur directè peccato secundùm se, attamen opponitur indirectè, in quantùm peccatum secundùm se est inductivum pœnæ, quæ efficaciter displicet. Vide dicenda n. 867.

*Obji.* 6. Propria ratio malitiæ in peccato mortali consistit in contemptu amicitiæ Dei, sed spes & timor non habent ullam repugnantiam cum contemptu amicitiæ Dei, quia hanc non considerant sed sola charitas, ergo sola charitas habet repugnantiam cum propria ratione malitiæ, quæ est in mortali. Ita *Farvacq.* 825.

*R.* 1. n. min. quamvis enim spes & timor non considerent, sed præscindant ab amicitia Dei, tamen per hoc excludunt contemptum amicitiæ Dei, quia cum hoc contemptu stare non possunt, alioquin efficaciter speraretur & non speraretur beatitudo, efficaciter fugeretur & non fugeretur infernus, nam scitur per fidem, quod contemptus amicitiæ Dei, qui inest omni mortali, demereatur beatitudinem & mereatur infernum. *R.* 2. Dist min. spes & timor non habent repugnantiam cum contemptu amicitiæ positivæ Dei, transeat, amicitiæ negativæ, sive non inimicitiæ, subdist., non habent repugnantiam directam, transeat, indirectam, n. min. & cons., nam volendo obtinere beatitudinem & fugere gehennam debent saltem indirectè velle habere Deum non inimicum, quia per fidem

scitur Deum alioquin negaturum beatitudinem & illaturum gehennam, volitio autem efficax non inimicitiæ Dei excludit omnem volitionem peccandi mortaliter, quia scitur Deum per omne mortale reddi inimicum.

826. *Obji.7.* Desiderium efficax cœli stat cum mortali actuali, ergo attritio concepta ex efficaci desiderio cœli non excludit omnem voluntatem peccandi. *Prob.antec.* Quando finis obtineri potest duplici medio, tum ad desiderium efficax finis non est opus velle determinatè unum, sed sufficit velle efficaciter hoc vel illud, atqui cœlum est finis, & cœlum obtineri potest duplici medio, nempe vel non peccandó, vel si pecces, in fine vitæ pœnitendo, ergo ad desiderium efficax cœli non requiritur determinatè, ut nolim peccare, sed sufficit, ut vel nolim peccare, vel si velim peccare, ut velim in fine vitæ pœnitere, ergo desiderium efficax cœli stat cum voluntate actuali peccandi. R. Desiderium efficax & absolutum cœli stat cum mortali actuali, n. desiderium suo modo efficax sed non absolutum, c. antec. & n. cons. Jam verò ad attritionem, quæ ad justificationem dísponat, requiritur desiderium efficax & absolutum cœli, id est, desiderium non restrictum ad certum medium vel ad certum tempus, sed perfectum & se extendens ad omnia media necessaria, & ad omne tempus, debet enim esse propositum nunquam peccandi imposterum : qui autem vult nunc peccare & pœnitere pro futuro, non habet respectu temporis præsentis desiderium efficax cœli, sed tantùm respectu futuri, sicuti ille non dicitur absolutè efficaciter desiderare sanitatem, qui cùm possit, non vult nunc adhibere medicinam, quam vìs efficaciter velit adhibere

postea. Et idem est dicendum de attritione ex metu gehennæ, ut enim hic metus possit causare attritionem sufficienter disponentem ad justificationem, debet esse absolutus & non restrictus ad certum medium vel tempus.

*Obji.* 8. Qui habet voluntatem efficacem vitandi omne peccatum, debet potius eligere infernum quàm peccatum, sed nemo potest ex odio inferni potiùs eligere infernum quàm peccatum, ergo. R. 1. absolutè n. maj. quia secundùm dicta n. 732. ad contritionem, & consequenter etiam ad volitionem efficacem vitandi omne peccatum, non est opus comparare peccatum cum inferno, nec est opus proposito se extendente ad hypotheses, quæ nunquam contingent, sed satis est habere actum absolutum, cum quo stare non possit actualis volitio ullius peccati. R. 2. Dist. maj. qui habet voluntatem efficacem vitandi omne peccatum, debet potiùs eligere infernum quàm peccatum, si per illam suam voluntatem appretiet peccatum super omnia, transeat, si non appretiet super omnia., n., attritio autem non necessariò ex sola vi sua appretiat peccatum super omnia, cùm non appretiet suprá motivum suum, quod est pœna, & a quo habet vim & efficaciam suam. Tamen R. 3. Dist min. Nemo potest ex odio inferni apprehensi cum reatu condignitatis ad infernum, potiùs eligere infernum quàm peccatum, n., nemo potest ex odio inferni apprehensi sine reatu condignitatis ad infernum potiùs eligere infernum, quàm peccatum, c., tum enim desinit habere circumstantiam, sub qua nunc habet rationē motivi universalis: Jam verò talis attritus ex metu inferni apprehensi cum reatu condignitatis ad infernum eligeret 827.

præ peccato infernum apprehensum sine reatu condignitatis ad infernum, talis enim actus est honestissimus, neque in illo est ulla repugnatia.

828. *Inst.* 1. Si ita attritus poneretur in circumstantiis, in quibus vel esset peccandum vel esset eligendus infernus, ipse potius peccaret quàm eligeret infernum, si enim ideo voluntas determinetur per metum inferni ad vitandum peccatum, quia vitare peccatum est medium ad vitandum infernum, ergo si committere peccatum esset medium ad vitandum infernum, voluntas etiam vi metûs inferni determinaretur ad committendum. R. Dist. antec. potiùs peccaret, ex vi alterius actûs, quem tum fortè haberet desinente attritione, transeat, ex vi attritionis, quam jam habet, n. antec. & ejus probationem, nam aliunde in peccato appareret intrinseca inhonestas causativa inferni: unde sicuti desiderium sanitatis determinat quidem ad consulendum Medicum, attamen non determinaret, si appareret eam consultationem esse peccatum mortale, ita à pari, quia appareret inhonestas peccati, per quod vitari deberet infernus, voluntas bene dispositа non deberet moveri ad vitandum infernum per tale medium, sed deberet potiùs permittere sequi infernum. Ratio à priori est, quia volitio efficax alicujus finis non necessariò determinat ad quodvis medium, sed ad medium hìc & nunc moraliter possibile & secundùm præsentem dispositionem eligibile, ergo quamvis infernus efficaciter moveat ad vitandum peccatum, non potest determinare ad peccandũ, ut viteturinfernus, quia peccatum per alium actum cognoscitur esse illicitum & secundùm præsentem dispositionem ineligibile.

*Inst.* 2. Saltem peccatum, quod committo per volitionem peccandi, si non esset infernus, non potest efficaciter retractari per attritionem conceptá ex metu inferni, ergo attritio ex metu inferni adhuc non potest excludere omnem voluntatem peccandi. *Prob. ant.* Ut illud peccatum retractem, debeo ita esse dispositus, ut non peccarem, si infernus non esset, sed non sum ita dispositus per attritionem ex metu inferni, nam meum peccatum fuit volitio peccandi, si infernus non esset, ergo peccatum illud non potest retractari per attritionem conceptam ex metu inferni. *R.* n. ant. ad probationem n. min. nam quamvis antehac, quando aberat ordinatus metus inferni, habuerim hunc actum, peccarem, si infernus non esset, nunc tamen detestor illum actum ex metu ordinato inferni, ergo nunc non habeo actum, quo velim peccare, si infernus non esset, sed habeo actum, quo volo simpliciter non peccare, quia infernus est. An autem, si infernus non esset, reipsa essem vel non essem voliturus peccare, ab illo nunc præscinditur, nec est opus determinare alterutram partem. 829.

*Inst.* 3. Saltem ille, cui sua prædestinatio esset revelata, non posset efficaciter atteri propter metum inferni; uti nec ille, qui invincibiliter putaret se debere vel peccare, vel ne peccaret, eligere infernum; denique nec ille, cujus peccato Deus non vellet infligere infernum. *R.* concedendo omnia assumpta, quia tales non possunt moveri metu inferni: Non primus, quia certus est se non damnandum: Nec secundus, quia simpliciter non timeret infernum, sed præ peccato amaret tanquam leviorem: Nec tertius, 830.

quia

quia sciret se in actu secundo non promereri infernum. His autem non obstantibus manet verum, quod diximus, nempe attritionem, ubi concipi potest & concipitur ex metu gehennæ, posse esse efficacem, & excludere omnem voluntatem peccandi, sicuti secundùm omnes bonitas Dei est motivum sufficiens ad efficaciter excludendam omnem voluntatem peccandi, & tamen in homine, qui putaret Deum velle, ut jurando leve mendacium impediret gravissima peccata aliorum, bonitas Dei non posset excludere voluntatem pejerandi, quia non posset nunc movere ad non jurandum mendacium, quod per accidens est.

831. *Colliges.* Quæ dicta sunt de attritione ex metu pœnæ æternæ, etiam valere de attritione ex metu pœnæ temporalis prout infligendæ à Deo propter peccatum mortale aut veniale, nam potest etiam esse honesta, supernaturalis & efficax, utì rectè *Carden.* in 2. crisi d. 36. n. 2.

832. Q. 112. *An attritio se solâ justificet sine aliquo Sacramento.* R. negativè, nam *Trid.* sess. 14. c. 4. expressè dicit attritionem ex consideratione turpitudinis peccati aut ex metu gehennæ vel pœnarum, per se non perducere ad justificationem extra Sacramentum; idem autem insinuat de omni alia attritione, v. g. quæ concipitur ex motivo religionis, obedientiæ &c: quia reipsa tum concipitur ex turpitudine peccati propter oppositionem ad istas virtutes. Deinde *Trid.* idibem attritionem, quæ non justificat, opponit contritioni conceptæ ex motivo charitatis, de qua sola dicit, quòd justificet, ergo intelligit de omni attritione, quæ non est ex motivo charitatis. Ratio autem est, quia attritio concepta ex

ex motivo infra charitatem non est perfecta conversio ad Deum, cùm non habeat Deum pro objecto, cui, ergo cùm mortale fuerit perfecta aversio à Deo, conveniens non fuit, præscindendo àprivilegio ex meritis Christi per aliquod Sacramentum nobis concesso, ut per attritionem recuperaretur gratia & amicitia Dei: Hinc audiendus non est *Rayn.* in Heter. tom. 15. p. 1. s. 1. pu. 5. n. 6. putans actum pœnitentiæ specialis, quo quis detestatur peccatum ex motivo reparandi jus divinum læsum, justificare sine Sacramento Ex hactenus dictis,

*Inferes* 1. Attritionem & contritionem in his convenire, quòd utraque sit actus, 1. Voluntarius & liber. 2. Honestus. 3. Supernaturalis. 4. Qui possit esse efficax. 5. Includens detestationem & dolorem formalem. 6. Includens propositum aliquod saltem virtuale non peccandi de cætero. Disconveniunt autem 1. & principaliter in motivo, quod respectu contritionis est bonitas Dei absoluta, respectu attritionis ordinariè est motivum virtutis charitate inferioris. 2. In causa suî, nam contritio est ab habitu charitatis theologicæ vel ab alio auxilio supplente habitum: attritio ab habitu inferioris virtutis vel ab auxilio similiter supplente. 3. In effectu seu modo disponendi ad gratiam, nam contritio justificat sine Sacramento, non autem attritio. 833.

*Inf.* 2. Attritionem, quæ concipitur ex spe præmii vel ex metu pœnæ, communiter saltem esse spem præmii vel metum pœnæ: conceptus tamen attritionis salvari posset, præscindendo ab eo, quòd in præmium vel pœnam tendat tanquam in objectum, quod, & materiale, est enim

nim satis, quòd quasi fundentur in spe vel metu, in quantùm procedunt ex motivo boni, quod est in præmio, aut mali, quod est in pœna, quod motivum proponitur cum spe vel metu.

1834. *Inf.* 3. Contritionem sic posse definiri, quòd sit detestatio & dolor de peccato propter absolutam bonitatem Dei super omnia dilectiattritionem autem, quòd sit detestatio & dolor de peccato ex motivo turpitudinis peccati, præmii aut pœnæ.

835. Q. 112. *An attritio concepta ex inferiore motivo quàm charitatis, sufficiat cum Sacramento ad justificationem.* R. Affirmativè, nam 1. ita docent Concilia & præsertim *Tridentinum.* 2. Idem tenent SS. PP. & speciatim *S. Augustinus.* 3. Idem tenet *S. Thomas.* 4. Idem tenent Authores & Theologi plurimi, oppositum autem tenent respectivè pauci. 5. Idem probat praxis Ecclesiæ & communis sensus fidelium. 6. Ratio idipsum evincit. Hæc omnia jam ordine declarabuntur.

836. Q. 113. *Quomodo ex Conciliis, & præsertim ex Tridentino probetur, quòd attritio sufficiat cum Sacramento.* R. *Franciscus Pinthereau* in libello, De attritionis sufficientia, à pag. 157. ostendit Concilium *Africanum & Florent.* ita docuisse: sed sufficiet solius *Tridentini* authoritas, ex quo *probatur* 1. nam secundùm *Trid.* contritio in genere, prout præscindit à perfecta & imperfecta, est pars Sacramenti pœnitentiæ, ergo etiam attritio. *Cons. patet*, quia *Trid.* attritionem vocat contritionem imperfectam. *Ant. autem prob.*, nam *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 3. ait: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus nempe contritio &c.* Et postea c. 4. contritionem, *quæ primum locum inter dictos pœnitentis*

*actus*

*actus habet*, dividit in perfectam & imperfectam & ad hanc dicit spectare attritionem conceptam etiam *ex gehennæ & pœnarum metu*, ergo etiam hæc attritio, secundùm *Trid.*, est pars Sacramenti pœnitentiæ, si nempe cætera etiam habeat, quòd sit supernaturalis & *voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*, utì ibidem additur. *Prob.* 2., nam *Trid.* ibidem c.4. loquens de contritione perfecta per charitatem dicit, quòd hominem extra Sacramentum justificet, ac subdens de contritione imperfecta seu attritione concepta ex motivo turpitudinis peccati vel metu gehennæ, sic habet, *Quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*, ergo secundùm *Trid.* attritio conjuncta cum Sacramento justificat.

*Respondent* 1. *Trid.* velle, quòd remotè disponat ad gratiam in Sacramento, quod inde colligitur, quia utitur exemplo Ninivitarum, qui *timore concussi pœnitentiam egerunt & misericordiam à Domino impetrârunt*, talis autem timor non fuit nisi remotè dispositio ad gratiam, utì omnes fatentur. *Contrà est* 1. *Trid.* vult attritionem habere illam vim disponendi in Sacramento, quam vim negat ipsam habere extra Sacramentum, utì patet ex verbis, sed tantùm negat ipsam extra Saramentũ habere vim proximè disponendi, certum enim est ex dictis nu. 832. quòd extrà Sacramentum remotè disponat ad gratiam, cùm disponat ad contritionem perfectam, ergo *Trid.* vult in Sacramento habere vim proximè disponendi. 2. Attritio secundùm *Trid.* habet talem vim disponendi ad gratiam. 837.

tiam cum Sacramento, qualem vim habet contritio sine Sacramento, utì patet legenti contextum, sed contritio secundùm *Trid.* habet vim proximè disponendi ad gratiam sine Sacramento, ergo eandem habet attritio cum Sacramento. 3. *Palav.* in historia *Trident.* l. 12. c. 10. n. 26. fatetur ante sess. 14. disceptatum esse, an attritio posset esse sine dilectione Dei, & cùm aliqui judicarent vix posse esse, decretum sic fuerat conceptum, ut expressè diceret contritionem imperfectam sufficere ad constitutionem Sacramenti, eò quòd sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix posset, cui doctrinæ cùm se opposuissent aliqui, dicentes posse esse sine dilectionis motu, & variarent sententiæ, decretum sic positum est, utì nunc habetur in c. 4., ergo, sicuti sermo fuerat, ita Concilium ibi loquitur de dispositione proxima ad gratiam. 4. Quando *Trid.* sess. 6. c. 6. dicit hominem per fidem, spem, inchoatam dilectionem, detestationem peccati disponi ad justificationem in Baptismo, loquitur de dispositione proxima, ergo etiam quando in sess. 14. c. 4. dicit hominem per attritionem disponi ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, loquitur de dispositione proxima, nam utroque loco loquitur similiter, & neutro addit, Tò *proximè*, sed necessariò intelligit, alioquin nihil diceret tanto Concilio dignum, cùm pateret esse remotam. 5. *Trid.* initio sess. 14. profitetur se, quamvis in sess. 6. c. 14. multa dixisset de Sacramento Pœnitentiæ, attamen hìc daturum exactiorem & pleniorem doctrinam de eo, hoc autem non feciisset, si attritionem putâsset esse tantùm dispositionem remotam, & hoc nullo verbo insinuâsset, sed potiùs

potiùs oppositum, sic enim totam ferè Ecclesiam in pernicioſissimum errorem induxisset. 6. Quod de Ninivitis additur, nihil ad rem facit, nam *Trid.* tantùm dicit impetrâsse misericordiam pro remissione pœnæ, & isto exemplo tantùm voluit probare timorem esse motum bonum ac supernaturalem, utì patet ex verbis statim subjunctis: *Quam ob rem falsò quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia docuit nec sensit.* Vide dicenda n. 886.

*Resp.* 2. *Trid.* loqui de attritione, quæ simul 838.
sit ex motivo charitatis aut ex amore Dei super omnia, sed imperfecto. *Contrà* est, quia hæc interpretatio, inquit *Gonet* d. 7. nu. 40. apertè repugnat Concilio, nam 1. *Trid.* loquitur de illa attritione, quam dicit concipi, vel ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu, ergo non loquitur de illa, quæ simul est ex motivo charitatis. 2. Loquitur de attritione, prout oppositа contritioni, quam dicit charitate perfici, utì manifestum est ex contextu, ergo loquitur de attritione, quæ nequidem partialiter est ex motivo charitatis, hæc enim re ipsâ perficitur charitate, nec motivum charitatis ullâ ratione pugnat cum aliis motivis, sed ab illis potiùs juvatur. 3. Loquitur de illa attritione, quam *Lutherus* negabat esse honestam & supernaturalem, ibi enim agit contra *Lutherum* & asseclas, utì manifestè ostendit *Le Dent* c. 1. conferens verba *Lutheri* cum oppositis verbis *Tridentini*: *Lutherus* autem non negabat attritionem, si partialiter foret ex motivo charitatis, esse honestam & supernaturalem, sed id tan-

tùm negabat de attritione, quæ esset ex sola spe vel metu, ergo.

839. *Resp.* 3. *Palav.* nu. 25. P^r. *Trid.* tantùm intendisse probare contra Hæreticos, timorem pœnæ non semper esse inhonestum: nec voluisse ferre sententiam circa sufficientiam attritionis. *Contrà est*, quamvis primariò illud intenderint contra Hæreticos, neque voluerint authenticè per Canonem definire aliquid circa sufficientiam attritionis, tamen secundariò & ex occasione in Capitibus agunt de attritione, & sufficienter docent sufficere cum Sacramento, uti jam ostensum est.

840. *Obji.* 1. *Trid.* sess. 6. c. 6. præter spem, ad Sacramentum Pœnitentiæ prærequirit actum, *quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiamus*, ergo requirit dilectionem initialem, quæ sit partialiter ex motivo charitatis. *R.* Dato antec. n. conseq., nam non requirit actum, quo perfectè diligamus, sed quo incipiamus perfectè diligere, atqui incipimus perfectè diligere per actum cujuscunque virtutis, quo Deum ùt finem ultimum nobis concupiscimus: unde sicuti *timor Domini* dicitur *initium sapientiæ*, non quòd ille timor sit sapientia, sed quia ducit & disponit ad sapientiam, ita actus omnis virtutis dicitur esse initium perfectæ dilectionis: Quod de actu timoris expressè dicitur *Eccli.* 25. v. 16. *Timor Dei initium dilectionis ejus*: Et idem est de spe beatitudinis. Hoc manifestè significat *Trid.* ibidem addens nos debere incipere diligere Deum, non dicit tanquam summum bonum in se, sed tanquam *omnis justitiæ fontem*, id est, gratiæ nobis dandæ, sicque diligimus Deum ùt bonum nobis, & disponimur ad diligendum ùt in se

se bonum: hinc S. *Th.* 1.2.q.40.a.7.O. ait: *Ex hoc, quòd per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, & sic incipimus ipsum amare*, ergo cùm omnis attritio nostra sit spes vel fundetur in spe, etiam est actus, quo incipimus diligere Deum: Cujus ratio alia à priori est, quia perfecta charitas est finis omnis virtutis, secundùm illud 1. ad *Timoth.* 1.v.5. *Finis autem præcepti est charitas*: & in eum sensum dicit S. *Tho.* 2.2.q.23. a.8. ad 3. *Charitas dicitur finis aliarum virtutum*; etiam ideo, quia omnis virtus tendit ad obtinendum finem ultimum, qui est amica conjunctio cum Deo, ergo manifestum est, quòd omnis actus virtutis & consequenter attritio ex motivo talis virtutis elicita, sit inceptio perfectæ dilectionis Dei. *Dixi*, dato antec. nam *Trid.* isto loco agit de justificatione in genere, prout congruentissimè peragi potest vel in- vel etiam extra Sacramentum, subdit enim hominem per illos actus prævios esse optimè dispositum, etiam ad pœnitentiam illam, quæ prærequiritur ante Baptismum; nullo autem verbo insinuat dilectionem ex charitate necessariò prærequiri ante Baptismum, nam expressè dicit baptizandum postea moveri adversùs peccata per odium, *aliquod*, id est, perfectum vel imperfectum: multò minùs ibi prærequirit charitatem ante Sacramentum Pœnitentiæ, de cujus partibus postea priùs incipit agere in sess. 14. Et quòd *Trid.* non velit omnes illos actus esse necessariò prærequisitos, sed tantùm convenientissimè præcedere, patet inde, nam præmittit etiam timorem pœnæ, certum autem est valere pœnitentiam, quamvis non sit concepta ex ti-

more pœnæ, sed immediatè ex spe beatitudinis æternæ vel ex alio adhuc perfectiore motivo, ergo.

841. *Instabis. Palav.* in Hist. l. 8. c. 13. refert quatuor Patres voluisse inseri, *actum charitatis*, loco illius, *diligere incipiunt*. Et *S. Th.* 3. p. q. 85. a. 5. unde hausta est illa doctrina *Trid.*, inter dispositiones ad pœnitentiam ponit *motum charitatis*. Ita *Le Drou* d. 3. c. 2. §. 1. & 3. *R.* Hæc esse pro nobis, sequitur enim, quòd *Trid.* non requisiverit *actum* vel *motum charitatis*, alioquin ista non immutâsset, ergo cùm posuerit actum, *quo diligere incipiunt*, quod convenit etiam dilectioni concupiscentiæ, secundùm *Trid.* hæc sufficit. Quod attinet ad S. *Thomam*, utì & *Catechism. Rom.*, quem adducit *Le Drou* c. 4. hi loquuntur de pœnitentia in genere, prout est virtus, & secundùm quod causat justificationem etiam extra Sacramentum, utì manifestum est inspicienti contextum: unde non video, quomodo ista omnia adduci possint ad probandam necessitatem charitatis etiam pro Sacramento Pœnitentiæ.

842. *Obji.* 2. *Trid.* sess. 6. c. 7. ait, *Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum catechumeni ab Ecclesia petant, cùm petunt fidem vitam æternam præstantem, quam sine spe & charitate fides præstare non potest*, ergo ante Baptismum, & consequenter etiam ante Pœnitentiam requiritur charitas. *R.* n. conc. nam *Trid.* tantùm dicit, quòd in justificatione infundatur habitus charitatis, quem postea nominat Christianam justitiam, stolam candidam, quæ perferri debeat ante tribunal Christi. Et ideo etiam paulò antè dixerat hæc omnia, fidem spem & charitatem, simul infundi

di in justificatione. Quando autem fides dicitur operari per charitatem, sensus est, quòd fides dirigat charitatem, quæ operatur in nobis.

*Obji.* 3. *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 4. dicit 843.
contritionis motum fuisse quovis tempore necessarium ad veniam impetrandam, sed ante institutionem Sacramenti necessarius erat motus contritionis ex motivo charitatis, ergo etiam talis necessarius est post institutionem Sacramenti. R. Si argumentum valet, ergo ad Sacramentum requiritur motus perfectæ charitatis, quia talis requirebatur ante institutionem Sacramenti: hinc n. consr. nam ibi loquitur de contritione, prout abstrahit à perfecta & imperfecta, veritas autem dicti salvatur, si ante Sacramentum necessarius fuerit motus contritionis perfectæ, & cum Sacramento necessarius sit motus contritionis saltem imperfectæ, sive attritio.

*Obji.* 4. *Trid.* sess. 6. c. 7. dicit justificationem fieri *per voluntariam Jusceptionem gratiæ*, quâ quis fiat amicus Dei, sed nemo voluntariè suscipit gratiam, quâ fiat amicus Dei, nisi amet Deum amore amicitiæ, ergo. R. n. min. actus enim concupiscentiæ, quo opto vel quo suscipio gratiam ut mihi bonam, non est minùs voluntarius, quàm actus amoris amicitiæ. Et per ejusmodi actum alterius virtutis voluntariè peto amicitiam Dei, & concurrente Sacramento in me causo gratiam, per quam Dei amicitiam recupero.

*Obji.* 5. *Palav.* in Hist. l. 12. c. 10. n. 26. testa- 844.
tur, quòd Patres *Trid.* voluerint omitti hæc verba, *Declarat etiam attritionem sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem*, & loco verbi, *Sufficere*,

*cere*, voluerint poni, *disponere ad gratiam in Sacramento*, ergo mens *Trid.* non fuit docere, quòd attritio sufficiat cum Sacramento. R. Teste eodem *Palav.* etiam voluerunt omitti hæc, *Cum attritio sine aliquo in Deum dilectionis motu esse vix queat*, neque tamen adversarii concedunt inde inferri, quòd cum attritione illa supernaturali non adsit, vel non requiratur dilectionis motus: itaque n. consl., id enim satis docent verbis n. 836. relatis. Quòd autem voluerint omitti priora ista verba, causa sufficiens fuit, ne præjudicarent sententiæ *Scoti* & aliorum, qui dicunt nullam contritionem pertinere ad constitutionem Sacramenti, sed essentiam consistere in sola absolutione, actus autem pœnitentis esse conditiones essentialiter prærequisitas.

*Inst. Alexand.* VII. in Decreto dato diu post *Trid.* significat Ecclesiam nihil definivisse circa sufficientiam attritionis pro Sacramento Pœnitentiæ. R. Hoc solvendum esse nu. 876. Polsuntque de *Trid.* plura videri apud *Francol.* De dolore l. 1. c. 6.

845. *Q. 114. Ubi doceant SS. PP. & speciatim S. Augustin., quòd attritio sufficiat cum Sacramento.* R. Locos & verba PP. addit *Pinthereau* à pag. 116. sed speciatim ex S. *Aug.* *Probatur* 1. nam docet illum dolorem sufficere pro confessione & absolutione, qui præeunte fide concipitur ex formidine divini judicii, scribens enim in Epist. 254 aliis 104. ad Nectarium sic habet, *Pœnitentia impetrat veniam & purgat admissum, sed illa, quæ in vera religione agitur, quæ futurum Dei judicium cogitat, non illa, quæ ad horam hominibus exhibetur aut fingitur, non ut à delicto anima purgetur in æternum, sed ut interim à præsenti reatu molestiæ vita*

citò

citò periturâ liberetur; hinc Christianis confitentibus atque deprecantibus, qui delicto illo fuerant implicati .... pœnitentiæ dolorem fructuosum esse credidimus, eisque ad correctionem sufficere existimavimus, quòd ineſt cordibus eorum fides, quâ considerare possent, quid de divino judicio formidare deberent. His verbis docet S. *Aug.*, dolorem ex prævia fide conceptum per considerationem & formidinem divini judicii sufficere, etiam proximè, ad justificationem, nam dicit, quòd *impetret veniam, purget admissum, animam purget in æternum, sufficiat ad correctionem*, atqui non sufficit sine Sacramento, ut certum est, ergo mens S. *Aug.* est, quòd sufficiat cum Sacramento, ideoque dicit sufficere *confitentibus atque deprecantibus*, id est, petentibus absolvi, *quos pœnitet, qui rogant, qui pedes amplectuntur &c. Probatur* 2. Qui, quantùm 846.
attinet ad actus prærequisitos, *est verè christianus* ille est proximè dispositus ad fructuosum Baptismum, sed secundùm S. *Aug.*, qui credit, & propter spem beatitudinis vel metum gehennæ fieri vult christianus, ille, quantùm attinet ad actus prærequisitos, est verè christianus, ergo. *Prob. min.*, nam S. *Aug.* l. De catechizandis rudib. c. 17. agens de aliquo, *qui propter beatitudinem sempiternam .... vult fieri christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo*, de illo subjungit, *verè christianus est..... qui etiam proficiendo perveniet ad talem animum, ut plùs amet Dominum, quam timeat gehennam*, ergo ex mente S. *Aug.* qui credit, & propter spem vel metum fieri vult christianus, quantùm attinet ad actus prærequisitos, *est verè christianus.*

*Respondet Le Drou*, per tò, *verè christianus est*, significari, quòd accedat ad fidem animo chri-

stiano, id est, tali, qui spem faciat eum à fide non defecturum. *Contrà* est, nam priusquam possit facere spem non deficiendi à fide Christiana, debet supponi esse verè Christianus, & hoc habet, secundùm S. *Aug.*, si credat, speret beatitudinem ac metuat ignem æternum, ergo.

847. *Obji.* 1. S. *Aug.* l. de fide & operibus c. 10. docet actum charitatis prærequiri ante Baptismum, & ideo sæpe alibi dicit rudes catechizandos de necessitate actûs charitatis. Similia habet sæpè alibi, utì fusè Le *Drou* Diss. 3. c. 5. R. Exomnibus plùs colligi non potest, quàm unumquemque hominem etiam non baptizatum teneri ex præcepto charitatis diligere Deum super omnia, imprimis quamprimum eum sufficienter cognoscit: Deinde sæpius per vitam: præterea etiam in fine vitæ, utì pluribus explicatum est l. 2. n. 133. & 144. Denique S. *Aug.* sæpè commendat charitatem tanquam utilem ad omnia, sed nullibi asserit absolutam ejus ad Sacramenta necessitatem.

848. *Obji.* 2. Varia loca S. *Aug.* & PP. nam 1. l. De vera & falsa pœn. c. 9. ait, *Sine amore Dei nemo unquam invenit gratiam.* 2. Serm. 7. De tempore, *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati & amor Dei.* 3. De civit. l. 1. c. 27., *Nisi desistant à peccatis habendo charitatem, quæ non agit per veram nil eis prodesse potest.* 4. Tract. 9. in *Joannem* & l. 2. contra *Crescon.* c. 12. *Charitas una si adsit, omnia illa rectè fiunt, si autem desit illa, omnia frustra fiunt.* Similia sæpe habet. 5. Ubicunque agit de pœnitentia, semper inculcat amorem justitiæ vel boni. 6. *Clemens Alexandrinus* dicit, *Absque charitate nihil gratum est Deo.* Similia passim habent etiam alii PP. R. ad 1. quòd liber ille non

fit

sit *S. Aug.*, uti expressè notatur ante caput 1. nam c. 17. citat *S. Aug.* tanquam authorem à se distinctum. Quiscunque autem sit author, plùs non vult, quàm ad recuperandam gratiam requiri aliquem amorem Dei, saltem concupiscentiæ, qui semper aderit, nam *spes sine amore esse non potest*, inquit *S. Aug.* Enchir. c. 8. *Ad 2. & 3.* Istis locis agit de pœnitentia extra Sacramentum, qualem habent etiam infideles, hinc subjungit illud de Davide, *Tibi soli peccavi*, quod utique factum est sine Sacramento. *Ad 4.* Tantùm vult, si charitas habitualis desit, nihil posse fieri meritorium vitæ æternæ, nec obtineri posse salutem. *Ad 5. Ripal.* De ente supern. tom. 3. d. 22. s. 12. à n. 138. & pluribus s. 19. rectè ostendit *S. Aug.* per amorem justitiæ vel boni, item per similia verba non semper intelligere amorem benevolentiæ vel amicitiæ erga Deum, sed aliquem amorem Dei etiam concupiscentiæ, vel ex motivo cujuscumque virtutis. Videri potest *Francol.* De dolore l. 1. c. 3. *Ad 6. Clemens* loquitur de opere, quo homo fiat amicabiliter gratus Deo, certum enim est ex dictis l. 2. n. 132. non omne opus Deo gratum debere esse ex charitate. Denique multa alia, quæ adversarii vel ex Scriptura vel ex SS. PP. colligunt pro commendatione charitatis, non sunt ad rem, cùm non loquantur de Sacramento Pœnitentiæ.

*Inst. S. Chrysostomus* hom. 4. in 2. ad *Corinth.* ait, *Ingemisce, non quòd pœnas daturus sis, nihil enim hoc est.* R. Exemplo Davidis incitat ad id, quod perfectum est & justificat etiam extra Sacramentum, non autem ad id, quod simpliciter est necessarium cum Sacramento. Imò cùm

addat, *Ingemisce, nec unquam hoc facere intermitte*, patet non loqui de necessitate. Per Tò, *Nihil enim hoc est*, significat hoc esse parum & quasi nihil esse respectu Davidis : De cætero certum est talem attritionem esse aliquid, cùm secundùm *Trid.* sit honesta, supernaturalis, meritoria. Plura circa SS. PP. videri possunt apud *Francol.* suprà.

849. Q. 115. *Ubi doceat S. Tho. quòd attritio sufficiat cum Sacramento.* R. His locis. §. 1 In 4. Dist. 6. q. 1. a. 3. quæstiu 1. ad. 5. ait, *Ad hoc quòd homo præparet se ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.* Quod autem est de præparatione ab Baptismum, fatentur adversarii idem esse de præparatione ad Pœnitentiam, ergo. *Respondet Le Drou* diff. 3. c 6. in fine, *S. Tho.* loqui de charitate habituali. *Contrà* est 1. Nimis manifestum erat charitatem habitualem non esse præparationem ad gratiam, cùm gratia præsupponatur velut natura exigens habitum charitatis & reliquarum virtutum, ergo non loquitur de habituali charitate sed de actuali, quæ sola esse poterat præparatio. 2. Ex modo pariformiter loquendi S. *Tho.*, talis charitas non præexigitur, qualis fides præexigitur, sed præexigitur fides actualis, ergo non præexigitur charitas actualis. 3. Illam charitatem dicit non præexigi, quæ alioqui esset contritio opposita attritioni, sed sola charitas actualis esset contritio opposita attritioni, ergo charitatem actualem dicit non præexigi.

850. §. 2. S. *Tho.* in 4. Dist. 22. q. 2. a. 1. quæstiu. 3. O ait, *Quando aliquis accedit ad confessionem attritus, non plenè contritus, si obicem non ponat in ipsâ confes-*

*confessione & absolutione, sibi gratia & remissio peccatorum datur.* Idem dixerat dist. 17. q. 3. a. 5. quæstiu. 1. O. *si præcedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset.*

*Respondent*, per contritionē *non plenam* & per dolorem *non sufficientem ad contritionem* intelligi dolorem, qui saltem partialiter ex motivo charitatis procedat, sed imperfectum. *Contrà* est, nam S. Tho. in suppl. q. 1. a 1. agens de contritione in communi ait, *actus contritionis est actus virtutis & est pars Pœnitentiæ Sacramenti*. Talem autem contritionem describit cum *S. Isidoro*, quòd sit *humilitas mentis cum lachrymis, veniens de recordatione peccati & timore judicii*: item cum *S. Greg. Humilitas spiritûs annihilans peccatum inter spem & metum.* Et addit: *Nec solum ponit causam principalem, quæ est timor, sed etiam causam, quæ est spes, sine qua timor, desperationem facere posset.* Ex quibus manifestum est, quòd talem attritionem admittat esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, quæ tantùm pertineat ad spem & metum. Ibidem a. 3. docet talem attritionem fieri non posse contritionem, *quia attritionis principium est timor servilis, contritionis autem timor filialis*: certum autem est ex S. Th. quem retuli n. 720. quòd *timor servilis charitatem in suî ratione non includat*, ergo iterum manifestum est ex mēte S. Tho., quòd attritio, quæ potest esse pars Sacramenti Pœnitentiæ, non necessariò, nequidem partialiter, procedat ex motivo charitatis.

*Obji.* 1. S. Th. in 4. D. 14. q. 1. a. 2. quæst. 1. ad 4. ait, 851.
*Pœnitentia timore servili concipitur, qui pœnam respicit, nec oportet, quòd timor & pœnitentia sint simul, quia timor servilis non est causa esse ipsius pœnitentiæ sed generationis ejus, sicuti etiam sumptio*

*me-*

*medicinæ est causa sanitatis, non tamen sunt simul.*

*R.* Tantùm dicit nō esse opus, ut timor & pœnitentia sint simul, potest enim desinere timor & manere contritio post timorem causata, hinc dicit timorem non esse causam *esse ejus*, id est, non necessariò actu influere in pœnitentiam seu contritionem, attamen non negat timorem stare posse cum pœnitentia, uti stare potest sanitas cum continuatione medicinæ.

852. *Obji. 2. S. Tho.* in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. quæstiu. 1. ait, *Confessio non valet sine charitate.* Et aliàs sæpe ante pœnitentiam vel justificationem requirit motum charitatis. *R.* Ibi agere de confessione ùt meritoria, sic enim habet: *Confessio est actus virtutis & pars Sacramenti, secundùm autem quod est actus virtutis, est meritorius propriè, & sic confessio non valet sine charitate, quæ est principium merendi.* Ex quibus verbis patet eum loqui de confessione, prout est secundùm se de condigno meritoria gratiæ, sic autem dignificari debet per gratiam vel per habitum charitatis.

853. *Obji. 3. S. Tho.* 3. p. q. 84. a. 10. O. ait, *Cum ad veram pœnitentiam charitas requiratur, sine qua non delentur peccata.* *R.* Tantùm vult, quòd ubi est vera pœnitentia, necesse sit causari habitum charitatis sive gratiæ, per quam remittantur peccata; docet autem habitum illum & gratiam posse amitti, & ideo posse iterari Sacramentum Pœnitentiæ, quod negabant hæretici, contra quos ibi agit, nam subdit, *credebant, quòd charitas semel habita non possit amitti, & per consequens pœnitentia, si sit vera, nunquam per peccatum tollatur.*

*Inst. S. Tho.* ibidem a. 3. O. dicit displicentiam peccati, *quia est contra Deum super omnia dilectum*, requiri *ad rationem veræ pœnitentiæ.* Et a. 6. ad 2. dicit

dicit remissionem culpæ esse effectum pœnitentiæ, *sed principaliùs fidei & charitatis.R.* In his locis agit de pœnitentia, prout est virtus sine Sacramento justificans, & ideo q. 85. a. 5. O. dicit, *pœnitentia, prout est virtus, includit motum charitatis, quo alicui peccatum displicet secundùm seipsum & non jam propter supplicia.* Et q. 86. a. 2. O. ait, *Impossibile est peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia, quæ est virtus.* Et a. 3. O. dicit ad rationem veræ Pœnitentiæ requiri, ut displiceat peccatum, *quia est contra Deum super omnia dilectum* : quæ omnia dicta sunt de pœnitentia, prout est virtus justificans extra Sacramentum, utì patet ex conclusione articuli, quæ sic habet, *fieri non potest, ut per virtutem pœnitentiæ peccatum unum remittatur sine altero.* Postmodum autem q. 90. priùs incipit ex professo agere de Sacramento Pœnitentiæ.

*Obji.* 4. *Ad justificationem impii requiritur motus mentis, quo convertitur ad Deum, S. Tho.* 1. 2. q. 113. a. 4. O. atqui *mens nostra debitè ad Deum converti non potest sine charitate.* 4. contra Gentes c. 72. ergo. *R.* Requiritur motus mentis, quo convertitur ad Deum saltem imperfectè per dilectionem concupiscentiæ, quâ velit sibi Deum. Isto autem loco contra Gentes loquitur *S. Tho.* de conversione perfecta justificante sine Sacramento, nam *Ferrariensis*, cum cujus commentariis editi sunt libri contra Gentes, sic habet in eum locum : *Animadvertendum est, cùm dicitur mentem debitè ad Deum converti non posse sine charitate, quòd ideo additum est debitè, ut excludatur imperfecta conversio, potest enim aliquis imperfectè converti ad Deum sine charitate ; sed perfecta conversio, quæ sufficiat ad deletionem culpæ, sine charitate* 854.

*ritate esse non potest.* Certum est autem ad Sacramentum Pœnitentiæ non requiri perfectam conversionem, ergo similiter certum est sufficere conversionem sine charitate.

*Inst.* 1. Omne mortale est aversio à Deo ut summè bono, nam *quilibet actus peccati mortalis contrariatur charitati secundùm propriam rationem, quæ consistit in hoc, quòd Deus diligatur super omnia, S. Tho.* 2. 2. q. 24. a. 12. O., ergo actus veræ pœnitentiæ debet esse conversio ad Deum ùt summè bonum, quia debet esse conversio ad hoc, à quo fuit aversio. R. Ergo actus veræ pœnitentiæ se solo justificans debet esse conversio ad Deum ùt summè bonum c., justificans simul per Sacramentum n., nam suppositâ conversione ad Deum ùt nobis bonum, tum Sacramentum ex institutione & meritis Christi operatur, quod conversio illa se solâ operari non potest.

*Inst.* 2. *Ad eandem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum & refugere aliud, & ideo sicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita etiam detestari peccata, per quæ anima separatur à Deo, S. Th.* 1. 2. q. 113. a. 5. ad 1. R. Inde tantùm sequitur, quòd charitas possit elicere detestationem peccati, quod nemo negat; sed negamus posse solam charitatem, nam etiam potest spes & timor. Plura videri possunt apud *Francol.* De dolore l. 1. c. 5.

855. Q. 116. *An verum sit, quòd ex Authoribus & Theologis plurimi doceant attritionem sufficere cum Sacramento; oppositum autem teneant respectivè pauci.* R. Affirmativè, nam § 1. *Pinthereau* De Attrit. sufficientia à pag. 8. adductis locis & verbis refert 100. Authores graviſſimos, qui ab ano Christi

Christi 1200., sententiam nostram tenuerunt, inter quos sunt *Guilielmus Parisiensis, Dionys. & Ludolphus Carthusianus, Gerson, Tostatus, Turrecremata, Dur. Capr. Gabr. Adrian. Ferrar. Eckius, Ss. Vincentius Ferrerius, Bernard. Senensis, Antoninus, Thomas à Villa nova.* Deinde à pag. 93. adducit Theologos 19., qui *Tridentino* inter fuerunt & nobiscum tenent. Le *Dent* De attrit. à n. 158. refert Authores, qui ante *Trid.* idem tenuerunt, & à n. 231. multos ex Academia Lovaniensi. Authores autem, qui idem tenuerunt post *Tridentinum*, affert in Resp. ad Xenium Theologicum c. 5. à n. 164. Sed quoad Authores post *Tridentinum*, studiosissimè eos examinavit *Gormaz* p. 1. post n. 446. ubi ordine alphabetico adductis nominibus, locis & verbis fideliter refert plures quàm 160., qui clarissimè nobiscum tenent, inter quos sunt duo Papæ, septem Cardinales, sex Episcopi, speciatim S. *Carolus Borromæus*: sex Concilia particularia in variis Diœcesibus habita, sex diversi catechismi publicâ authoritate editi ad informationem parochorum & populi. Accedunt Decretum *Gratiani*, Inquisitio una generalis Hispanica, definitio facultatis Parisiensis. Reliqui sunt gravissimi Theologi ex omni natione, statu & ordine. Accedit *Volpiliere* tom. 4. t. 1. c. 2. anno 1698. Parisiis editus: Item Cardin. *Brancatus* De *Laurea* in 4. tom. 2. d. 9. n. 89. & d. 14. a. 8. à n. 232. ita ut *Sporer* n. 271. meritò dicat esse sententiam Authorum ferè omnium; *Platel.* nu. 654. plerorumque omnium post *Tridentinum*; *Puteanus* & *Becanus* vocent communem omnium. Sequuntur Thomistæ ferè omnes cum *Gonet* d. 7. a. 3. & *Godoi* De Deo d. 2. §. 7. n. 125.

*Scotus*

*Scotus*, *S. Bonav.* & plerique Scotistæ cum Bosco d. 6. s. 3. concl. 4. Et ideo etiam *Alex. VII.* in Decreto, quod referam n. 875. dicit sententiam nostram videri communiorem inter scholasticos. *Respondet Farvacq.* quamvis mille Authores sint pro aliqua sententia, non ideo fieri, ut Sacramentum valeat sine eo, quod Christus ad Sacramentum requisivit, ideoque frustra à nobis congeri tot nomina. *Contra* est, quia ex judicio tot Sanctorum & sapientissimorum virorum prudenter & moraliter certò præsumimus Christum tale quid non requisivisse, non enim est credibile passurum fuisse, ut hi omnes & totus pene orbis errasset circa negotium salutis: sicuti quia omnes ferè docent ad valorem absolutionis non prærequiri expletionem pœnitentiæ, prudenter judicamus id esse moraliter certum: Neque ullus prudens negare potest, quin in illis, quæ à Dei voluntate pendent, uti ab ea pendet, sitne attritio sufficiens, an è contrà contritio requiratur an Sacramentum Pœnitentiæ, plurimùm sit tribuendum communi judicio ferè omnium, nam *integrum judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur*, Can. *Extraconscientiam.* Dist. 64. & Cap. *Prudentiam* 21. De Off. Jud. deleg. *Per ampliores homines perfectissima veritas revelatur.* l. 32. Cod. De fidei-Commiss. *Facilius namque invenitur, quod à pluribus senioribus quæritur.* Can. *De quibus.* Dist. 20.

856. §. 2. Pauci sunt respective, qui sententiam oppositam tenent, nempe unus vel alter cum *Palav.* in Hist. l. 12. c. 10. à nu. 25. Accesserunt *Bajus*, *Jansenius* & Jansenistæ, sed parùm ponderis habent, quia nimiùm extollunt necessitatem charitatis, uti constat ex dictis l. 2. n. 132. Acceſſe-

cesserunt *Lupus*, *Farvacq.* Lovanienses aliqui: ex Thomistis pauci, ex Scotistis *Hiquæus* & *J. Pontius* apud *Bosco* suprà. Recenter *Le Drou*, *Henr. à S. Ignatio* & quidam alii, hi autem respectivè ad citatos §. 1. sunt pauci, ergo.

*Obji. Morinus*, *Lupus*, *Farvacq. Juen.* testantur neminem ante 15. sæculum docuisse pro attritione, & *Canum* fuisse primum cum quodam *Henrico Salmanticensi*. Econtrà multos contra attritionem docuisse ante *Tridentinum*, testatur *Aversa* q. 11. s. 4. Et quosdam in *Tridentino* ita sensisse, videtur certum. R. Pro redarguenda falsitate *Morini* provoco ad fidem aliorum Authorum, qui oppositum testantur; mihi sufficit *S. Aug.*, quem valde probabiliter, & *S. Tho.*, quem existimo certò stare pro attritione, uti ostendi à n. 845. & 849. Alios plures adducit *Francol.* De dolore l. 1. c. 5. à n. 27. & l. 3. c. 2. & seqq. Nec operæ pretium est his immorari. Admitto autem ante *Trid.* aliquos requisivisse dilectionem perfectam, sed quia omnes ferè post *Trid.* maximo consensu arripuerunt sententiam nostram, manifestè infero illos per *Trid.* ad hoc esse adductos, adeoque hunc fuisse sensum *Trid.* Deinde *PP. Trid.*, uno fortè vel altero excepto, tantùm contendebant requiri aliqualem dilectionem, quam etiam nos requirimus, ergo illi non sunt contra nos. 857.

*Inst. Palav.* adducit contra attritionem etiam *Henriq.* & *Valent. Carolus ab Assumptione* in libello De contrit. edito sub nomine *Germani Philalethis* refert contra attritionem facilè centum Authores. *Le Drou* Diss. 4. c. 4. §. 4. multos etiam adducit pro sua sententia. R. *Henriq.* l. 4. De Sacram. c. 26. apertè tenet pro attritione,

& *Valent.* clarissimè De pœn. d. 7. q. 8. p. 4. à §. *Animadvertendum*, ergo *Palav.* malè citat illos pro se. *Platel.* n. 652. rectè ostendit *Carolum ab Assumptione* illudere lectori, nam nec annotat locum vel verba eorum, quos citat, & falsò citat aliquos, nominatim *Sylv.*, qui sententiam pro contritione, quam priùs docuerat, revocavit. Et citat multos tantùm concionatores, quorum plerorumque verba, si inspiciantur, aliquam tantùm dilectionem requirunt, qualis est, si Deum amem mihi, quod fit per dolorem ex spe & metu, fugimus enim infernum, ut in cœlo assequamur Deum, nec plùs volunt plerique ex illis, quos adducit *Le Drou* : nam quòd *Sonnius, Tapper. P. Soto, Vega, Jansenius, Gandavensis* aliique, qui *Tridentino* interfuerunt, non sint contra nos, rectè ostendit *Francol.* suprà c. 6. §. 10. & l. 2. c. 6. §. 1. Imò nec *Navarrum* aut *Vivald.* esse contrarium, conatur ostendere l. 1. c. 7. §. 2. Et dato aliquos tenuisse oppositum, ostendam n. 874. non elidi certitudinem practicam alicujus sententiæ, quamvis quidam pauci contradicant.

858. *Q. 117. Quomodo ex praxi & sensu communi Ecclesiæ ac fidelium probetur, quòd attritio sufficiat cum Sacramento.* R. Hoc modo. §. 1. Non est credibile, quòd Spiritus S., qui regit Ecclesiam, permissurus fuisset praxin sententiæ nostræ, si falsa esset, cum damno tot animarum prævalere, maximè cùm sententia nostra toties fuerit à Rigoristis S. Sedi exhibita, cum potentissimis instantiis, ut damnaretur; & tamen Pontifices nunquam reprobârunt : speciatim *Alex.* VII. & *Innoc.* XI. alioqui prompti ad damnandas propositiones periculosas, & studiosissimi

pro

pro rescindendis noxiis laxitatibus, graviter prohibuerunt ullâ censurâ notari sententiam nostram, permiseruntque ipsi suis temporibus publicè doceri etiam Romæ: Imò *Alex.* VIII., ut ostenderet ad pœnitentiam non requiri amorem, quem volunt Rigoristæ, inussit notam libro Episcopi Castorienſis, qui dicitur *Amor pœnitens*, uti refert *Gorm.* n. 345., fatenturque adversarii per hujus Pontificis decreta convelli suam doctrinam.

§. 2. Si sententia nostra esset falsa, Pontifices 859.
& Cardinales Concilii *Trid.* Interpretes, cùm sciant nos præcipuè niti *Trid.*, declararent oppositum pro officio suo & cavendo damno animarum, sed non declarant, sed etiamnum permittunt ubique doceri publicè, & speciatim Romæ in celeberrimis seminariis, uti habet certa relatio cum testimoniis authenticis impressa typis sub annum 1690., cujus exemplar habeo: nominatim in Urbano Collegio de propaganda fide, in Collegio S. Pancratii, in Collegio S. Thomæ apud Minervam, in Collegio Clericorum regularium ministrantium infirmis, & aliis, quæ ab Ecclesiasticis vel aliis Religiosis reguntur, taceo illa omnia, in quibus docent Professores è Societate nostra.

§. 3. Accedit communis sensus fidelium in 860.
tota Ecclesia, qui si dolorem habeant ex spe cœli vel metu inferni, aut saltem ex motivo turpitudinis peccati prout oppositi legi æternæ Dei, confitentur & absolutionem petunt sine scrupulo, eamque dant pariter Confessarii penè omnes: velle autem eos omnes damnare sacrilegii, uti damnari deberent, cùm adversarii, hìc præsertim in materia facti, non admittant igno-

rantiam inculpabilem, hoc esset exoticum & temerarium, ergo.

861. *Q. 118. Quibus rationibus probetur, quòd attritio sufficiat cum Sacramento.* R. sequentibus. §. 1. Nihil obstat, quò minùs attritio sufficiat, nam est actus honestus, supernaturalis, tendens in Deum velut finem ultimum à peccatore assequendum, efficaciter excludens omnem voluntatem peccandi, utì constat ex dictis hactenùs. Nec ullum est argumentum in oppositum, cui plenè non satisfiat, utì partim est ostensum, partim ostendetur à n. 864., ergo.

862. §. 2. Si attritio non sufficiat, plerique homines, præsertim rudes & ingenio tardiores, vix unquam habebunt dolorem sufficientem pro Sacramento, pauci enim assurgunt ad dolendum de peccato, quia Deo summè bono malum est, utì testari poterunt Confessarii de pœnitentibus suis.

863. §. 3. Secundùm adversarios, in dolore debebit adesse amor Dei absolutè prædominans, sive intensior omni alio amore actuali cordis, sed talis amor Dei erit rarus, & sæpe erit impossibilis, nam sæpe fit, ut quis, etiam non liberè sed planè necessariò propter motiva magìs sensibilia, nec inhonesta, intensiùs doleat, v. g. de morte Patris sibi chariſſimi quàm de peccato; aut ut intensiore affectu actuali amet unicam prolem suam quàm Deum, cujus bonitatem hìc & nunc non ita sensibiliter potest cognoscere, talis autem homo, quamvìs secundùm partem superiorem voluntatis Deum appretiet super omnia, tamen occasione partis inferioris ejusdem voluntatis magìs sensibiliter tractæ habere non poterit amorem intensiorem Dei absolutè præ-

prædominantem, adeoque non poterit debitè pœnitere, nec salvari, quod durissimum est dicere, ergo.

*Q. 119. An argumenta Adversariorum contra sufficientiam attritionis ita solvi possint, ut plenè satisfiat. R.* Posse, nam præter hactenus soluta, non invenio nisi sequentia:

*Obji.* 1. In Epist. 1. *Joan.* c. 3. v. 14. dicitur, 864.
*Qui non diligit, manet in morte.* 1. ad Corinth. 13. *Si charitatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.* Similiter loquuntur SS. PP. apud *Le Drou* d. 3. c. 1. §. *Ad 1. S. Joannem* ibi agere de dilectione fraterna, quam nemo dicit esse partem Sacramenti Pœnitentiæ. Quòd si loqueretur etiam de dilectione Dei, sensus esset, qui non implet præceptum charitatis, quando obligat, manet in morte, nec salvabitur: negamus autem obligare ratione Sacramenti Pœnitentiæ. Et similiter dicit Christus, *qui habet mandata mea & servat ea, ille est, qui diligit me*: non debere autem omnia mandata servari ex motivo charitatis, certum est ex dictis l. 1. n. 691. & l. 2. n. 132. *Ad 2.* Apostolus loquitur de charitate, abstrahendo ab habituali & actuali, nam multa, quæ ibi dicit, conveniunt habituali, multa actuali: Itaque tantùm vult ad salutem requiri, finaliter habitum charitatis, actum autem quandoque per vitam, nempe quando præcipitur: de cætero nullum ibi sermonem habet de Sacramento Pœnitentiæ, ergo multò minùs ad illud requirit actum charitatis. Alia loca Scripturæ vel Patrum, quæ pro justificatione requirunt charitatem, loquuntur de justificatione extra Sacramentum: quod maximè dicendum est de illis, quæ afferuntur ex antiquo testamento,

cùm ibi non fuerit Sacramentum Pœnitentiæ, lex autem naturalis tum exigebat contritionem, non ex necessitate absoluta, sed quia Deus tum non instituerat aliud medium justificationis, quale nunc longè faciliùs habemus per Sacramentum.

865. *Obji.* 2. Lex antiqua erat timoris, lex autem nova est amoris, ideoque *S. Th.* 1. 2. q. 107. a. 1. O. vocat legem charitatis, ergo ad Sacramentum novæ legis requiritur amor ex charitate. R. 1. Si argumentum valet, ergo in lege nova nullus actus est bonus, qui non est ex charitate, quod secundùm dicta l. 2. n. 132. certò falsum est. R. 2. n. conseq. Lex antiqua erat timoris, quia Deus externis terroribus urgebat observationem illius: Lex nova est amoris, quia per incarnationem Verbi exhibuit nobis maximum amorem, séque magis placabilem & veluti familiarem reddit per Sacramenta, præsertim Eucharistiæ, ideoque conveniens est, ut nos reciprocè moveamur amore ad observationem mandatorum ipsius, sed non ideo obligamur servare ea ex motivo charitatis, uti certum est ex dictis ibidem l. 2. n. 132.

*Inst.* 1. Sacramentum novæ legis non potest suscipi nisi ab eis, qui pertinent ad novum testamentum, sed qui agunt & aguntur timore pœnæ seclusâ Dei dilectione, non pertinent ad novum testamentum, sed ad vetus, uti colligitur ex c. 8. ℣. 15. ad Roman., *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, ergo. Ita *Marbesius* q. 10 arg. 4. R. n. min. nam *per fidem Christi pertinet homo ad novum testamentum*, *S. Th.* 1. 2. q. 106. a. 1. ad 3.

*Inst.*

*Inst.* 2. Christus *Matth.* 5. ℣. 17. dicit, *Non veni solvere legem sed adimplere*, ergo pro justificatione manet eadem obligatio amoris Dei. R. 1. Ergo sicuti in antiqua lege requirebatur amor perfectus, ita requiretur in nova. R. 2. ergo pro justificatione manet obligatio amoris Dei, si non suscipiatur Sacramentum, c, si hoc suscipiatur, n. Et hoc est privilegium novæ gratiæ, quam addidit Christus, ut etiam sine amore possit vi Sacramenti obtineri justificatio.

*Obj.* 3. Pœnitentia debet esse tristitia *secundùm Deum*, uti colligitur ex 2. *ad Corinth.* 7. sed attritio non est tristitia *secundùm Deum*, sed secundùm se ipsum, attritus enim non dolet de peccato, quia est malum Deo, sed quia est sibi attrito malum, ergo. R. n. min., quia quamvis attritio sit de malo attriti, tamen simul est tristitia *secundùm Deum*, in quantùm elicitur ex fide in Deum, ex spe & amore concupiscentiæ erga Deum. 866.

*Inst. S. Th.* lect. 3. in eum locum Apostoli dicit ex *amore, quo diligitur Deus, causari tristitiam, quæ est secundùm Deum.* R. Non dicit semper causari ex amore perfecto, sed saltem imperfecto, qualis est amor concupiscentiæ: & ideo amorem illum, qui tristitiam *secundùm Deum* causat, opponit amori sæculi, cui etiam opponitur amor concupiscentiæ, quo ferimur erga Deum in beata æternitate possidendum.

*Obj.* 4. Ut dolor valeat, peccatum debet in se & secundùm se displicere voluntati, sed per dolorem ex metu non displicet peccatum in se & secundùm se, ergo. *Prob. min.* Peccatum displicet propter pœnam, ergo non in se & secundùm se. R. n. min. *Ad prob.* n. conseq. nam si 867.

doleam de peccato propter bonitatem Dei offensi, secundùm omnes peccatum displicet in se & secundùm se, quia nempe peccatum in se & secundùm se opponitur bonitati Dei, ergo similiter si doleam de peccato propter pœnam, peccatum in se & secundùm se displicet, quia displicet secundùm intrinsecam malitiam suam, per quam est inductivum talis pœnæ.

868. *Obji.* 5. Dolor ad Sacramentum requisitus debet esse detestatio peccati prout est offensa Dei, ergo prout peccatum est malum Deo. Et ideo S. *Th.* 3. p. q. 86. a. 3. O. dicit ad veram pœnitentiam pertinere deserere peccatum, in quantùm est contra Deum. ℟. Debet esse detestatio peccati prout est offensa Dei ùt summè boni, n. ùt præmiatoris, ùt punitoris, aut ùt primæ regulæ omnis honesti, c. ant. & n. conseq. Et ex hoc patet ad S. *Th.*, nam ad pœnitentiam sufficit deserere peccatum, in quantùm est contrà Deum ùt præmiatorem, punitorem, vel regulam honesti. Et quòd detestari peccatum *tanquam Dei offensam* non sit actus elicitus à sola charitate, docet expressè S. *Th.* q. 85. a. 2. O., ubi dicit pœnitentiam esse specialem virtutem, adeoque ratione motivi distinctam à charitate, quia intendit destructionem peccati, *in quantùm est Dei offensa.*

869. *Obji. 6.* Malitia peccati consistit in hoc, quòd homo creaturam amet præ Deo, ergo dispositio ad remissionem peccati debet esse talis, ut homo Deum amet præ omni creatura. *Conf.* nam peccator habet creaturam pro fine, cui, ergo ut convertatur, debet iterum habere Deum pro fine, cui, ergo amare Deum propter Deum ipsum. ℟ Ergo dispositio ad remissionem

nem peccati debet esse talis, ut amet Deum præ omni creatura, amore amicitiæ, n., concupiscentiæ, c., sic autem amat per attritionem ex spe possidendi Deum, ideoque amor concupiscentiæ secundùm dicta n. 827. in *Resp.* 3. est hoc sensu super omnia, quòd vi illius homo sit paratus potiùs negligere omnia bona & pati omnia mala quàm Deum pro æternitate non habere vel iterum perdere per peccatum. *Ad Conf.* dist. conseq. Ergo ut convertatur perfectè & sufficienter pro justificatione sine Sacramento, debet iterum habere Deum pro fine, cui, c., ut convertatur imperfectè attamen sufficienter pro justificatione in Sacramento, n., Deus enim hoc non requisivit, sed propter infinita Christi merita nobis applicanda per Sacramentum, voluit hoc fieri per illud ipsum Sacramentum, quod non fiebat ex vi solius actûs, quem habet pœnitens.

*Inst.* 1. Qui per peccatum convertitur à Deo ad creaturam, ille creaturam præfert Deo ergo qui per pœnitentiam, convertitur à creaturis ad atqui attritus non præfert omnibus creaturis, atqui attritus non præfert Deum sibi ipsi, sed hoc fit per solam charitatem, ergo attritus verè uou convertitur ad Deum. R. Peccans, creaturam in se non præfert Deo in se, scit enim semper Deum esse infinitè digiorem omni creaturâ, sed fruitionem creaturæ præfert fruitioni Dei: Et similiter qui per attritionem convertitur à creaturis ad Deum, ille fruitionem Dei, quem vult ùt finem ultimum, præfert fruitioni omnis creaturæ, hoc autem fit sine charitate.

*Inst.* 2. Qui sibi amat divitias, plùs amat se

quàm divitias, ergo qui sibi amat Deum, plùs amat se quàm Deum, hoc autem est inordinatum. &.n. conseq. qui sibi amat divitias, vult illas ùt purum medium suæ felicitatis: è contrà qui sibi amat Deum, vult Deum ùt suum finem ultimum, quo felix sit, ergo non excluditur, quin plùs amet Deum quàm se, saltem per alium actum concomitantem.

*Inst.* 3. Attritio ex amore concupiscentiæ habet peccatorem pro fine, cui, ergo non convertit peccatorem ad Deum sed ad seipsum. &. Ergo non convertit peccatorem ad Deum, perfectè, c, imperfectè, n, hoc ipso enim, quòd respiciat Deum, & avertat peccatorem à peccato, quod peccatum avertebat à Deo, jam iterum convertit peccatorem ad Deum: Et ratio à priori est, quia quamvìs amor concupiscentiæ convertat nos ad nos ipsos tanquam ad finem proximum, cui, tamen non sistimus in nobis tanquam in fine ultimo, sed manemus, vel habitu, vel per alium actum, saltem suo tempore ordinamur ad Deum tanquam finem ultimum, cui, in quem nunc ille amor concupiscentiæ tendit tanquam in finem, qui, non excludendo alteram relationem ad Deum tanquam ultimum finem, cui, quamvìs ipse de facto ita non referat: hoc autem sufficit, quia sicuti per peccatum ita convertimur ad creaturam, ut ex amore creaturæ velimus facere aliquid, quo privamur Deo, sic per attritionem ex amore concupiscentiæ ita amamus honestatem aliquam creatam, v.g. quæ relucet in desiderio assequendæ beatitudinis vel declinandæ gehennæ, ut detestemur peccatum, quo privati sumus Deo, velimusque nunquam ampliùs facere allquid,

quo

quo privemur Deo, ergo sufficienter convertimur ad Deum.

*Inst.* 4. Timor non co nverit ad illum, qui timetur, sed potiùs facit, ut fugiatur, eò quòd timeantur pœnæ ab illo. R. Timor sine amore concupiscentiæ & sine proposito servandi omnia præcepta illius, qui timetur, non convertit ad illum, transeat, timor habens adjunctum amorem concupiscentiæ & propositum servandi omnia illius præcepta, adeoque & illum suo tempore amandi super omnia, ille non convertit ad eum, qui timetur, n., talis autem timor est nostra attritio. 870.

*Inst.* 5. *Aristoteles.* 2. Rhetor. c. 4. ait: *Nemo eum, quem metuit, amat.* R. Nemo eum, quem cum inhonesta servilitate metuit, amat, c., quem sine inhonesta servilitate metuit, attamen serviliter, subdistinguo, non amat amore perfecto amicitiæ, de qua ibi agit *Aristoteles*, c., nunquam amat amore concupiscentiæ, n., & experientia docet oppositum, nam honesti servi & timent & ament Dominos, quos etiã offendere nolunt.

*Obj.* 7. Si rebellis petens veniam à Rege diceret, *doleo de rebellione, non gratiâ tuî, sed propter me, ne me punias*, interim pergeret non habere benevolentiam erga Regem suum, dignus non esset, ut ad ejus amicitiam admitteretur, ergo nec peccator per solam attritionem se convertens ad Deum. R. 1. Dato antec. n. conseq.., nam talis rebellis sic loquens præseferret contemptum personæ regiæ non introspicientis cor illius, quod non est de attrito respectu Dei. Quòd si supponas abesse hunc contemptum & actum istius rebellis esse honestum, eundemque rebellem in corde dolere de offenso Rege, demissè pete- 871.

petere eum sibi reconciliari, paratum esse imposterum ei servire in omnibus ac etiam velle, quando tenebitur, amare perfecto amore amicitiæ, quæ omnia sunt in attrito respectu Dei offensi. R. 2. Talis rebellis non esset dignus, ex vi talis actûs, ut admitteretur ad amicitiam Regis, &c., non esset dignus ex vi illius actûs tanquam dispositionis, quâ positâ Rex promisisset veniam propter alicujus alterius merita vel intercessionem, v. g. alterius Regis, n. Jam verò Deus promisit, quòd positâ attritione cum Sacramento vellet dare veniam, non ex vi vel merito attritionis secundùm se, sed ex vi attritionis cum Sacramento, cui infinita Christi merita privilegium illud impetrârunt.

872. *Obji.* 8. Habitus fidei & spei non recuperantur à peccatore, nisi prævio actu fidei & spei, ergo nec habitus charitatis nisi prævio actu charitatis. Hoc argumentum vocat *Palav.* validissimum. R. 1, Si argumentum valet, ergo etiam habitus, v. g. temperantiæ & reliquarum virtutum non recuperantur à peccatore nisi prævio actu temperantiæ & reliquarum virtutum, quòd apertè falsum est, ergo argumentum illud non est validissimum sed prorsus nullum. R. 2. n. conseq. Actus fidei & spei prærequiruntur ante Sacramentum Pœnitentiæ, non quia per Sacramentum recuperari debent isti habitus, sed quia actus illarum virtutum sunt specialiter necessarii ad dolorem supernaturalem, uti dictum est l. 2. à n. 15., qualiter necessarius non est actus charitatis, sine qua dari possunt actus supernaturales aliarum virtutum.

*Obji.* 9. Dolor ad Sacramentum requisitus debet esse actus virtutis, sed dolor ex timore non

non est actus virtutis, quia timor non est virtus, sed tantùm numeratur inter dona Spiritûs sancti, ergo. R. n. min. sicuti enim fortitudo, pietas, sunt dona Spiritûs sancti, in quantùm faciunt promptè sequi inspirationes divinas, in quantùm autem faciunt promptè sequi imperium rationis, sic sunt virtutes, utì habet *S. Tho.* 1. 2. q. 68. a. 1. O., ita etiam timor Domini est non tantùm donum Spiritûs sancti, secundùm dicta n. 820., sed etiam virtus potens habere actus efficaces excludentes omnem voluntatem peccandi.

*Q. 120. An sententia tenens attritionem sufficere cum Sacramento, sit practicè certa. R.* §. 1. Negat *Le Drou* d. 4. c. 4. sed plurimi affirmant, nam *Amicus* d. 12. n. 12. & *Esparsa* q. 89. a. 8. vocant indubitatam: *Arjdek.* tom. 2. p. 2. tr. 1. c. 3. q. 21. dicit videri ita securam, ut ampliûs de ea prudenter dubitari non possit: *Tann.* d. 6. n. 68. *Con.* De Sacram. q. 62. n. 33. vocant satìs certam: *Præpos. Prado, Salas, Viva* hoc anno 1711. Francofurti recusus, in q. prodroma n. 20. moraliter certam: *Suar. Less. Rayn. Fernand. Diana, Martinon, Perez, Mlodz* d. 4. q. 2. p. 1. *Castrop.* t. 23. p. 7. n. 1. *Dicast.* d. 6. n. 145. *Ills.* n. 32. absolutè certam: *Card. de Lugo* d. 5. n. 137. *Sporer, Bosco*, communem & certam: *Filliut. Oropega, Herinx* d. 2. n. 41. *Francol.* de discipl. pœn. l. 3. c. 6. § 5. certam in praxi: *Fr. Lugo, Bonett. Mald. Le Dent* tutam in praxi: *Aversa* q. 11. s. 4. tutam post *Tridentinum*: *Gorm.* à n. 448. practicè & indubiè certam: *Estrix* & *Cardenas* certam & omnino tutam: *Leander à SS. Sacram. Paulus de palatio, Seraphinus à Conceptione* vocant certissimam: *Bonæsp.* & *Arriaga* d. 17. n. 25. dicunt videri 873.

deri sibi esse ferè de fide: *Moya* d. 5. q. 1. n. 3. dicit esse veritatem inter fidei dogmata numerandam, & n. 10. addit hoc certâ fide esse tenendum: *Stoz* l. 1. p. 2. n. 39. vocat ex fide catholica certam: *Medin. Ledesm. Bellarm. Requs. Fagund. Abelly*, G. *Sanch. Pasq.* & alii cum *Moya* n. 1. dicunt determinatam in *Tridentino*: *Paulus de palatio* vocat certissimam & definitam à *Tridentino*: *Binsfeldius* probatam Conc. *Tridentini* sententiam: *Silvester De Prieras* doctrinam Sanctorum & maximè S. *Thomæ*: *Gabriel à S. Vincentio* & *Meratius* d. 19. s. 1. communem Catholicorum sensum: *Canus & Petr. à S. Joseph* communem Ecclesiæ sensum: *Henriq. Rhod.* & alii dicunt hoc tempore non posse sine temeritate vel errore negari: *Bonæspei* d. 5. n. 4. postquam vocavit ferè certam certitudine fidei, addit se Romæ anno 1654. in Capitulo generali cum approbatione Magistri S. Palatii inter alias theses summo Pontifici dedicatas defendisse etiam hanc, *Contritionem verò omnem, quæ non sit ex motivo charitatis, inutilem esse ad absolutionem sacramentalem, propè hæreticum putamus.* Atque ideo opinionem, quæ contritionem perfectam requirit, dicit *Amicus* nunc non posse sine nota defendi: *Suar. Less. Dicast. Lugo*, *Sporer* aliique communissimè vocant absolutè improbabilem: *Viva* dicit esse umbratilis probabilitatis: *Caram.* in Th. fundam. n. 1293. tantùm tenuiter probabilem: *Stoz* n. 34. nullo modo probabilem: *Præpos.* nequidem tenuiter probabilem: *Leander* apud *Dianam* p. 11. t. 8. R. 43. plùs quàm improbabilem; *Honor*: *Fabri* erroneam: *Vasq.* periculosam: *Facultas Parisiensis*, Sacramenti pœnitentiæ imminutivam, temerariam, & erroneam:

neam: *Verricelli* falsam, temerariam & erroneam. Cardin. *Brancatus de Laurea* in 4. Tom. 2. d. 14. a. 8. n. 233. dicit sententiam, quæ dicit attritionem cum Sacramento non justificare, esse hæreticam, & per attritionem in d. 9. a. 3. n. 89. intelligit dolorem vel ex motivo turpitudinis peccati vel ex timore pœnarum : tamen quidquid hìc censurarum est, non approbo, verùm ideo solùm refero, ut constet, quis à temporibus *Tridentini* fuerit sensus de nostra sententia : Et de hoc possunt plura videri apud *Francol.* de dolore ad Sacramentum Pœn. necessario l. 1. c. 7. & l. 2. c. 6. §. 2. item de discipl. pœn. l. 3. toto.

§. 2. Consideratis omnibus, quæ hactenùs attuli, sententia tenens attritionem aliquam sufficere cum Sacramento, videtur mihi esse practicè certa. *Quod confirmo inde*, quia si non esset practicè certa, sed tantùm probabilior, aut etiam probabilissima, contineretur damnatione 1. prop. per *Innoc.* XI., *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiore*, atqui hac damnatione non continetur, nam *Martinus De Esparsa*, unus ex Theologis Romanis, qui jussu *Inn.* XI. cum aliis Consultoribus interfuit examini prop. damnatarum, Româ 6. Aprilis 1680. in Belgium scripsit in hæc verba : *Nullâ quisquam sollicitudine concuti debet circa sufficientiam attritionis in confessione propter prohibitionem* 1. *prop. ex 65. Ea propositio fuit reprobata propter suam illimitatam amplitudinem & universalitatem, cum indistinctione speculativè tantùm probabilis à probabili etiam practicè, & rursum probabilis utcumque à moraliter certa aut etiam plùs quàm moraliter certa : sententia autem de sufficientia attritionis* 874.

est

*est practicè probabilis & moraliter certa, atque ut ego puto, plùs etiam quàm moraliter certa. Accedit apud Censores prædictarum propositionum actum fuisse in terminis propriis de sufficientia attritionis, atque ex consensu omnium, qui aderamus, sententiam communem manisse incolumem,*

*Obji.* 1. Multi ante & post *Trid.* tenuerunt sententiam contra attritionem, uti constat ex dictis à nu. 856. ergo est extrinsecè probabilis. Deinde pro ea rationes multas ex *Trid.* adducit *Palav.* in actis Concilii versatissimus, ergo etiam est intrinsecè probabilis, ergo sententia pro attritione non est certa. *Confirm.* nam *Platelius*, licèt acerrimè stet pro attritione, dicatque sententiam suam habere aliquam moralem certitudinem, tamen nu. 716. agnoscit probabilitatem in opposita, quam etiam agnoscit *Oviedo* De justif. controv. 1. nu. 109. R. 1. Quamvis concederemus sententiam Adversariorum esse probabilem, tamen non esset obligatio eam sequendi, quia secundùm dicta in p. 1. n. 119. non est obligatio sequendi eam sententiam, per quam administratio vel susceptio Sacramenti fit obnoxia nimiis scrupulis & difficultatibus, atqui per sententiam Adversariorum administratio & susceptio Sacramenti Pœnitentiæ fit obnoxia nimiis scrupulis & difficultatibus, nam sirequiratur certa intensio, uti volunt Adversarii, & quidem major, quàm de facto sit in ullo alio actu pœnitentis, nunquam poterit Confessarius, imò nec pœnitens esse moraliter certus, sed prudenter debebit semper dubitare de sufficientia dispositionis, adeoque extra necessitatem extremam non poterit dari vel peti absolutio, ne Sacramentum exponatur periculo

culo nullitatis, hoc autem est absurdum, ergo. *R.* 2. Ex hoc, quòd aliqui Auctores teneant sententiam oppositam, aut dicant esse probabilem, non eliditur certitudo practica nostræ sententiæ, utì fateri debent omnes in similibus casibus, nam etiam secundùm Adversarios cum *Le Drou* est practicè certum, quòd sufficiat contritio ex charitate imperfecta, & tamen requirì etiam cum Sacramento contritionem perfectam docuerunt multi graves Auctores, teste *Le Drou* diss. 1. c. 3. & idem est de plurimis aliis sententiis, ergò. Rationes per *Palav.* ex *Trid.* allatæ abunde solutæ sunt à n. 840. Imò cùm *Palav.*, qui sententiam suam contra attritionem docuerat, priusquam scriberet Historiam, ideoque determinabatur ad illam, prout posset, stabiliendam, cùm, inquam, argumenta meliora non invenerit vel in *Trid.* vel in ejus Actis, certò inferimus nulla fuisse præter ea, quæ sine difficultate explicavimus: unde *R.* 3. Etiam certitudini practicæ alicujus sententiæ non obstat, quòd non omni planè ratione destituatur sententia opposita, sed satìs est, quòd omnibus perpensis judicetur vix supereſſe apparentiam veri vel scrupulum pro illa, & clarè dissolvantur argumenta contraria, cujus rationem & exempla dedi in l. 6. p. 1. n. 119.

*Inst.* 1. Saltem sententia requirens dilectionem non potest dici absolutè improbabilis, ergo est absolutè probabilis, & consequenter opposita non est practicè certa. *Prob. ant.* quia *Alex.* VII. feriâ 5. die 5. Maji 1667. edidit hoc decretum: 875.

S. D. N. ALEXANDER Papa VII. cùm acceperit non sine gravi animi mœrore Scholasticos

sticos quosdam acriùs, nec absque fidelium scandalo inter se contendere, an illa attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam sententiam censurantibus: Sanctitas Sua enixè cupiens pacis vinculum inter fideles servari, omnémque scissuræ fomitem extinguere, auditis votis Eminentiss. ac Reverendiss. DD. Cardinalium adversùs hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, necnon DD. Consultorum & Qualificatorum S. Congregationis ejusdem Generalis Inquisitionis, hoc præsenti Decreto in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ huic sanctæ Sedi reservatæ, aliisque pœnis ejusdem S. Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis & singulis fidelibus quocumque gradu ac dignitate etiam Episcopali & majori, imò & Cardinalitiâ fulgentibus, ut si deinceps de materia attritionis præfatæ scribent, vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes aut Scholares cæterosve erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ alteriusve injuriæ aut contumeliæ notâ taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum, &c.

Ex hoc Decreto sic formatur argumentum: dicere

dicere opinionem, quæ requirit dilectionem, esse absolutè improbabilem, est eam afficere censurâ, injuriâ & contumeliâ, sed hoc prohibet *Alex. VII.*, ergo. R. Decretum expressè loquitur de illa tantùm opinione, quæ requirit *aliqualem dilectionem Dei in attritione ex metu gehennæ concepta*; hanc autem opinionem nos non oppugnamus, sed fatemur aliqualem Dei dilectionem esse necessariam, unde ex hoc Decreto confirmantur illa, quæ diximus. Itaque dist. antec. sententia requirens aliqualem dilectionem non potest dici absolutè improbabilis, c, requirens dilectionem ex motivo charitatis, n. Sed nec est censura dicere opinionem aliquam esse improbabilem, uti dictum est l. 1. n. 199. ac præter *Hurt.* & *Lugo* de fide d. 20. nu. 104. docet *Viva* ad prop. damn. in Præfat.; quidquid contradicant *Le Drou* & *Amicus* De Deo d. 19. n. 14. Foret tamen censura, si diceretur temeraria, nam dicere improbabilem, tantùm est dicere, quòd careat gravi fundamento, quamvis ob rationes apparentes possit bonâ fide & invincibiliter à viro intelligente & prudente defendi tanquam vera; è contrà dicere temerariam, est dicere, quòd vel contra se habeat tales rationes, vel ita careat ratione pro se, ut nemo intelligens & prudens possit eam bonâ fide & cum invincibili ignorantia defendere, Tò *temeritas* enim sonat, vel ex parte intellectûs inconsultam præcipitantiam, vel ex parte voluntatis inordinatum impetum sive passionem, uti expressè docet S. *Th.* 2. 2. q. 53. a. 3. ad 2., quorum neutrum sonat Tò *improbabilitas*.

*Inst.* 2. Pontifex non prohiberet affici ullâ censurâ vel injuriâ, nisi judicaret esse proba-

bilem. *R.* 1. Opinio, quam prohibet afficicensurâ, est vera, nam est illa, quæ requirit aliqualem dilectionem, hinc admitto, quòd agnoscat eam esse probabilem. *R.* 2. negando assumptum, ab hoc enim abstrahit, & expressè dicit se ideo ista prohibere, ut compescantur diffidia, quæ violant charitatem & pacem.

876. *Inst.* 3. Pontifex expressè addit, *Donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum*, ergo cùm hoc decretum emanârit post *Trid.*, sequitur in *Trid.* nihil esse assertum pro sufficientia attritionis. *R.* Sequitur nihil esse assertum authenticè per claram definitionem in Canonibus, & nihil esse assertum dogmaticè per doctrinam in Capitibus, ex qua moraliter certò liceat inferre sufficientiam attritionis, n. conseq. Jam verò ut doctrina nostra sit privatim certa certitudine sufficiente, non est opus, ut sit authenticè definita per Canonem Concilii tanquam de fide tenenda, sed satis est, quòd ex infallibili Ecclesiæ doctrina colligatur per discursum rectè concludentem, simulque clarè dissolvantur argumenta opposita, hoc autem judico nos fecisse. Ex dictis,

877. §. 3. *Colliguntur sequentia*, 1. Cum Sacramento sufficit attritio, non tantùm concepta ex consideratione turpitudinis peccati, sed etiam ex spe præmii æterni, aut etiam ex metu gehennæ, de omnibus enim procedunt pleræque auctoritates & rationes allatæ: ac speciatim de attritione ex metu gehennæ id expressè affirmant 38. Auctores à *Gormaz* relati à n. 446., inter quos Concilia particularia duo, Catechismi tres, Inquisitio generalis Hispanica una, ideoque hanc illationem similiter tutam vocat *Azor*,

certam

certam in praxi *Oropegæ*, communem, veram & certam *Madernus*: nec videtur esse ratio dubitandi, supposito, quòd una ex relatis attritionibus certò sufficiat, maximè cùm de omnibus æqualiter loquatur *Tridentinum*.

2. Etiam sufficit ejusmodi attritio cognita, nec requiritur, ut existimetur esse contritio: ideoque *Suar.* d. 20. s. 1. n. 20. *Ills.* n. 32. aliique cum *Rayn.* in Heter. tom. 16. s. 1. pu. 8. n. 21. & *Moya* n. 7. vocant etiam hanc illationem practicè certam, quidquid contradicere videantur *Corduba* & alii apud *Aversam* q. 11. s. 4., qui requirunt, ut existimetur esse contritio, requirunt autem, non ad valorem sed ad fructum Sacramenti, utì ostendunt *Suar.* n. 7. & *Cardenas* in 2. crisi d. 2. n. 68., unde Sacramentum valere putant *Corduba* & isti alii, quamvis abesset ejusmodi existimatio, sed illos rectè confutat *Gorm.* à n. 457., si enim attritio ex voluntate Christi sufficiat, nulla est ratio requirendi talem existimationem; si attritio secundùm se non sufficiat, etiam non sufficiet, quamvis adsit talis existimatio, quæ merè per accidens se habet, imò est error, quem non est credibile à Christo specialiter requiri ad valorem vel fructum Sacramenti. Hinc *Toletus*, qui priùs docuerat attritionem cognitam non sufficere, postea mentem mutavit, uti demonstrat *Francol.* De dolore l. 2. c. 6. n. 17. 878.

3. Contritio, nequidem pro articulo mortis requiritur ad valorem Sacramenti, quod *Ills.* suprà & *Esparsa* a. 9. rectè dicunt etiam esse certum; & *Diana* p. 3. t. 4. R. 98. malè citat Patrem *Suar.* in oppositum, non enim requirit contritionem ratione Sacramenti, sed ratione præcepti charitatis, tum in Deum, tum in se ipsum, 879.

quod obligat ad contritionem pro articulo mortis, uti dicetur n. 2009. Putatque *Illsf. Cordubam* & alios simili modo posse conciliari.

880. 4. Si alicui videatur supersse prudens dubium de veritate nostræ sententiæ, tenetur in administratione & susceptione Sacramenti procurare contritionem, ne suo judicio Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

881. 5. Quamvis aliquis judicet satis tutò procedi cum attritione, in praxi tamen consultissimum est, ut quantùm fert tempus & occasio, procuretur à Confessariis & eliciatur à pœnitentibus contritio, tum quia est maximi meriti deléque multùm etiam de pœnis, tum quia licèt aliquis contendat ad contritionem, fortè tantùm attritionem attinget; ubi è contrà si voluntariè sistat in infimis aliis motivis, præsertim pœnæ, signum est animi non satis conversi ad Deum: estque credibile sæpe in tali homine remanere servilitatem sive occultum affectum non deserendi peccatum, nisi incumberet pœna.

882. 6. Si quis post conatum non satis adverta vel in pœnitente vel in se ipso contritionem, dummodo moraliter certus sit de attritione, tutò procedit, etiam secundùm plerosque Adversarios, quia tum non relinquit sententiam tutiorem, cùm moraliter eam ibi sequi non possit, sed potiùs censebitur necessitas procedendi secundùm minus, attamen satis tutam.

883. 7. Cùm difficile sit conteri purè ex motivo bonitatis Dei, in praxi non expedit excludere alia motiva, v. g. dicendo, *doleo, non quia amisi præmia vel merui pœnas apud Deum, sed purè ideo quia Deo summè bono displicui &c.*; communiter enim

enim falsum est, præsertim in hominibus necdum perfectis: itaque juvari debet voluntas omnibus motivis, v. g. hoc modo, *Doleo, non tantùm, quia per peccata demeritus sum apud Deum præmia æterna aliaque bona, è contrà meritus sum gehennam vel alias pœnas, sed etiam & maximè ideo doleo, quia Deo summè bono displicui, quia illi fecimalum, qui propter infinitas suas perfectiones erat dignissimus non offendi, sed semper amari, coli, honorari &c.* Modum practicum pœnitentem per attritionem ex turpitudine peccati vel ex spe aut metu adducendi ad contritionem, proponam à n. 1723.

Q. 121. *An hactenùs dicta valeant etiam de attritione ex metu pœnarum temporalium.* R. §. 1. Probabilissimum est, quòd ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficiat attritio concepta ex metu pœnarum temporalium, etiam hujus vitæ, ùt infligendarum à Deo; hoc tamen non est omnino certum. *Pars 1. probatur*, nam imprimis ita docent Auctores plurimi & gravissimi, cum *Suar. Less. Gran. Regin. Lugo, Avers. Gorm.* p. 1. nu. 454. *Diana* p. 11. t. 8. R. 43. *Moya* d. 5. q. 4. *Cardena* in 2. crisi d. 2. n. 70. Deinde rationes sunt gravissimæ, 1. Quia *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 4. inter motiva attritionis sufficientia ad Sacramentum ponit ex metu *gehennæ & pœnarum*, ubi per Tò gehennæ intelligitur pœna æterna, per Tò pœnarum autem videtur præscindi ab æterna vel temporali. 2. Quia hæc attritio ex metu pœnarum temporalium potest esse honesta, supernaturalis & efficax, saltem respectu venialium, sicuti attritio ex metu pœnarum æternarum est talis respectu mortalium. 3. Quia aliàs non possemus ex metu pœnarum atteri de 884.

venialibus, cùm non mereantur pœnam æternam, hoc autem videtur inconvenientissimum, ergo. *Pars 2.* etiam probatur, nam licèt *Gobat* t. 6. n. 47. putet non esse dubitandum de attritione ex metu pœnarum temporalium, & *Arriaga* d. 11. nu. 2. dicat esse omnino certum, quòd sufficiat, saltem ex metu pœnarum Purgatorii, tamen universaliter de attritione ex metu pœnarum temporalium negant *Canus*, *Vasq.* q. 92. a. 1. dub. 3. *Hurt.* apud *Dianam* p. 9. t. 9. R. 51., & talem attritionem vocat suspectam *Côn.* d. 4. n. 39.. ideoque *Carden.* n. 72. & *Gorm.* suprà dicunt sententiam illam de attritione, absolutè ex metu pœnarum temporalium, non esse certam, sed videntur intelligere pœnarum hujus vitæ. Ratio autem est, quia quamvis *Trid.* ponat ex metu gehennæ & pœnarum, tamen non dicit gehennæ vel pœnarum, hinc fortè ponit Tò gehennæ & pœnarum pro eodem, subintelligendo, & pœnarum gehennæ; vel fortasse per Tò *gehennæ* inrelligit pœnam damni, per Tò *pœnarum* pœnam sensûs in inferno: Quamvis autem talis attritio ex metu pœnarum etiam temporalium possit esse honesta, supernaturalis & efficax respectu venialium, tamen aliunde non constat certò, quòd Christus voluerit sufficere, sufficitque certò alia attritio respectu venialium, nempe concepta ex motivo turpitudinis peccati, ergo.

885. §. 2. Quod dictum est de attritione ex metu pœnarum temporalium, idem esse videtur de attritione ex spe bonorum temporalium. His tamen non obstantibus sententia contraria aliæque similes opiniones ad hoc serviunt, etiam in ordine ad praxin, non quidem ut secundùm

cundùm illas conferatur vel ſuſcipiatur Sacramentum, nam hoc damnat *Innocentius* XI. in 1. propoſitione, ſed ut ſi Sacramentum bonâ fide ſuſceptum ſit, non ſit opus peccata vel confeſſiones repetere, probabiliſſimum enim eſt valuiſſe; nec ideo ullum Sacramentum exponetur periculo nullitatis, ſi peccata illa vel confeſſiones non repetantur, quia certum eſt ad valorem confeſſionum ſequentium ſufficere integritatem formalem, utì dicetur à n. 1140.

*Objicies.* *Tridentinum*, etiam non expreſſit 886.
motivum attritionis ex ſpe præmii æterni vel beatitudinis, & tamen non dubitamus de illius ſufficientia. Deinde *Trid.* ibi expreſſit, quòd Ninivitæ timore pœnæ temporalis perculſi pœnitentiam egerint & miſericordiam à Deo impetrârint, ergo ſufficienter innuit etiam ſufficere ad impetrandam veniam in Sacramento. *R. Ad* 1. Hoc ipſo, quòd expreſſerit attritionem ex metu gehennæ, ſatìs ſignificat ſufficere attritionem ex ſpe beatitudinis, tum quia hæc attritio eſt perfectior, tum quia metus gehennæ ſaltem plerumque movet, quia eſt privatio beatitudinis, idem enim videtur eſſe timere privationem boni & deſiderare bonum, utì rectè *Lugo* d. 5. n. 132. *Ad* 2. n. conſeq. nam ſecundùm dicta n. 837. *Trid.* ſeſſ. 14. De pœn. c. 4. in fine loquens de Ninivitis, non ampliùs habet ſermonem de Sacramento Pœnitentiæ, ſed iterum redit ad probandum principale intentum, quod erat, timorem ſervilem poſſe eſſe honeſtum & ſupernaturalem, quod inde probat, quia à Deo meruit liberationem ab everſione urbis; certum enim eſt Pœnitentiam illam ſervilem non meruiſſe remiſſionem peccatorum,

cùm neque esset contritio neque attritio conjuncta cum Sacramento, & vix est credibile, inquit *Herinx* d. 2. n. 43. omnes Ninivitas, qui ab eversione urbis liberati sunt, etiam eo tempore esse à peccatis liberatos.

887. Q. 122. *In quo sensu verum sit, quòd peccatum per Sacramentum ex attrito fiat Contritus.* R. Constabit ex seqq. §. 1. Peccatorem per Sacramentum fieri ex attrito contritum, tam certum est hoc tempore, inquit *Suar.* d. 20. s. 1. num. 10., ut absque errore negari non possit, & ideo hoc transiit quasi in axioma commune apud omnes receptum.

888. §. 2. Attritio non fit formaliter contritio; *S. Th.* in suppl. q. 1. a. 3. *Suar.* d. 5. s. 3. aliique communissimè contra varios, qui diversis modis id asserunt, quorum quatuor recenset *Suar.* ibidem, & plures alios *Aversa* q. 2. s. 15. Ratio nostra est, quia contritio ex objecto & modo tendendi in Deum propter se, distinguitur intrinsecè ab attritione, uti constat ex dictis à n. 722. & 784., nullus autem actus potest mutare objectum vel modum suum tendendi, cùm ipse sit essentialis sua tendentia in objectum.

889. §. 3. Quamvis *Scotus* in 4. dist. 14. q. 4. ad 2. admittat hanc propositionem, *attritio fit contritio*, tamen commune axioma tantùm habet, quòd attritus fiat contritus, nam fieri potest, ut attritioni nequidem succedat contritio. Itaque attritus fit contritus, quia subjectum attritionis accipit aliquid, per quod aliquo modo dicatur contritus, uti jam dicetur.

890. §. 4. Attritus fit per Sacramentum contritus, imprimis habitualiter, quia accipit habitum charitatis, qui est principium per se elicitivum forma-

formalis contritionis. Deinde æquivalenter, quia per attritionem cum Sacramento, fit quod fieret per contritionem, nempe ut remittantur peccata. Præterea etiam fit contritus quoad effectum, quia per Sacramentum cum attritione causatur idem effectus gratiæ, qui per contritionem causaretur. Denique rectè notat *Aversa*, quando S. *Th.* negat attritionem hoc sensu fieri contritionem, quòd formetur per gratiam, eum loqui de attritione sine Sacramento, de cætero accedente Sacramento formatur per gratiam, utì constat ex dictis.

*Q. 123. An ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, præter dolorem requiratur aliquod propositum.* Bz. 891.

Affirmativè, imò *Aversa* dicit esse de fide, quòd ad veram contritionē requiratur aliquod propositum, idem autem est de attritione. Et quamvis aliqui apud *Moyam* d. 5. q. 11. n. 1. videantur contradicere, tamen non negatur à *Scoto*, qui sicuti requirit dolorem, ita etiam propositum, quamvis dicat neutrum esse partem intrinsecam Sacramenti. Nec negatur à *Soto*, utì videtur evincere *Dicast.* d. 6. n. 204. contra *Suar. Lug. Arr.*, nam ad summùm videtur velle, quòd possit aliquando utiliter audiri confessio illius, qui non proponit se emendare, ut sic per humiliationem suam & salutares admonitiones Confessarii paulatim adducatur ad verè pœnitendum, quod faciendum esse expressè mandat *Alexander III.* Cap. *Quod quidam 5.* De pœnit. & remiss. *quia*, inquit, *licèt non sit vera hujusmodi pœnitentia, admittenda est tamen eorum confessio, & crebris & salutaribus monitis pœnitentia inducenda.* Ratio autem nostræ responsionis est, tum quia *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 4. & *Florentinum*

*num* in decreto *Eugenii IV.* ad Armenos expressè requirunt propositum, tum quia certò requiritur dolor efficax de peccatis, omnis autem dolor efficax de peccatis est propositum saltem virtuale non peccandi de cætero, ergo.

*Objicies.* S. *Th.* in 4. dist. 21. q. 3. a. 1. quæst. 1. ad 1. sic habet, *Confessio non desinit esse sacramentalis, quamvis ille, qui confitetur, emendationem non proponat*, ergo ad Sacramentum Pœnitentiæ non requiritur propositum. R. n. conseq. S. *Th.* ibi agit de obligatione sigilli, & dicit si quis confessus sit ex intentione absolutionis, quamvis advertatur non habere propositum emendationis, nihilominus Confessarium teneri ad sigillum, quia confessio fuit sacramentalis, id est, facta in ordine ad absolutionem, licèt hæc non detur: per hoc autem non negat, sed potiùs significat propositum esse necessarium ante absolutionem, adeoque ad Sacramentum Pœnitentiæ.

892. *Q.* 124. *Quale propositum requiratur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. R.* §. 1. Certum est requiri propositum efficax, tum quia secundùm *Trid.* debet excludere voluntatem peccandi de cætero, quod non potest, nisi sit efficax, id est, tale, ut quamdiu existet, cum eo non possit componi voluntas peccandi; tum etiam quia dolor requisitus debet esse efficax, ergo similiter propositum, quod talis dolor includit vel ad quod determinat.

893. §. 2. Probabilius est ad Sacramentum Pœnitentiæ non requiri propositum formale sive explicitum, sed sufficere virtuale sive implicitum, contentum in dolore universali, uti habet communissima cum *Diana* p. 3. t. 4. *R.* 116.

*Gorm.*

*Gorm.* p. 1. n. 468. Probatur, nam imprimis ad dolorem efficacem non requiritur propositum formale, uti tenent *Maj. Medin. Vasq. Vega*, *Lugo* aliique communiter cum *Gonet* d. 7. n. 3. & *Dicast.* d. 2. dub. 6. quia licèt aliquis nihil cogitet de formali proposito, v. g. si statim post elicitum dolorem sit decapitandus, seque cognoscat non habiturum ampliùs periculum peccãdi, si seriò detestetur & doleat de peccatis commissis, dicetur conteri, ergo contritio non requirit formale propositum non peccandi de cætero, sed satis erit, quod sit virtuale tantùm. Deinde quòd talis dolor efficax sit virtualiter propositum non peccandi de cætero, inde constat, quia hoc ipso quòd quis ex motivo universali efficaciter velit non fuisse nec esse peccatum, habet actum, qui quamdiu stabit, sit incompossibilis cum voluntate peccandi, & quodcunque habeat motivum, si hoc faciat me efficaciter detestari & dolere de aliquo peccato, etiam facit à mè excludi voluntatem istius peccati etiam imposterum, ergo sic detestans & dolens, habet actum, qui de se sit exclusivus peccati etiam pro futuro, quique habeat virtutem determinandi voluntatem ad formale propositum non peccandi, si de illo eliciendo incideret cogitatio, hoc autem hìc intelligimus per propositum virtuale: Atque his habitis non est convincens ratio negandi talem hominem esse proximè dispositum ad absolutionem, ergo.

§. 3. Quamvis probabilius sit, ad Sacramen- 894.
tum Pœnitentiæ sufficere propositum virtuale, attamen hoc non est certum, hinc audiendus non est *Cardenas* in 2. crisi d. 2. n. 80. dicens supra omnem probabilitatem certum esse, quòd

suffi-

sufficiat virtuale. Ratio nostra est, quia ad contritionem efficacem de peccatis, & consequenter ad absolutionem requiri propositum formale, docent *Caj. Sot. Can. Gran. Ruard. Gerson, Bellarm.* l. 2. c. 6. aliique graviſſimi Auctores apud *Suar.* d. 4. s. 2., qui fatetur sententiam illam esse probabilem : Unde ad Sacramentum Pœnitentiæ absolutè requiri propositum formale docent *Henriq.* l. 4. c. 24. n. 2. *Valent.* d. 7. q. 8. pu. 6. sub finem, *Tolet.* in summa l. 3. c. 4. §. *Quinta est*, *Regin.* l. 5. n. 8. *Steph.* t. 5. d. 5. n. 112. Hinc etiam *Suar.* d. 20. s. 4. n. 22. *Tann.* d. 6. q. 6. n. 16. *Gob.* t. 6. n. 203. *Platel.* n. 646. dicunt per se vel moraliter loquendo requiri propositum formale, quia, inquit *Vasq.* q. 86. a. 2. dub. 4. n. 7. post cogitationem de vita præterita necessariò consequitur propositum de futura; unde etiam *Lugo* d. 5. n. 97. sententiam, quæ requirit propositum formale, non improbat, imò vocat communem Theologorum: *Averſa* autem q. 2. s. 12. *Gob.* n. 208. aliique dicunt esse saltem de præcepto, ut eliciatur propositum formale, nisi excuset defectus temporis vel inconsideratio, utì habet *Nav.* in manuali c. 1. n. 11. Nec desunt rationes probabiles, quarum præcipua est, quòd Florentinum & *Trid.*, item SS. PP., dum explicant partes hujus Sacramenti, æquè expressam mentionem faciant propositi ac doloris, dicunt enim partem hujus Sacramenti esse contritionem cum proposito non peccandi de cætero : & specialiter *Trid.* dicit in contritione includi, non tantùm vitæ novæ propositum sed etiam veteris vitæ odium, ubi videtur requirere propositum & dolorem tanquam duo. *Si dicas* loqui de proposito implicito,

*contrà* est, nam licèt hoc sit probabilius, attamen non est certum, probabiliter enim argumentatur *Bellarm.* suprà, cùm dolor efficax necessariò semper sit propositum implicitum, asserto tali dolore non fuisset opus præterea requirere propositum implicitum, fuisset enim idem, ac si dixisset, requiritur dolor, qui sit propositum implicitum, & propositum implicitum, quæ locutio videtur parùm apta. *Conf.* nam si sufficiat propositum implicitum, ergo præter dolorem non requiritur propositum, quia dolor ipse est propositum implicitum, ergo cùm *Trid.* dicat præter dolorem requiri propositum, requiretur propositum formale. Scio etiam huic rationi ita responderi posse, ut sententia negans maneat probabilior, sed non ideo eliditur probabilitas affirmantis, nam viciſſim ad argumenta nostræ sententiæ probabiliter respondet *Bellarm.* c. 7., quem proinde frustra conatur explicare *Gorm.* n. 469. quasi stet pro nobis, nam nimis clarè loquitur in oppositum. Et pro ipsius sententia sunt etiam prudentes conjecturæ sive congruentiæ, nam imprimis finis Sacramenti Pœnitentiæ est, partim reconciliatio cum Deo, partim recta dispositio vitæ imposterum simulque conservatio divinæ gratiæ & amicitiæ, ad ista autem necessarium est vel saltem plurimùm conducit propositum expressum non peccandi de cætero. Deinde qui offendit, ut reconciliet alterum, dicere solet, *doleo, quòd hoc fecerim, nec faciam amplius*, & hoc utrumque solet requirere offensus, ut reconcilietur, quia sic debet ille, qui offendit, ostendere, quòd imposterum nolit offendere, sed perpetuam colere amicitiam, quod plurimùm facit ad reconciliandum offen-

sum

sum, ergo fuit congruum, ut Christus idem requireret ab homiue, qui offenderat, volente sibi reconciliare Deum. Ex dictis,

895. §. 4. *Inferuntur seqq.* 1. In praxi est obligatio sub mortali, ut si quis de hoc cogitet, ante absolutionem eliciat propositum expressum non peccandi de cætero, quia cùm sententia nostra non sit certa, Sacramentum exponeretur periculo nullitatis.

896. 2. Actus pœnitentiæ pro absolutione requisitus debet esse odium peccati, non tantùm præsentis, in quantùm est detestatio & dolor, sed etiam futuri, in quantùm est propositum, uti dictum est n. 660.

897. 3. Si quis, dum contritionem elicit, cogitet de proposito, & hoc omittat, communiter signum esse, quòd habeat dolorem parùm efficacem, si enim esset efficax, per se loquendo, determinaret ad formale odium peccati etiam pro futuro. Quòd si positivè excluderet propositum, certum est dolorem non fore efficacem, uti etiam non est in illo, qui non vult deserere occasionem proximam peccandi. Similiter non est in illo verum & sincerum propositum, qui non vult adhibere media, quæ ipsi suggeruntur, pro emendatione peccatorum. Et propter unum horum sæpe neganda aut differenda est absolutio pœnitentis, nam si occasionem proximam deserere non velit, aut monitus eam non deseruerit, non est aversus à peccato, cujus occasionem vult, uti dicetur n. 1831. Qui autem non vult, aut sæpius negligit adhibere media præscripta, credi non potest ei, quòd se emendare velit, uti dicetur n. 1762.

898. §. 5. Probabilius videtur pro absolutione à mor-

mortalibus requiri propositum universale imposterum cavendi omnia mortalia, *S. Th.* 3. p. q.87. a. 1. his verbis, *Pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quòd homo proponat abstinere ab omnibus & singulis peccatis mortalibus.* Sequuntur *Nav.* in manual. c. 1. n. 9. *Con.* d. 2. n. 130. *Laym.* l. 5. t. 6. c. 4. n. 20. *Castrop.* t. 23. p. 2. n. 16. *Lugo* d. 14. n. 52. *Palav.* n. 283. *Gorm.* p. 1. à n. 149. *Escob.* l. 14. n. 172. *Tamb.* de confess. l. 1. c. 3. n. 14. *Ills.* n. 50. Et *Stoz.* n. 76. dicit esse exploratam sententiam, *Moya* autem q. 11 n. 7. dicit oppositum esse apertè falsum: Est autem contra *Aversam* q. 14. s. 6. *Gasp. Hurt. Rhod.* d. 2. q. 3. s. 1. §. 3. *Platel.* n. 641. *Dicast.* d. 6. à n. 240., qui sententiam nostram malè vocat singularem, hinc ipsius sententiam non esse practicè probabilem, rectè dicit *Gorm.* n. 463., & fatetur ipsemet *Dicast.* n. 74. *Probatur* autem ex *Florentino* & *Trid.*, nam aliter loquuntur de dolore, aliter de proposito, dolorem enim dicunt debere esse de peccato commisso, per quod innuunt posse esse etiam ex particulari motivo non extendente se ad omnia, sed tantùm ad commissa & necdum remissa, è contrà ad propositum requirunt voluntatem non peccandi de cætero, vel actum, qui excludat voluntatem peccandi, quæ verba ita prolata cum particula absolutè negativa vel simpliciter exclusiva peccati videntur sonare propositum nunquam peccandi, adeoque propositum cavendi omne mortale in futurum. Et ratio esse potest, quia ut pœnitens reciperetur in gratiam, meritò requisivit Christus eum sic esse dispositum, ut vel ex vi doloris, vel ex vi propositi, vel ex vi utriusque simul esset positivè paratus ad servanda imposterum omnia Dei

præcepta, adeóque ad nunquam peccandum mortaliter, sub illa enim conditione promittit Deus impio veniam, *Ezech. 18. ℣. 21. Si custodierit omnia præcepta mea*, id est, si proposuerit custodire, patet enim hoc non fuisse opere priùs complendum, alioquin tantùm in fine vitæ remisisset peccata. Hoc ipsum arguitur etiam ex fine pœnitentiæ, qui est reformatio & recta institutio totius vitæ imposterum; item perpetua conservatio divinæ amicitiæ per pœnitentiam restitutæ, ad quos fines plurimùm conducit propositum universale nunquam peccandi de cætero.

899 *Obji. 1.* Dolor particularis de peccatis commissis & non remissis sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ, secundùm dicta n. 671., ergo etiam propositum particulare tali dolori respondens, quo statuo nõ relabi in peccata commissa. *Prob.* cons. Ideo sufficit ille dolor particularis, quia voluntas non est affecta ad alia peccata, quamvis ea positivè non detestetur, & aliunde non ponitur obex gratiæ, sed quando simul adest propositum particulare, voluntas etiam non est affecta ad alia peccata, nec ponitur ullus obex gratiæ, ergo. ℟. n. cons. Ad *prob.* n. maj. sed ideo sufficit, quia alium non requisivit Christus, qui requisivit aliud propositum, utì colligimus ex authoritatibus & rationibus allatis.

*Inst.* Saltem si dolor sit ex motivo universali, sufficiet propositum particulare de non iterandis peccatis commissis. ℟. Hoc quidem esse probabilius, quia tum virtualiter habebitur propositum universale respectu omnium, inclusum in dolore universali, attamen in praxi adhuc videtur eliciendum formale propositum uni-

universale de cavendis omnibus mortalibus, quia secundùm dicta n. 894. non est certum, quòd sufficiat propositum virtuale.

*Obji. 2. S. Th. 3.* p. q. 90. a. 4. O ait, *pertinet ad pœnitentiam, ut detestetur peccata præterita cum proposito immutandi vitam in melius*, ergo *S. Th.* ad pœnitentiam tantùm requirit propositum emendandi peccata commissa, & consequenter ad Sacramentum Pœnitentiæ non requirit propositum universale cavendi omnia mortalia possibilia, quia peccata, quæ quis non commisit, non potest velle emendare, ùt per se patet. R. n. cons. nam 1. ibi loquitur non de Sacramento, sed de virtute pœnitentiæ, cujus utique aliquis actus est detestatio & propositum emendandi peccata commissa, nullibi autem dicit tale propositum sufficere pro Sacramento Pœnitentiæ. 2. Per propositum immutandi vitam in melius intelligi potest etiam propositum cavendi omnia mortalia, ille enim optimè immutat vitam, qui quamvis solo furto Deum graviter offenderit, tamen postea nullo mortali Deum graviter offendit. 900

*Obji. 3.* Propositum cavendi omne mortale non potest esse efficax, nisi habeat adjunctam spem cavendi omne mortale, sed multi peccatores, præsertim consuetudinarii, non possunt habere spem cavendi omne mortale, quia ad spem requiritur, ut objectum proponatur tanquam possibile & probabiliter futurum, tali autem homini non potest proponi tanquam probabiliter futurum, quòd nunquam sit ampliùs peccaturus mortaliter, ergo. R. 1. Hoc solvendum esse omnibus, nam qui talia peccata confitetur, debet habere propositum illa ca- 901

vendi. R. 2. Sufficere desiderium seu volitionem efficacem cavendi omne mortale, quam potest habere, quamvis ex parte intellectûs adsit alius actus, quo judicat, vel etiam ex parte voluntatis timor, ne volitio illa desinat, nam etiam ideo debet pro auxilio recurrere ad Deum, cujus gratia juvare potest infirmitatem nostram, sícque poterit erigi etiam ad spem aliquam de hoc, ut si Dei gratiæ cooperetur, non relabatur, & ista sufficiunt ad propositum efficax, id est, tale, ut quamdiu existet, cum ipso incompossibilis sit voluntas peccandi.

902 *Q. 125. Quale propositum requiratur in confessione venialium.* R. §. 1. Requiri aliquod propositum, certum est, quia requiritur dolor de alliquo saltem veniali confesso, omnis autem dolor est aliquod propositum cavendi peccatum, de quo est dolor.

903 §. 2. Cùm dolor sufficiens ad Sacramentum debeat esse efficax respectu alicujus peccati confessi, utì dictum est n. 668., propositû debet esse efficax saltem respectu unius venialis confessi: unde audiendus non est *Suar.* De gratia l. 7. c. 24. n. 7. ubi videtur dubitare de hoc, an ad remissionem venialis requiratur propositum efficax.

904 §. 3. Quamvis probabiliùs sit sufficere propositum virtuale, tamen secundùm dicta num. 895. debet in praxi elici formale, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis, quando enim Concilia & Authores dicunt ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri dolorem cum proposito, non distinguunt inter confessionem mortalium & venialium: nec aliunde sufficienter colligimus non debere hoc extendi ad confessionem etiam venialium.

§. 4

§. 4. Non requiritur propositum extendens 905
se ad omnia venialia, quia secundùm dicta n. 681. non requiritur dolor de omnibus venialibus, quæ quis confitetur, ergo nec propositum cavendi illa omnia, sed sufficit propositum cavendi saltem aliquod illorum, de quibus dolet, & rationes ibi sunt sufficienter insinuatæ.

§. 5. Præter propositum cavendi aliquod 906
veniale ex confessis, de quibus dolet, fortè etiam requiritur propositũ cavendi omnia mortalia, seũ non peccandi de cætero mortaliter, quia qui suscipit Sacramentum, vult gratiam de se reconciliativam, quæ sit forma amicitiæ divinæ de se perpetuæ, ergo vult non esse aversus, nec inimicus Deo, ergo vult servare imposterum omnia ejus præcepta obligantia sub mortali, ergo vult nullum'mortale committere, & hoc re ipsâ est propositum universale cavendi mortalia.

*Q. 126. An & quomodo in praxi elici possit pro-* 907
*positum cavendi omnia venialia.* R. Difficultas hìc est non parva, cùm enim non possint caveri omnia, nisi, utì habet *Trid.* sess. 6. can. 23. ex speciali Dei privilegio, quod nemo sibi spondere potest, Authores variè loquuntur de hoc proposito cavendi omnia venialia, nam

I. S. *Th.* 3. p. q. 87. a. 1. ad 1. dicit ad pœnitentiam venialium sufficere, quòd homo proponat abstinere à singulis, non tamen ab omnibus. Non est autem sensus, quòd requiratur propositum abstinendi ab omnibus distributivè sumptis, hoc enim esset propositum abstinendi à collectione omnium, sicuti qui vellet occidere omnes homines distributivè sumptos, vellet re ipsâ tollere totam collectionem hominum,

num, quæ non includit nisi omnes & singulos. Nec est sensus, quòd sufficiat proponere abstinere à singulis sub disjunctione & conditionatè, v. g. sic, volo abstinere à mendaciis, vel si ab his non, volo abstinere à detractionibus &c., tale enim propositum non esset efficax respectu ullius determinatè venialis, quia esset compossibile cum singulis: Itaque *S. Th.* vult sufficere propositum abstinendi à quibusvis venialibus, quæ in particulari singulatim occurrere possunt, uti exponunt *Lugo* d. 14. n. 140. *Palav.* n. 288. *Aversa* q. 14. f. 6. Et simili sensu dicit *Stoz* n. 80. sufficere propositum vitandi singula in sensu diviso, ita ut nullum determinatè assignari possit, à quo animus saltem virtualiter non abhorreat.

1908 *2. Suar.* d. 4. f. 3. n. 5. dicit sufficere, si proponat facere, quod in se est, sive, ùt ait *Esparsa* q. 91. ad 1. a. 8. quantùm patitur humana fragilitas, velítque adhibere diligentiam magnam, quantùm fieri potest, in illis vitandis. Et quamvis *Lugoni* à n. 130. displiceat illud, *quod in se est*, tamen quæ opponit, displicent *Dicast.* d. 6. à n. 295., sed his omnibus omissis potest explicari *Suar.*, quòd sicuti ad efficacem dolorem sufficit affectiva detestatio, quæ tamen non potest efficere, ut peccata non fuerint, sic sufficiat affectivum propositum, quamvis efficere non possit, ut postea non sequatur relapsus, sufficit enim dolorem & propositum esse affectivè efficacia, quantùm in se est, & non requiritur esse effectivè absolutè efficacia.

909 3. *Stephanus à S. Paulo* t. 5. d. 5. n. 113. dicit sufficere, si habeat propositum conditionatum, seu desiderium cavendi totam collectionem, si esset

esset possibile, quia revera tota collectio ipsi displicet ex vi hujus pœnitentiæ: Hinc *Palav.* n. 292. dicit ad propositum hìc sufficiens requiri quidem desiderium, attamen non spem cavendi omnia: desiderium autem habere potest, inquiunt *Averſa, Rhodes, Bosco* n. 245., quia potest physicè cavere, quamvis moraliter non possit.

910 4. *Lugo* n. 133. dicit sufficere, si doleat de tanto numero, ac proinde proponat illam frequentiam emendare: Et hoc innuit etiam *S. Th.* suprà, dicens debere habere propositum se præparandi ad minuenda venialia; quia nempe est specialis inhonestas in repetita illa frequentia, quæ non est in singulis illis peccatis. Idem volunt *Tamb.* n. 9. & 10. *Sporer* n. 97. *Palav.* n. 289. dicentes sufficere, si proponat æquali tempore non committere tot venialia, sed emendare multitudinem, utì habet *Esp.* suprà; *Sed* contra hoc propositum movent difficultatem *Arriaga* d. 28. à n. 20. & *Dicast.* à n. 301., cui non satis obviavit *Lugo*, quæstio enim est de dolore & proposito, non tantùm circa illam frequentiam seu multitudinem emendandam, sed etiam circa ipsamet venialia, quæ frequentiam illam constituunt: hinc,

911 5. *Sporer* n. 338. ait magìs expedire confiteri & firmiter proponere cavere pauca venialia, v. g. quæ sunt graviora vel radices aliorum, aut contra quæ hìc & nunc confitens sentit se magìs moveri: Sic, inquit *Gob.* t. 6. n. 224., si mentitus es, quandoque cum, quandoque sine causa, sufficiet propositum imposterum non mentiendi sine causa, quia gravius est mentiri sine causa, quàm cum causa, v. g. ut impedias rixas, ut prosis proximo. In similem sensum dicit *Esp.*

suprà sufficere dolere de magnitudine venialium: hi tamen Auctores non satisfaciunt illi, qui doleret de omnibus venialibus, & proponeret cavere omnia, hinc,

912 6. *Arr.* n. 22. & *Bosco* n. 245. rectè dicunt me posse habere propositum sufficiens ad remissionem omnium, si doleam de illis, quæ feci, & proponam cavere similia, nam sicuti non feci omnia possibilia, sed tantùm aliqua, sic satis erit proponere cavere similia, quamvis sciam me non posse cavere omnia possibilia.

913 7. Rectè etiam notant *Suar.* suprà & *Tann.* d. 6. q. 6. n. 20. duplicia esse venialia, alia plenè deliberata, & hæc omnia possum moraliter vitare, ideoque possum proponere illa omnia cavere, quidquid contradicant aliqui cum *Bosco* à n. 202. Alia sunt semi-deliberata, & circa hæc sufficit dolere, quòd facta sint, ac imposterum velle adhibere diligentiam pro illis saltem minuendis, quantùm humano modo fieri poterit. Ex dictis,

914 *Colliges* cum *Con. Laym.* & *Castrop.* suprà, item cum *Tamb.* n. 14. propositum de mortalibus in hoc præcipuè differre à proposito de venialibus, quòd propositum de mortalibus debeat se extendere ad omnia etiam collectivè sumpta, non item ad omnia venialia, nequidem distributivè. Addunt iidem Auctores, propositum respectu mortalium debere esse magis efficax, quia relapsus in venialia non est ita noxius, neque occasiones ità sunt evitabiles: Inde rectè inferunt, faciliùs esse absolvendos, qui sæpè redeunt cum iisdem venialibus, quàm qui cum iisdem mortalibus. Quòd autem illi omnes, excepto *Castrop.*, doceant, etiam consentiente

*Pulav.*

Pal. nu. 292. non esse obligationem proponendi fugere occasiones proximas venialium, in hoc puto non esse audiendos, uti dixi l. 5. n. 283. nam qui vult periculum proximum peccati venialis, censetur velle peccatum veniale; & è contrà qui præcipit, ut vitem veniale, etiam præcipit, ut vitem illud, quod moraliter certò me inducet in veniale: imò quamvis esset tantùm probabile periculum proximum, ne inducerer in veniale, adhuc tenerer sub veniali illud fugere, quia hoc ipsum probabile periculum est præsens malum animæ, quod ex charitate teneor cavere, uti pluribus dictum est l. 5. num. 257.

Quandonam dubium sit, vel censeri debeat deesse propositum sufficiens, ideoque debeat negari vel suspendi absolutio, præsertim in recidivis & constitutis in occasione proxima peccandi, dicetur à n. 1819. 1831.

## DUBIUM III.

### Qualis Confessio requiratur.

### ARTICULUS I.

#### An debeat esse integra materialiter.

915 RESP. Ad Confessionem, per se & ordinariè, requiritur integritas materialis, sita in eo, ut postquam diligentiùs te excusseris, & conscientiæ tuæ sinus & latebras (ita loquitur Trid. sess. 14. c. 5.) exploraveris, confitearis omnia mortalia memoriæ occurrentia, nondum confessa, eorúmque numerum & circumstantias, quæ speciem mutant. Patet ex

»*Trid. l. c.* & est certum. Ratio, quia aliàs nec ju-
»dicium sacramentale rectè administrari, nec
»æquitas in pœnis statuendis servari potest.
» Dicitur I. *Per se, & ordinariè*: quia per ac-
»cidens & extraordinariè, sufficit integritas
»formalis. *v. Dub. seq.*
» Dicitur II. *numerum*: intellige certum, qui
»si non constet, dic probabilem, addendo, *plùs,*
»*minus*. Quòd si deinde deprehendas te errasse,
»non teneris iterum confiteri, nisi notabiliter
»fuerit major, *Fag. Sanch. Hurt.* contra *Reg. Fil.* &
»*Sa*, qui dicunt, verba illa, *plùs minùs*, tantùm
»extendi ad unum vel duo supra numerum in-
»dicatum: Sed quamvis hoc sit verum in nu-
»mero parvo, denario v. g., non tamen in aliis,
»v. g. centenario, millenario, &c. quia verba il-
»la non habent sensum absolutum sed respecti-
»vum ad numerum, cui adduntur, qui quantò
»fuerit major, tantò etiam major verbis istis
»intelligetur, dummodo tamen sit parvus re-
»spectu alterius, cui adjungitur, quod prudentis
»arbitrio æstimandum est. Ita *Dian. p. 3. t. 3. R.*
»194. ex *Nav. &c.* Item *Lug. d. 16. nu. 94.* Quod
»si autem nec probabilis haberi potest, dicenda
»est consuetudo peccandi, tempus & frequen-
»tia in die, septimana, mense vel anno. *Vid. Fil.*
»*t. 7. c. 4. n. 82. Dian. p. 3. t. 4. res. 94. Gasp. Hurt. d. 9.*
»*dif. 5. Lug. n. 79.*
» Dicitur III. *Quæ speciem mutant*: quia etsi
»probabile sit, quod docet *Suar. Kon.* & alii, eti-
»am eas, quæ notabiliter in eadem specie ag-
»gravant, (hoc est, quæ juxta cujusque consci-
»entiam excedunt ordinarium peccandi mo-
»dum) esse explicandas, ob rationem allatam
»in responsione, contraria tamen sententia,
quam

quam ex *D. Thom. Sylv. Nav.* docet *Vasq. Reg.* » *Bon. Lug. s. 3.* etiam probabilis est, & tuta; sal» tem si excipias, 1. Gradus consanguinitatis in» incestu. 2. Quantitatem, furti, injuriæ, &c. quæ» egent satisfactione. 3. Quando uno actu plures» sunt occisi, vel infamati, vel apud plures. 4.» Odium diuturnum: quia tunc solent plures» actus fieri. *V. Regin. l. c. 5.* Peccatum inter Con-» fessarium & pœnitentem. *V. Fill. de imped. mat. c.* » *5. q. 5. 6.* Si circumstantia invehat censuram, vel» reservationem, vel ad necessariam pœnitentis» directionem à Confessario prudenter interro-» getur. *Unde resolves,* »

I. Ad integritatem confessionis prærequi-» ritur diligens examen, pro capacitate pœni-» tentis, temporis morâ & cæteris circumstan-» tiis: Ad id autem sufficit diligentia mediocris,» qualem vir prudens in arduis negotiis adhi-» bet, vel qualem, moraliter loquendo, docti &» timorati adhibere solent, etiamsi quis putet,» majore diligentiâ plura se reperturum, *Bon. t.* » *t. d. 5. q. 1. Laym. l. 5. t. 6 c. 8.* Post mediocrem» autem istam diligentiam non tenetur de antè» acta vita ulteriùs cogitare: & si quid occurrat, » quod videatur non esse in confessione expli-» catum, potest sibi persuadere, cum cæteris id» memoratum fuisse, *Dian. R.* 107. ex *Sanch.* »

II. Examen hoc à Confessario potest supple-» ri: quod tamen *Suar.* reprobat in confessioni-» bus longis diligentiorum, eò quòd impossibile» ferè sit, ut quis repentè rogatus omnia recor-» detur, & tantùm admittit in rudibus: quos» etiam monet *Sa* v. *Confessio*, bonâ fide con-» fessos, non nimis rogandos de confessionibus»

præter-

»præteritis, nisi intelligatur aliquid necessa-
»rium defuisse. *V. Fagund. Dian. res.* 89.

» III. Non est necessarium peccata scribere,
»ne memoriâ excidant, ùt contra *Bon.* docet
»*Suar. Vasq.* & alii: Imò *Sotus* dicit, id non con-
»sulendum, ob periculum evulgationis. Meliùs
»tamen *Lay. Kon.* & alii asserunt. suadendum
»esse; dummodo vitetur anxietas nimia, pro-
»pter quam scrupulosis prohiberi potest.

» IV. Invalida est confessio non integra ex
»ignorantia vel negligentia mortaliter culpabi-
»li, ùt veriùs docet *Suar.* & alii communiter
»contra *Sot.* & *Canum*, quia *Trid.* requirit dili-
»gens examen.

» V. Non officit integritati, per se loquendo,
»si quis subinde graviùs lapsus, id alteri priùs
»confiteatur, & deinde ordinario suo venialia
»tantùm (qui imprudenter id ægrè feret, pro-
»hibebit, aut reprehendet) nisi tamen eâ occa-
»sione maneat in mortali occasione peccandi;
»aut ideo circumeat, ut liberiùs peccet: tunc
»enim graviter peccabit, & ob defectum attri-
»tionis, confessio erit nulla. Ita *Fil. Lay. Lug. d.*
» 16. *num.* 57.

» VI. Ex circumstantiis minuentibus illæ tan-
»tùm explicandæ sunt, quæ vel omnino tollunt
»malitiam, vel ex mortali faciunt venialem, ùt
»parvitas materiæ, indeliberatio, &c. (v. g. si die
»Veneris ignorans comedisset carnes) vel alio-
»qui notabiliter mutant judicium Confessarii,
»saltem quoad speciem.

» VII. Ad servandam integritatem confessio-
»nis peccata mortalia dubia ùt dubia, (loquen-
»do de dubio propriè dicto,) sunt aperienda, ùt
»docet *Suar. in 3. p. tom. 4. d. 22. s. 9. n. 7. Sanch. Dian.*

*Lug.*

*Lug. n. 63. Bon. d. 3 quæst. 5. s. 2. p. 2. dif. 4.* & alii» *commun.* contra *Kon.* Ratio, tum quia peccata,» quæ sunt in conscientia, debent manifestari, at» dubia ùt dubia sunt in conscientia : tum quia» in negotio salutis, & medio ad hanc necessa-» rio, non tam habet locum illud axioma: *Me-»* *lior est conditio possidentis*, quàm hoc: *in dubio tu-»* *tior pars eligenda est.* ( Excipiuntur tamen scru-» pulosi, & ii, quibus diu post patratum pecca-» tum suboritur aliquod dubium, si aliàs soliti» sint sollicitè confessionem instituere ; quia» non est dubium prudens. ) Quòd si postmo-dum accipiat notitiam certam, idem rursus» esse confitendum tanquam certum, docet» *Turrianus* & *Sanch.* 1. *mor. c.* 10. *n.* 69. Dubitat ta-» men *Lug. n.* 79. & 92. suadetque id ùt securius.» *V. Dia. R.* 60. & 107. Si verò peccatum confessus» est ùt certum, & postea de eo dubitet, an fece-» rit, non tenetur iterum confiteri ùt dubium» *Lug. Tamb. de exp. conf. l. c.* 1. qui idem censent,» etsi postmodum certò comperiat se non feciſ-» se: Monent autem *Suar.* & *Tamb. loc. cit.* si quis» sola peccata dubia confiteatur, monendum, ut» addat aliquod certum ex aliàs confessis: Quòd» sid haberi non possit, absolvendum sub con-» ditione.

## ADDENDA.

Quæst. 127. *Quid sit Confessio, & quæ sit ejus materia.* R. Confessio est accusatio externa, de peccato proprio, ordinata ad absolutionem à Sacerdote obtinendam. Quænam autem sit ejus materia, sufficienter explicatum est in q. 84. & seqq. 916

Q. 128.

917 Q. 128. *Quid præterea sit notandum circa obligationem confitendi integrè.* R. *Gerson* parte 2. tit. *De arte audiendi confessiones*, n. 32. litt. X in proœmio ait: *Paucos hactenus reperi, qui perfectè unquam & integrè confessi fuerunt, causâ existente in multis, vel in negligentia vel ignorantia Confessariorum*: hinc ut saltem ignorantia illa depellatur, paulò fusiùs, etiam per sequentes qq. agendum erit de modo integrè explicandi peccata.

918 §. 1. Est gravis obligatio confitendi integrè omnia & singula mortalia, uti *constat ex verbis* Conciliorum, *Lateranensis*, *Florentini* & *Tridentini*, quæ retuli n. 595. Hanc autem obligationem esse gravem, manifestum est, nam verba Conciliorum sunt præceptiva vel declarativa præcepti, & materia est gravis, sive spectetur difficultas confitendi, quæ secundùm se est gravissima, sive utilitas & finis, ad quem talis confessio ordinatur, qui est remissio peccati mortalis per istud medium intenta à Deo, ergo.

919 §. 2. Integritas confessionis alia est materialis, alia formalis tantùm. Materialis est, si pœnitens confiteatur omnia mortalia, quæ post diligens examen memoriæ ipsius occurrunt. Formalis tantùm est, si confiteatur aliqua, non tamen omnia, quæ memoriæ occurrunt: & hæc quidem integritas saltem formalis est necessaria necessitate Sacramenti, uti pluribus demonstrat *Moya* d. 1. q. 8. contra quosdam recentiores. E contrà integritas materialis est necessaria necessitate tantùm præcepti.

920 §. 3. Ad integritatem confessionis spectat explicare omnia mortalia secundùm numerum, secundùm speciem, & secundùm omnes circumstantias mutantes speciem malitiæ mortalis:

talis: Est de fide ex *Trid.* suprà, nam qui omittit vel numerum, vel speciem aliquam, vel circumstatiam, quæ mutat speciem, ille non confitetur omnia & singula mortalia, ergo. Debet autem exprimi numerus, prout nunc in conscientia agnoscitur, hinc sciens se ter blasphemâsse, malè confitetur dicendo, accuso me, si bis aut ter, vel accuso me, quòd ter circiter blasphema verim, sic enim non dicit numerum, prout in conscientia habet.

921 *Q. 129. Quid addendum sit circa modum practicè confitendi integrè quoad numerum.* R. §. 1. In l. 5. àn. 147. explicatum est, quandonam actus physicè unus sit unum vel multiplex numero peccatum: Item à n. 167., quandonam actus physicè plures sint unum vel multiplex numepeccatum: Item à n. 173., quandonam peccatum numero multiplicetur propter interruptionem & repetitionem actuum. Denique ibidem à n. 180. dictum est, quandonam peccatum omissionis numero multiplicetur: quæ omnia hìc suppono & hìc debent recoli ex ibi dictis.

922 §. 2. Numerus est confitendus vel absolutè, vel sub dubio, prout conscientia dictat, secundùm dicta n. 618. unde qui recordatur, quòd decies fecerit, peccat mortaliter dicendo, *aliquoties feci, sæpe feci, fortè decies feci*, quia hæ voces non significant numerum certum, qui in conscientia est. Idem est de eo, qui scit se fecisse decies, & dicit se fecisse decies vel undecies circiter, *Dicast. Stoz.* l. 1. p. 1. n. 93. Sæpe tamen excusantur pœnitentes per simplicitatem vel bonam fidem, ex qua malunt plùs dicere qnàm minùs:

si

si tamen Confessarius hoc advertat, monere debet, ne id faciant, sed dicant, sicuti est in conscientia, *Aversa* q. 10. s. 12. Quòd si aliquis ita judicans sit confessus se decies fecisse, & postea judicet se fecisse tantùm sexies, non est opus hoc postea dicere, quia decem sunt sex & amplius, *Lugo, Dicast.* d. 9. n. 112. *Aversa* suprà, qui putat, si dixerit ter circiter, & postea resciat se fecisse determinatè ter, teneri iterum confiteri ùt certò ter, quia priùs confessus erat ùt dubium.

923 §. 3. Qui uno actu detraxit tribus, secundùm dicta l. 5. à n. 149. fecit tria peccata, vel saltem contraxit tres numero malitias in confessione exprimendas, uti habet communiter cum *Aversa* s. 14. attamen non debet confiteri se ter detraxisse, neque etiam sine addito se fecisse tres detractiones, sic enim Confessarius intelligeret esse factum per tres distinctos actus, qualiter actum non est, sed debet dicere, uno actu detraxi tribus. Idem est, si habuit unam voluntatem fornicandi cum tribus, aut ter fornicandi cum eadem, tum enim non satisfacit dicendo, habui voluntatem fornicandi, sic enim significat tantùm voluisse cum una vel semel.

924 *Obji.* Si numerus malitiarum sit confitendus, ergo qui detraxit vel imprecatus est malum toti alicui Monasterio, debebit dicere numerum personarum, quæ sunt in illo. R. Si sciebatur numerus, & detractio vel imprecatio afficiebat singulos, c. Si non sciebatur numerus, aut detractio vel imprecatio afficiebat tantùm communitatem in genere, n. Detractio communiter cadit in singulas personas, uti si dicatur Monasterium esse deditum potationi-

bus,

bus, familiam habere originem à Judæis &c. Imprecatio potest cadere in totum per modum unius, uti si villicus imprecetur Monasterio, quia cogitur ei solvere nimis magnos canones, hic enim posset amare singulas personas Monasterii, & tamen toti imprecari malum. Signum autem, quòd imprecer toti simul, est, si non imprecarer singulis, si inde abessent, ideoque tum erit unicum peccatum, quia est unicum objectum, nempe communitas, *Dicasi.* n.232. Ex simili ratione putat *Stoz* n.595.eum, qui hæredibus vel communitati est furatus, satisfacere, si dicat, se esse furatum rem spectantem ad plures vel ad communitatem, non determinando, quot sint hæredes vel personæ in communitate, sed hoc intelligendum est de bonis adhuc indivisis, uti notat *Dicast.* suprà. Quòd si aliquis ex odio uno in unam familiam, uno actu, v. g. potione venenatâ omnes occideret, quamvis non ratione odii præcisè, tamen ratione occisionis essent tot numero peccata, quot personæ, quia per occisionem læsisset diversa singularum jura. In omnibus tamen ejusmodi casibus debet pœnitens sic confiteri, sicut apprehendebat objecta, quando peccabat, v. g. quando detrahebat aut maledicebat, & ideo l.5. n.149. dixi actum unum tendentem in plura objecta esse multa numero peccata in confessione explicanda, prout actus distinctè vel confusè in ea objecta tendebat: hinc si quis peccârit tantùm apprehendens esse contra multitudinem, satis est, si explicet peccatum sub his terminis, sub quibus illud concepit, & quousque apprehensio se extendebat, nec requiritur, ut dicat, quot personæ reipsâ fue-

rint, quamvis id resciat, quando confitetur, *Dicast.* n. 253. *Aversa* De pecc. q. 72. s. 4.

925. §. 4. Qui per tres actus furatus est eidem tres ducatos, non satisfacit dicendo furatus sum tres ducatos, quia tres actus faciunt tria numero peccata: Qui autem uno actu furatus est eidem tres ducatos, satisfacit dicendo, semel furatus sum tres ducatos, quia est unum peccatum, cùm sit unus actus, & illi tres ducati sint unum numero objectum, secundùm dicta l. 5. n. 151. E contrà qui uno actu furatus est tres ducatos, singulos pertinentes ad diversos homines, non satisfacit dicendo, furatus sum tres ducatos, sed addere debet pertinuisse ad diversos homines, jam enim non faciunt unum numero objectum, sed quia pertinebant ad diversos, illo unico actu læsa essent tria jura numero diversa singulorum istorum hominum, uti dictum est ibidem l. 5. n. 152.

926. §. 5. Qui uno actu dubitavit circa tres fidei articulos, uno actu juravit tria objecta falsa, uno actu blasphemavit in tribus materiis, satisfacit dicendo semel dubitavi de fide, semel juravi falsò, semel blasphemavi, uti dictum est l. 5. à n. 156. E contrà qui uno actu odit tres homines, uno actu detraxit uni apud tres homines, debet addere hunc numerum hominum, secundùm dicta l. 5. n. 158. & 162. Similiter qui uno actu statuit per septimanam omittere Horas, addere debet, semel volui omittere per septem dies, secundùm dicta ibidem n. 164.

927. §. 6. Quoties quis comedit carnes die jejunii, toties peccat, secundùm dicta l. 3. p. 2. num. 1264. Quod licèt non admittant aliqui, si sit jejunium ex voto vel pœnitentia sacramentali,

tamen

tamen oppositum videtur probabilius, secundùm dicta l. 3. p. 1. n. 438., quia jejunium vovetur vel injungitur prout ab Ecclesia præcipitur. Item probabile est toties peccare, quoties plenam sumit refectionem etiam è cibis esurialibus, secundùm dicta l. 3. p. 2. nu. 1265., quamvis oppositum etiam sit probabile. Quòd si quis initio mensæ comedisset carnes, & uno vel altero ferculo è piscibus interposito, postea iterum carnes comederet, esset unum peccatum, quia est una refectio: si autem à mensa surrexisset & rediret etiam intrà unam horam, putat *Tamb.* in Decal. l. 4. c. 5. §. 1. n. 18. fore duo peccata, sed probabile est oppositum, quia sicuti si Sacerdos in mortali sumat suam hostiam, & post communionem ad duas horas distributam, sumat reliquas particulas consecratas, est unum peccatum indignæ sumptionis, secundùm dicta l. 5. num. 170., quia nempe duæ illæ sumptiones pertinent ad consummationem unius Sacrificii, non obstante tantâ interruptione physicâ, ita illæ duæ sumptiones facient unam comestionem carnium, quia secundùm dicta l. 3 p. 2. à n. 1279. relinquunt unitatem refectionis sive prandii.

§. 7. Qui per horam continuat actum, facit 928.
unum peccatum, qui autem intra horam ter retractet actum & resumit, facit quatuor peccata, secundùm dicta l. 5. num. 174., adeoque hic posterior plùs peccat in ordine ad obligationem confitendi, quia debet dicere, quater hoc feci, alter autem dicit, semel feci. Uter verò plùs peccet in ordine ad culpam, demeritum & pœnam, pendet maximè à circumstantiis deliberationis & intensionis, cæteris paribus, qui

continuat, magìs peccat, quia retractare malum est de se bonum, & continuare malum est pejus quàm abrumpere & relabi intra idem tempus. Plura circa interruptionem videri possunt l. 5. à n. 173.

929. §. 8. Qui continuo tempore in mortali absolvit decem pœnitentes, aut ministrat Eucharistiam decem communicantibus, non satisfacit dicendo, semel indignè administravi Sacramentum Pœnitentiæ vel Eucharistiæ, sed tenetur addere numerum hominum, quibus administravit, utì dictum est l. 5. à n. 71.

930. §. 9. Qui in vigilia S. Matthiæ incidente in diem Veneris quatuor temporum quadragesimæ comedit carnes, satisfacit dicendo, semel die jejunii comedi carnes, quia omnes illæ leges prohibentes sunt moraliter unica, secundùm dicta l. 5. n. 147. Ob eandem rationem, qui inobediens fuit pluribus Superioribus idem imperantibus, quorum unus non volebat afferre novam obligationem, sed tantùm eandem, satisfacit dicendo, semel fui inobediens Superiori, secundùm dicta ibidem n. 148. Si tamen scire-tur, quòd secundus Superior, v. g. ex alio motivo intendisset novam obligationem, tum in uno illo actu inobedientiæ essent duæ malitiæ, & dicere deberet, fui duobus præceptis Superiorum inobediens, secundùm ibidem dicta num. 147.

931. §. 10. Qui furatus est 1000. & primò bonâ fide confessus est se furatum esse 500., si postea reddatur certior, quòd fuerint 1000., *Lugo, Tamb.* De confess. l. 2. c. 1. à n. 74. *Sporer* n. 406. putant non satisfacere, si in sequente confessione dicat se furatum 500., quia falsum est, quòd viola-

violaverit jus in 500., nam fuit jus in 1000. quod violavit, ergo neutrâ vice explicaret suum peccatum, sed debet repetere & dicere, furatus sum 1000. Oppositum tenent *Arr.* d. 35.n.40. & *Bosco* d.7.s.8. n.170. & est probabile ex dicendis n.932.etiamsi supponamus esse obligationem confitendi circumstantias aggravantes tantùm, sicuti enim si uno actu contraxerim duas specie malitias, & primâ vice confessus sim unam tantùm, postea recordans alterius satisfacio dicendo hanc alteram solam, si utraque censeatur sufficienter intelligi, utì dicetur n. 1135. ita & hìc, nam qui violavit jus ad 1000. etiam violavit jus ad 500., ergo utrâque vice dicit verum, & qui semel confessus est se furatum esse 500.,& postea iterum confitetur se furatum esse 500.,dixit totam malitiam, quæ est in furto millenorum, ergo.Id tamen scienter fieri non debet in prima confessione, quia est saltem contra sinceritatem confessionis, secundùm dicenda n. 1134.

§. 11. Qui bonâ fide ita existimans confessus est se decies blasphemâsse, etiamsi postea meliùs recogitans judicet se blasphemâsse vigesies, certò satisfacit, si in posteriore confessione dicat se blasphemâsse decies, quia sic certò edixit speciem & totum numerum. 932.

§. 12. Quando pœnitens à modico tempore est confessus, v. g. à duabus septimanis, & in parvo numero palpabilium peccatorum præsertim externorum, addit circiter, meritò est suspectus de negligenti examine, quia si se examinâsset, facilè sciret, quoties tale crimen intra tam breve tempus commisisset,*Gob.Stoz* n.103. *Sporer* n.444. 933.

934. §. 13. Qui post examinatam diligenrer conscientiam aperuit in genere statum, vitam, consuetudinem & tempus, quo in peccatis hæsit, non tenetur postea repetere peccata, quamvis in particulari distinctiùs recordetur hujus vel illius, in hoc vel illo loco aut tempore, cum hac vel illa persona commissi, quia in illa confusa narratione fuerunt sufficienrer intellecta à Confessario, qui potuit de eis & eorum numero formare morale judicium, atque ideo ab omnibus directè absolvit.

935. §. 14. Cùm sæpe pœnitenti moraliter impossibile sit scire numerum, utì si meretrix diu cuivis fuerit exposita, scire non potest, quot personas conjugatas, quot liberas admiserit vel parata fuerit admittere, unde in ejusmodi casibus frustra Confessarius urgebit ad certum numerum exprimendum, & reipsa tantùm urgebit ad errandum, ut satisfaciat suæ scrupulositati, hinc melius est, si petat, quanto tempore ita vixerit parata ad quosvis, & an sæpe de septimana solita sit reipsa vel saltem animo promiscuè quoslibet admittere: In illis autem peccatis, quæ sunt enormiora aut rariùs fiunt, faciliùs sciet numerum, unde de his est interroganda, quoties v. g. contra naturam peccârit, quoties cum persona sacra vel consanguineâ: similiter sufficit, si consuetudinarius dicat durationem consuetudinis, & quoties soleret per diem vel septimanam repetere peccatum suum. Quod autē attinet ad rudes homines, præsertim qui rariùs confitentur, hi detetminatū peccatorum numerum scire vix possunt, unde si rogati exprimant, sæpè merè conjectando illum exprimunt, sive quia tacere erubescunt, sive ut à

mo-

molesta Confessarii interrogatione se eximant, hinc etiam cum talibus meliùs facit Confessarius, si ipsemet intellecto modo vivendi & frequentiâ peccandi v. g. per unam septimanam, ac diuturnitate temporis, quo ita peccare soliti fuerunt, ex his conjiciat seu apud se colligat numerum: quod tamen non tenet universaliter, uti rectè monet *Dicast.* d. 9. n. 57., nam sæpe fit, ut uno tempore plùs peccârint quàm alio, de quo etiam erunt interrogandi, sed semper cum discretione, ne nimiùm crucientur, & confessio fiat valde odiosa. *Confessarius mediocriter doctus*, inquit *Less.* in Auct. V. *Confessio* cas. 10. *si non sit scrupulosus, non habet in his magnas difficultates, sed scrupulosus, etsi sit doctissimus, ubique hærebit eritque anxius.*

Q. 130. *Si quis nesciens numerum determinatum* 936.
*dixerit, feci hoc toties, plùs minùs, vel toties circiter, & postea certò resciat, quoties determinatè, vel se fecisse sæpiùs, an obligetur iterum confiteri hunc determinatum vel majorem numerum certò agnitum.* R. Non obligari, secundùm dicta n. 616. dummodo hic numerus determinatus vel major fuerit sufficienter significatus per tò *plùs minùs* sive *circiter*: Cur autem confessus peccatum ùt dubium, si postea agnoscat ùt certum, teneatur iterum confiteri ùt certum, disparitatem dedi illo n. 616. Tota hìc difficultas est, quousque illæ particulæ, *plùs minùs* vel *circiter*, se extendant, de quo sunt variæ sententiæ, nam

§. 1. *J. Sanch.* & alii apud *Dianam* p. 3. t. 4. 937.
R. 94. dicunt nunquam significare plùs, quàm duo vel tria ultra numerum expressum: Alii, non ultra quatuor, alii non ultra quinque, uti refert *Dicast.* d. 9. n. 116. Alii cum *Stoz* l. 1. p. 1.

n. 99. non ultra decem, quantumcunque magno numero addantur, sed hi nimis rigidè loquuntur, quia particulæ illæ significant comparativè ad numerum, cui adduntur, ergo malè ponitur una absoluta mensura etiam respectu cujuscunque magni numeri.

938. §. 2. Alii apud *Dicast.* n. 115. dicunt extendi posse ad quartam partem: *Tann.* q. 7. n. 45. citans *Sot.* & *Valen.* dicit, si fecerit trigesies, satis esse, si dixerit, vigesies circiter. *Verricel.* universaliter putat extendi posse etiam ad dimidium: sed hi videntur nimis laxè loqui, quia si quis promittat alteri quadringentos circiter ducatos, nemo dicet satisfacere, si det trecentos, multò minùs si ducentos.

939. §. 3. Alii cum *Menochio* apud *Dicast.* n. 121. restringunt præcisè ad quinque in centum, sed hi in parvo numero sunt nimis rigidi, nam secundùm omnes satisfecit, qui bonâ fide nesciens dixit, centies circiter, quamvis ex reperta scedula, in quâ notarât, postea resciat se feciſſe centies & sexies; E contrà in numero magno regula illa est nimis laxa, nam quinque millia videntur nimium respectu centum millium, & tamen non desunt nisi quinque in centum, hinc

940. §. 4. Hæc unica regula videtur tenenda, ut quando excessus est parvus, vel absolutè in se, vel saltem respectu magnæ summæ, quæ exprimitur, tum censeatur sufficienter explicatus per illas particulas & inclusus in numero expresso: Quò autem numerus expressus est minor, etiam excessus debet esse minor; quò numerus est major, potest excessus esse major; attamen sine proportione arithmetica, sed tantùm cum aliqua proportione quasi geometrica secundùm judi-

judicium prudentum, quamdiu nempe parvus excessus censetur quasi absorberi in numero majori expresso. Sic parvi excessus videntur esse unum respectu quatuor, duo respectu decem, tria respectu viginti, quatuor respectu quadraginta, sex vel etiam novem respectu centum, uti cum aliis tenet *Sporer* à n. 446. Unde secundùm *Dicast.* n. 119. & *Bosco* t. 8. n. 154. si dixisti, ter circiter, & feceras quater, satisfecisti, quia licèt unum sit tertia pars trium, tamen est aliquid in se parvum. Addunt *Côn. Lugo*, & alii cum *Burgh.* cent. 2. cas. 55. si dixeris octogesies circiter, quamvis feceris centies, quia viginti respectu centum videtur in morali judicio esse parvus numerus, sed alii meritò de hoc dubitant; unde si feciisses centies trigesies, & dixisses centies circiter, *Bosco* rectè dicit fore nimium excessum, quia quamvis triginta non sit tertia pars numeri centenarii, tamen neque in se neque respectivè ad centum videntur esse aliquid parvum. Addit *Dicast.* n. 119. si dixeris, circiter millies, esse satis, quamvis feceris millies quinquagesies: Si tamen dixisses, millies circiter, & feciisses millies ducenties, non videri satis expressum, quia est nimius excessus, putat tamen, si dixisses, circiter decies millies, tum etiam includi decies millies & ducenties, qui enim dicit exercitum constare circiter decem millibus militum, verum dicit, quamvis sint ducenti plures vel pauciores. Denique si quis dixisset se blasphemâsse decies, non addendo circiter, & postea comperiret vel dubitaret, an non blasphemârit undecies, communior sententia est cum *Sporer* n. 449. debere in proxima confessione dicere se blasphemâsse semel vel de hoc dubitare,

quia hanc vicem nullo verbo vel signo manifestâsset. In hoc tamen contradicit *Tann.*, & rectè; si supponamus pœnitentem semel pro semper manifestâsse Confessario, quòd tali determinatè numero non intelligat nisi circiter. Vide etiam dicta n. 617. 618. 624., ubi aliqua de confessione quoad numerum.

941. Q. 131. *An non tantùm actus externus, sed etiam effectus peccati sit cum actu interno confitendus.* R. §. 1. Actus externus, qui internum complet in ratione peccati externi, est simul confitendus, *Tann.*, q. 7. n. 47. *Aversa* q. 10. s. 2. §. *potiùs*. *Esparsa* q. 90. a. 1. ad 7. *Platel.* n. 774. qui meritò dicunt hoc esse certum. *Probatur*, quia licèt actus externus nihil superaddat malitiæ, utì habet communis & probabilior cum S. *Tho.* 1. 2. q. 20. a. 3. & 4. contra *Scot.* *Ripald.* & alios, tamen actus internus & externus faciunt unum actum completum in genere moris, actio enim externa habet se velut materiale, interna velut formale, Christus autem voluit explicari totum peccatum completum in genere moris, utì nobis constat ex consensu Doctorum & praxi fidelium, ergo cùm actus internus in genere moris compleatur per actum externum, & cum illo sit simpliciter totum peccatum completum, debet illud totum explicari, dicendo, v. g. commisi homicidium, adulterium, detractionem, hæc enim veniunt nomine peccati simpliciter, quod dicitur, dictum, factum vel concupitum, ergo. Consequenter qui alterum vulneravit, non satisfacit dicendo, volui vulnerare; item qui volens occidere, lethaliter vulneravit, non satisfacit dicendo, volui occidere, sed debet addere, volens occidere lethaliter vulneravi.

*Obj.*

*Objicies.* Si die festo omiserim Missam eo fi- 942.
te, ut studerem, satisfacio dicendo, omisi Missam die festo, tacendo de studio, quamvis studendo peccaverim, & per studium expleverim meam malam intentionem, ergo idem est de actu externo. R. n. conseq. quia quamvis tale studium sit denominativè peccatum & subjectum ejusdem malitiæ, non aliter ac externa omissio Missæ; tamen studium non complet volitionem non audiendi Missam, sed hanc volitionem complet vel externa omissio Missæ vel causa proxima illius, utì explicatum est l. 5. à n. 27. ergo talis sufficienter explicat suum peccatum dicendo, omisi Missam die festo. *Nec obstat*, quòd volitio studendi etiam esset peccatum, & compleatur externè per studium, *nam* tota malitia volitionis studendi erat malitia volitionis omittendi Missam, quæ tota explicata est, dicendo, omisi Missam.

§. 2. Circa peccatum distinguenda sunt ista 943.
quatuor: Causa finalis peccati: Actio concomitans peccatum: Complementum externum peccati: Effectus peccati. *Causa finalis peccati* est hoc, propter quod aliquis peccat, utì si quis omittat Missam, ut studeat, studium est causa finalis peccati, & peccatum denominativè, est enim actus liberè positus ex mala intentione omittendi Missam, qui actus est veluti medium omittendi Missam, adeoque indirectè prohibetur eodem præcepto, quo directè præcipitur Missa. Quando autem talis causa finalis peccati non est de se mala, non est opus illius facere mentionem in Confessione, utì n. 942. dictum est, quia licèt hoc reticeatur, tamen

tamen explicatur tota malitia principalis peccati internè & externè completi. *Actio concomitans peccatum* est illa, quæ per accidens ponitur eodem tempore, quo etiam ponitur peccatum, quæ quamvis fortè sit incompossibilis cum impletione præcepti, tamen non est causa nec occasio transgressionis illius; uti si quis determinatus sit ad omittendam Missam, quia nimis frigidum est, postea autem, ne sit otiosus, si domi studeat, quando deberet audire Missam, hoc studium est purè concomitans omissionē Missæ, & nequidem denominativè est peccatum, hinc multò minùs opus est facere mentionem illius in confessione. *Complementum externum peccati* est actio externa immediatè dependens à peccato interno actualiter existente, cujus est veluti executio; & ideo denominat hominem externè actu peccantem, uti explicatum est l. 5. à n. 27. Et hoc complementum peccati est explicandum in confessione, secundùm dicta n. 941. *Effectus peccati* est aliquid, quod causatur & sequitur ad totum peccatum internè & externè completū, v. g. voluntas occidendi completur externè per transfossionem, ad quam sequitur mors: voluntas comburendi domum completur per applicationem ignis, ad quam sequitur exustio domûs: voluntas se inebriandi completur per potationem vini, ad quam sequitur privatio rationis: voluntas turpiloquii completur per locutionem turpem, ad quam sequitur motus venereus. Hic mors, exustio domûs, privatio rationis, motus venereus dicuntur effectus peccati, & de illis quæritur, an, quando secuti sunt, etiam sint simul explicandi in confessione; an è contrà satis sit

dicere

dicere, transfodi intendens mortem proximi, incendi domum proximi, potavi prævidens periculum ebrietatis, locutus sum turpia prævidens motus venereos, tacendo, quòd omnia ista reipsa secuta sint.

§. 3. Probabilius videtur non esse obligationem, per se loquendo, confitendi talem effectum peccati. 944. Ita *Vasq. Salas, Gran. Lugo, Bonac. Rayn. Rhod. Tamb. Dian.* p. 1. t. 7. R. 64. *Dicast.* d. 9. n. 19. & 415. *Bonæsp.* De pecc. d. 5. n. 68. *Esparsa* q. 90. ad 7. a. 4. *Burgh.* cent. 1. Casu 19. *Gob.* in Quin. t. 5. c. 9. à n. 6. *Herinx* De pecc. d. 5. n. 74. *Sporer* n. 383. & alii multi contra *Sot. Lopez*, *Sanch.* De Matr. l. 9. d. 45. n. 30. *Castrop.* t. 2. d. 1. p. 3. n. 7. *Aversam* q. 10. s. 2. *Platel.* n. 775. *Arriagam* De pecc. d. 45. n. 13., qui immeritò dicit suam sententiam esse certam, & in ea convenire omnes. *Probatur*, nam imprimis si talis effectus nullo modo fuerit prævisus, non est obligatio illum confitendi, utì fatentur plerique ex adversariis, quia secundùm dicta l. 5. à n. 30. tum non fuisset nequidem denominativè voluntarius, nihil enim volitum nisi cognitum, ergo nullo modo dici posset esse peccatum. Neque hìc sufficit debuisse prævideri, nam inde tantùm sequitur negligentiam advertentiæ fore culpabilem & confitendam. Deinde si talis effectus sequitur post retractationem causæ, etiam non est confitendus, utì etiam plerique ex adversariis concedunt, alioquin qui ante mensem abjecisset breviarium vel propinâsset alicui venenum, si statim post commissum peccatum fuisset rite confessus, teneretur omissionem Horarum per omnes dies sequentes, & mortem post mensem secutam aperire, quod

nemo

nemo dicet. Denique licèt effectus fuerit in peccato velut causa prævisus aut etiam intentus, tamen talis effectus propriè dici non potest peccatum, utì probatum est l. 5. n. 33., cùm neque in se sit peccatum, neque etiam externè compleat peccatum secundùm dicta nu. 943., ergo non est obligatio illum confitendi, quia non est obligatio confitendi aliud quàm peccatum. *Nec obstat*, quòd non retractârit causam, *nam* sive retractârit, sive non, effectus manet suo modo æqualiter imputabilis, non tanquam culpa, sed tantùm tanquam effectus culpæ præteritæ, uti explicatum est l. 5. à n. 42. Et consequenter talis homo satisfaciet dicendo, projeci breviarium prævidens me tanto tempore non posse orare, porrexi proximo venenum intendens ejus mortem, tacendo an Horas non orârit, & an mors sit secuta necne.

*Dixi* 1. per se loquendo, quia per accidens sæpè addi debent tales effectus secuti, quia aliter non intelligeretur peccatum, quod commissum est, aut quia ratione ipsorum contracta est censura vel reservatio, de qua scire debet Confessarius. Imò expedit semper addi propter varia, v. g. quia ex effectu secuto plerumque meliùs intelligitur malitia peccati; item quia pœnitens ignorans sæpe monendus est de restitutione, cujus obligatio orta est ex effectu secuto. Et ob has causas pœnitentes communiter addunt tales effectus secutos, in quo non sunt prohibendi, sed potiùs suaviter invitandi, ut semper addant, utì monet *Esparsa*.

*Dixi* 2. Talem effectum peccati, nam si aliquis effectus illicitus sequatur ex peccato, quando adhuc est status libertatis, & compleat actionem

nem internam malam in ratione peccati externi, confitendus est, uti patet in eo, qui per turpiloquium, tactum aut quid simile causat actu & liberè in se pollutionem, hic enim effectus actu complet volitionem saltem indirectam pollutionis, quæ est peccatum distinctum à turpiloquio. Quomodo autem peccet, & consequenter quomodo confiteri debeat, qui dat causam tali pollutioni vel simili effectui de se malo, declaratum est l. 3. p. 1. à n. 922. ubi etiam à n. 929. dictum est, quomodo peccet, qui per actionem de die positam causat pollutionem aut similem effectum malum in somno oriturum. Denique quinam effectus retineant malitiam objectivam, etiam quando absque libertate sequuntur, ideoque in confessione fieri debeat mentio culpæ, quæ cognoscebatur apta causare talem effectum, dixi l. 5. n. 48.

*Q. 132. Quænam peccata dicantur esse specie distincta in ordine ad confessionem; & unde desumatur illa diversitas specifica.* 945. R. Ista explicata esse etiam in l. 5. à n. 118. ubi dixi distinctionem specificam præcipuè desumi, vel ex objecto aut modo tendendi actûs peccaminosi notabiliter diverso, vel ex legibus formaliter diversis, contra quas agitur. Et ibidem à n. 132. explicavi, quandonam leges censeantur esse formaliter diversæ, quod nimirum præcipuè est ratione finis, in quem tendunt ejusmodi leges, aut ratione motivorum, quæ intenduntur à legislatoribus. Denique à n. 139. dixi, quandonam peccata commissionis & omissionis circa idem objectum specie distinguantur, quæ omnia hìc suppono & recoli debent.

*Q. 133. Quænam generatim observanda sint cir-* 946.

*ca hanc explicationem ſpeciei in confeſſione.* R. ſeqq.

§. 1. Peccata ſic ſunt confitenda, ſicuti erat conſcientia tum, quando committebantur : unde ſi tum invincibiliter ignorabas malitiam, vel non advertebas ad aliquam circumſtantiam malam, tu illam non contraxiſti, quia nihil eſt volitum, niſi ſit cognitum : hinc ſi confiteri velis, quia times, ne fortè peccâris, addere debes te putare, quòd eo tempore non adverteris ad talem malitiam. Similiter ſi falsò jurâſti in materia levi, putans bonâ fide te tantùm leviter peccare, malè confiteris dicendo, juravi falsò, nam ex hoc ipſo Confeſſarius judicabit te peccâſſe mortaliter, cùm omne perjurium, etiamſi ſit in materia levi, ſit mortale, hinc addere debes te eo tempore putâſſe eſſe tantùm leve peccatum. E contrà ſi erroneè apprehendebas aliquam malitiam in objecto vel in actione tua, quamvìs reipſa non ineſſet, tu contraxiſti, & teneris hoc explicare, v. g. die Cinerum putabas eſſe obligationem audiendi Miſſam & tamen neglexiſti, non ſatisfacis dicendo, die Cinerum non audivi Miſſam, ſed addere debes, & putabam tum eſſe obligationem audiendi. Similiter ſi dubitabas, an ineſſet malitia mortalis, an hujus vel illius ſpeciei, quamvìs poſtea certò reſcias nullam in eo fuiſſe malitiam mortalem, aut illam ſpectare ad hanc vel iſtam determinatè ſpeciem, debes confiteri te operatum eſſe cum illo dubio, quod habebas tum, quando operabaris, quia conſcientia, quæ poſtea ſequitur, impertinenter ſe habet ad actum commiſſum.

947. §. 2. Peccata ſic ſunt confitenda, ſicuti conſcientia nunc agnoſcit & dictat eſſe commiſſa, hinc

hinc si sciens se detraxisse, dicat, accuso me, si detraxerim, non satisfacit, quia non confitetur speciem, prout est in conscientia.

§. 3. Ignorantia vincibilis non est peccatum 948.
distinctum ab eo, cujus est causa; unde quod fit ex illa, manet ejusdem speciei, cujus esset, si fieret cum scientia: Hinc qui ex vincibili ignorantia Festi omisit Missam, peccavit tantùm contra præceptum Missæ, & satisfacit dicendo, die festo non audivi Missam, *Vasq. Sanch.* in Decal. l. 1. c. 17. n. 15. & 23. *Castrop.* t. 2. d. 1. p. 16. n. 3. *Dicast.* De Juram. d. 2. à n. 244. *Gob.* in Quin. t. 5. c. 9. n. 53. *Stoz* l. 1. p. 1. n. 51. Quòd si ignorantia esset affectata, *Lugo* idem tenet, quod de non affectata; è contrà *Sanch.* putat per eam saltem notabiliter augeri malitiam, *Castrop.* dicit mutari speciem, adeoque exprimendum in confessione; quod verum est, si affectâsset ignorantiam omnis legis divinæ, quia tum virtualiter adesset animus transgrediendi omnes leges, & voluisset à se tollere omnem remorsum, quo Deus homines à peccatis continet.

§. 4. Ignorantia culpabilis quandoque apa- 949.
rienda est, vel quia excusat à censura, vel quia quandoque fecit periculum peccandi in alia specie, uti si peccare volueris cum muliere ignorans ejus statum, sic enim te exposuisti periculo peccandi cum persona sacra, conjugata &c., & sic ex comparatione ista animi contraxisti malitiam sacrilegii & adulterii, *Dicast.* d. 9. n. 387. & alii.

§. 5. Quod fit ex errore, est ejusdem speciei 950.
cum illo, quod fieret ex vero judicio, hinc qui non audiverat Missam eo die, quo ex errore putaverat esse festum, satisfecit dicendo, non au-

divi Missam die festo, nam intelligebatur, apprehenso & existimato, *Henriq. Valent. Lugo, Aversa* q. 10. s. 10. §. *Si autem. Schild.* tr. 1. n. 14. Et consentit *Dicast.* n. 715. si perseverante errore ita sit confessus, nam per hoc explicavit totam malitiam. E contrà si antequam confiteatur, errorem resciat, videtur esse contra sinceritatem Confessionis, si errorem non exprimat, qui enim occidit Paulum putans esse Petrum, non videtur satis sincerè confiteri, si resciens errorem dicat, occidi Petrum, quamvis Petrus fuerit apprehensus & existimatus. Et idem est de similibus casibus, re ipsâ enim dicit se in re feciss aliquid, quod scit se in re non feciss. Rectè etiam notant utriusque sententiæ Authores, absolutè necessarium esse quandoque aperire errorem, imprimis ob reservationem vel censuram, quam ille non incurrit, qui falsò putavit materiam sui peccati illis esse subjectam; Deinde si peccatum aliter intelligi non possit, uti si quis confiteatur, non jejunavi pridie Circumcisionis, nam addere debet, & putabam me obligari, alioquin non intelligetur, quòd peccaverit.

951. §. 6. Putant *Val. Sayr. Salas* non esse opus in Confessione exprimere, sive peccatum factum sit cum conscientia dictante esse peccatum sive cum dubitante, an esset peccatum, sed *Schild.* n. 13. & alii dicunt hoc esse exprimendum, quia facere cum conscientia dictante, est notabiliter gravius, & quamvis peccata illa materialiter sumpta non distinguantur specie, formaliter tamen videntur sic differre, quia in priori est notabiliter major ratio offensæ & imputabilitatis. Hoc ipso autem, quòd pœnitens nihil addat

dat, censetur se accusare de eo, quòd fecerit cum conscientia dictante & non cum dubitante.

§. 7. Confitenda est species peccati infima, & non tantùm subalterna aliqua seu generica, v.g. qui uni furatus est, alteri detraxit, alium occidit, non satisfacit dicendo, ter proximo feci gravem injuriam, sic enim explicat tantùm genus peccati, quod est esse contra justitiam, sed debet descendere ad species infimas, quæ sunt facere injuriam in bonis fortunæ, & hoc est furtum, in bonis famæ, & hoc est detractio, in bonis corporis, & hoc est homicidium. Similiter quia peccare in certâ specie & se exponere periculo proximo talis peccati sunt ejusdem speciei, hinc qui semel exposuit se periculo ebrietatis & semel periculo turpis delectationis, non satisfacit dicendo, bis me exposui periculo peccandi mortaliter, sed explicare debet materias seu singulas species peccati, quas contraxit volendo proximum earum periculum. 952.

§. 8. Non sufficit quomodocunque dicere speciem infimam peccati, quod quis fecit, sed dici debet illa species infima, quæ re ipsâ est admissa, v. g. furari decem & furari duodecim ducatos sunt ejusdem speciei infimæ, & tamen qui furatus est decem, malè confitetur dicendo, se furatum esse duodecim, quia dicit esse factum, quod scit non esse factum. Item peccare delectatione turpi & se exponere periculo proximo illius etiam sunt ejusdem speciei, & tamen qui semel delectationem habuit & semel se exposuit periculo, malè confitetur dicendo, bis delectatus sum, aut, bis me exposui periculo, sic enim vel confitetur, quod factum 953.

non est, vel non confitetur, quod re ipsâ factum est.

954. *Q. 134. Quid addendum sit circa circumstantias in Confessione explicandas.* R. seqq. §. 1. Circumstantia peccati dicitur omne illud, quod quasi supponit peccatum in certa specie malitiæ constitutum, eandem tamen malitiam aliter afficit, tanquam afferens certum aliquem modum, ideoque dicitur quasi circumstare seu accedere ad rationem substantialem peccati priùs positam.

955. §. 2. Circumstantia peccati potest esse pertinens vel impertinens ad considerationem Theologicam: impertinens est, si nec augeat, nec minuat malitiam, utì quòd peccetur ante vel post meridiem; & clarum est non esse opus de tali circumstantia facere mentionem in Confessione. Pertinens est, si augeat vel minuat malitiam peccati.

956. §. 3. Circumstantia pertinens potest augere vel minuere peccati malitiam, aliquando notabiliter in æstimatione morali, aliquando non notabiliter: & quando auget vel minuit notabiliter, hoc potest fieri, quandoque intrà eandem speciem, quandoque mutando speciem, v. g. furtum ex genere suo est peccatum mortale, sed est aliquid universalius quàm furtum parvum vel magnum, sacrilegum vel non sacrilegum, hinc furari plus est circumstantia augens, furari minus est circumstantia minuens; furari mille ducatos est circumstantia augens notabiliter, ideoque dicitur notabiliter aggravans: è contrà furari medium ducatum est circumstantia notabiliter minuens furtum mortale, utraque tamen circumstantia relinquit

quit furtum in eadem simplici specie furti mortalis. Si autem fureris sacrum calicem, est circumstantia notabiliter augens malitiam & mutans speciem furti, non quòd tollat speciem furti, sed quia facit accedere speciem sacrilegii; & dicitur circumstantia respectu malitiæ furti, quæ est quasi prima malitia istius actionis, quâ res aliena aufertur, illa tamen ratio rei sacræ non est circumstantia respectu sacrilegii, sed habet rationem objecti.

§. 4. Si circumstantia non notabiliter au- 957.
geat vel minuat malitiam, non est opus de illa facere mentionem in Confessione, quia quod non notabiliter mutat, censetur parum, parum autem in moralibus pro nihilo reputatur. An verò circumstantia notabiliter aggravans & non mutans speciem, sit confitenda, dicetur à n. 975.

§. 5. Si circumstantia mutet speciem, sive 958.
hoc faciat augendo sive minuendo, hoc exprimi debet in Confessione. Hinc si blasphemâsti, sed sine plena advertentia ad malitiam; si delectâsti te objecto turpi, sed sine pleno consensu in delectationem, hæ circumstantiæ minuentes debent in Confessione exprimi, quia mutant speciem, & faciunt peccatum de se mortale, per accidens esse veniale: è contrà si furatus es acum sartori, sed quia sartor aliam acum non habebat, laborare & lucrari non potuit, teneris hanc circumstantiam addere, quia mutat speciem, & facit furtum de se veniale, per accidens esse mortale, ratione gravis damni ideo causati. Similiter si quis fecerit aliquid ex naturali oblivione præcepti, utì si comederit carnes non recordans esse jejunium, velit tamen confiteri,

quia timet, ne per negligentiam sit oblitus, tenetur addere se tum de ea prohibitione non cogitâsse.

959. §. 6. Tum circumstantia mutat speciem malitiæ in actu, si actus propter illam habeat notabiliter diversam disconvenientiam cum natura rationali vel lege æterna Dei: item si faciat habere oppositionem cum diversis specie virtutibus: item si faciat actum esse difformem legibus formaliter diversis. Et hæc omnia sequuntur ex dictis l. 5. à n. 118., ac postea dabuntur exempla.

960. § 7. Circumstantiæ, quæ mutare possunt speciem malitiæ, præcipuè sunt sequentes, quas ex *Cicerone* & *Aristotele* refert *S. Th.* 1. 2. q. 7. a. 3. O., & continentur hoc versu:

*Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.*

Exponuntur autem hoc modo: *Quis*, significat personam agentem vel patientem, non considerando illam secundùm substantiam, sed secundùm qualitatem aliquam, utì quòd pauperi sit furatus; quòd Religiosus sit fornicatus; quòd peccârit cum conjugata; quòd frater fratrem occiderit. *Quid*, significat objectum, non consideratum secundùm se, prout est hoc, in quod actus directè & primariò tendit, sed consideratum, vel secundùm quantitatem, utì quòd non unum sed mille aureos furatus sit; vel secundùm qualitatem, utì quòd furatus sit rem sacram; vel secundùm aliquem effectum contingenter conjunctum, utì quòd ex tali furto secutæ sint discordiæ vel alia mala: Et ad *Quid* etiam reducitur circumstantia *circa quid*. *Ubi*, significat locum, utì quòd aliquem occiderit vel se pol-

polluerit in Ecclesia. *Quibus auxiliis*, significat media sive instrumenta & adjutores, quibus usus est, uti quòd virum nobilem percusserit, non gladio, sed fuste; quòd ope dæmonis alium occiderit; quòd alios secum cooperatores adidem crimen adduxerit. *Cur*, significat finem extrinsecum operantis, uti si furatus sit, ut se inebriaret. *Quomodo*, significat modum accidentalem, quo actio fit, nimirum plenè vel semiplenè deliberatè: ex malitia vel passione. *Quando*, significat tempus, uti an die festivo vel feriali fabulatus sit in Missa; an longissimo, an brevissimo tempore perstiterit in desiderio turpi.

§. 8. Propter circumstantiam, *Ubi*, putârunt 961.
aliqui apud *Mendo* Diss. 5. num. 54. omne mortale saltem externum, quod fieret in templo, esse sacrilegium; sed rectè negant *Caj. Sot. Sanch.* & alii communiter: Quandonam autem ideo refundatur malitia sacrilegii, intelligetur ex dicendis n. 1016. & 1090.

§. 9. Circa circumstantiam, *Cur*, notandum 962.
est, si finis, ob quem aliquis peccat, vel nullo modo, vel tantùm venialiter sit malus, uti si quis furetur, ut amico benefaciat, vel ut vanam gloriam captet in lauta tractatione, non esse opus hunc finem explicare in Confessione, quia ex illo non refunditur nova gravis malitia in actum, uti contra aliquos probabiliùs tenent *Vasq. Henriq. Côn. Lugo, Diana, Aversa* q. 10. s. 10. *Gob.* in Quin. t. 5. c. 23. s. 1. subs. 7. *Sporer* n. 404.

§. 10. Circa circumstantiam, *Quando*, aliqui 963.
apud *Dicast.* d. 9. n. 721. putârunt peccata commissa die dominico vel festivo semper contrahere specialem malitiam ex circumstantia temporis, cui opinioni videntur favere S. *August.*

& S. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. his verbis, *Quia magis homo impeditur à rebus divinis per opus peccati quàm per opus licitum, quamvis sit corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quàm qui aliud opus licitum facit:* Etiam favere videtur jus Canonicum, Cap. *Omnes* 1. De feriis, *Omnes dies dominicos à vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere;* si enim tum ex motivo religionis sit abstinendum ab illicito opere, ergo qui tum peccat, facit contra virtutem religionis & committit sacrilegium, secundùm dicta in l. 1. n. 626. Sed contrà est, nam SS. PP. & jus Canonicum tantùm volunt diebus festivis esse majorem causam abstinendi ab illicitis, quia dies illi dedicati sunt cultui divino, sed non ideo dicunt peccata alia istis diebus prohiberi ex motivo religionis. *S. Th.* tantùm loquitur de eo, quod est spectato jure naturæ & considerato fine hujus præcepti, hinc subdit ex *S. August.* judæum, qui præcepto Ecclesiæ non tenetur, minùs malè facturum, si in agro die dominico laboraret, quàm si peccaret. Consequenter cum Authoribus gravissimis apud *Dicast.* n. 722. dicendum est circumstantiam temporis rarò mutare speciem, hinc licèt aliqui apud *Dicast.* n. 723. putent omne enorme crimen saltem die Veneris sancto, aut die, quo quis communicavit, commissum, hoc ipso esse diversæ speciei, tamen *Dicast. Lugo* d. 16. n. 524. *Aversa* q. 1. s. 11. *Stoz* l. 1. p. 1. n. 73. aliique communiter & probabiliùs contradicunt: attamen excipiunt, si quis v. g. die Veneris sancto publicè haberet ludricam comœdiam, id enim esset in gravem irreverentiam contra Passionem Chri-

sti.

sti. Addit *Gob.* suprà cap. 46. & 47. n. 2. posse esse grave scandalum, si quis die Veneris sancto v. g. se inebriaret. Quòd si quis statim post communionem eat ad popinam, putat idem *Gob.* contrahere malitiam sacrilegii, quia irreverenter tractat corpus Christi. Idem dicit, si quis die Communionis etiam vesperi se inebriaret, sed oppositum est probabilius, tum quia dudum desiit præsentia Christi, ideoque peccatum non videtur habere ullum ordinem ad sacramentum manè susceptum, tum etiam quia aliàs Sacerdotes quotidie celebrantes, quotiescunque peccarent, contraherent etiam malitiam sacrilegii, quod nemo dicit.

§. 11. Circumstantiæ generales peccatorum, utì quòd sint contemptus Dei, injuria, inobedientia, ingratitudo, irreligio, superbia, &c. non sunt necessariò addendæ, nisi expresè sint intentæ, quia quamvis speciales illæ malitiæ contrahantur, etiam tum, quando non intenduntur, sed cum sola advertentia illarum peccatur, tamen cùm sint quasi transcendentales & imbibitæ in omni peccato, hoc explicato satis intelliguntur: similiter is, qui peccat advertens se agere contra honestatem virtutis, non tenetur hoc addere, nisi ex odio vel contemptu virtutis processisset, utì n. 966. dicetur. 964.

§. 12. Probabilius est quidem cum *Caj. Vasq. Dicast.* d. 2. dub. 25. contra *S. Bonavent.* & *Scot.* majorem esse ingratitudinem relabi post remissum semel peccatum quàm primò labi, quia quamvis prima innocentia, quam excludit primum peccatum, videatur esse absolutè & materialiter majus bonum quàm remissio peccati, (de quo videri potest *Suar.* d. 13. s. 2.) tamen 965.

cùm remissio fiat positivè indigno, præservatio autem fiat non indigno positivè, remissio præsertim sæpe facta, comparativè ad personam, cui fit, videtur esse major formaliter in ratione beneficii quàm præservatio, de hac tamen ingratitudine opus non est meminisse in confessione, utì habet communis cum *Dicast.* dub. 26. contra *Medinam*, quia quamvìs hìc ratione materiæ sit etiam suo modo specialis ingratitudo, tamen quantùm ad formalem speciem malitiæ manet ratio generalis ingratitudinis imbibita in omni peccato, consistens in hoc, quòd offendatur Deus, à quo magna beneficia accepimus, sicuti si quis transgrediatur jejunium præceptum, quamvìs sit suo modo specialis inobedientia, in quantùm ejus materia est jejunium, tamen manet ratio generalis inobedientiæ imbibita in omni peccato.

966. §. 13. Circumstantia contemptûs potest addere novam speciem, nam si quid fiat ex contemptu formali vel legislatoris ùt talis, vel legis cujuscunque etiam leviſſimæ, prout pendentis à potestate legislativa, vel cujuscunque honestatis, quæ est in aliqua virtute, semper est mortale distinctæ speciei à peccato, quod tunc committitur, utì dictum est l. 5. à n. 237. Hinc qui fornicatur ex contemptu castitatis, duplex specie peccatum committit contra castitatem speciatim aperiendum in confessione, nempe quòd fornicatus sit, & quòd hoc fecerit ex contemptu honestatis, quæ est in virtute castitatis.

967. §. 14. Cùm sæpe fiat, ut peccans non adverterit ad certam malitiam vel circumstantiam, sequitur Confessarium non debere esse nimium in interrogandis omnibus, ad quæ non est veri-

simile

simile pœnitentem advertisse, quamvis enim contingere possit, ut adverterit, non debet tamen, inquit *Palav.* De pecc. d. 2. q. 2. a. 2. nu. 7. propter raros ejusmodi eventus imponi Confessariis tam gravis & perpetua indagandi obligatio, quæ prudentem quemlibet meritò deterreret ab officio Confessarii: Econtrà tamen si pœnitens prudenter credatur advertisse, & propter ignorantiam, oblivionem, timorem vel pudorem omittere, tenebitur Confessarius adjuvare quærendo, uti plurihus dicetur à n. 1745.

968. Q. 135. *An circumstantia consuetudinis sit aperienda in confessione.* R. §. 1. Per se loquendo non necessariò est aperienda, *Suar. Vasq. Regin. Bon. Aversa* q. 10. s. 10. §. *Septim.*, *Lugo* d. 16. n. 201. contra *Tabien. Henriq. Fagund.* & alios apud *Dian.* p. 1. t. 7. R. 15. & 55. Ratio est, quia nemo, per se loquendo, tenetur bis confiteri idem peccatum, peccata autem præterita, per quæ est causata consuetudo, sunt antehac confessa, uti supponitur, & peccatum præsens non aggravatur sed potiùs minuitur ratione præcedentis consuetudinis, quæ aliquo modo minuit libertatem, ergo non est necessarium facere mentionem peccatorum præteritorum vel illius consuetudinis. *Nec obstat*, quòd per consuetudinem exposuerit se periculo proximo relabendi, *nam* si hoc antehac fecit advertenter, quod rarum erit, est speciale peccatum, de quo debet se speciatim accusare, secundùm dicenda n. 970. De cætero exponere se periculo proximo peccati & statim ideo peccare, non sunt duo peccata sed unum tantùm, quòd satìs explicatur explicato ipso peccato inde secuto, uti

omnes

omnes communiter fatentur cum Lugo n. 511.

969. §. 2. Si consuetudo sit causa vel occasio proxima actuum objectivè malorum, etiamsi hi actus fortè propter inadvertentiam non sint peccata, tamen est sub mortali obligatio emendandi ejusmodi consuetudinem; & si quis hoc neglexerit, tenetur se accusare de hac negligentia, *Suar. Sanch. Laym. Regin.* Lugo à n. 204. *Diana* p. 3. t. 5. R. 62. contra *J. Sanch.* & *Moyam.* Quandonam autem ejusmodi actus etiam inadvertenter facti retineant suam malitiam objectivam, dictum est l. 5. n. 48.

970. §. 3. Etiam tum confitenda est consuetudo, si adhuc sit volita, & pergat esse proxima occasio relabendi, sicuti enim, qui voluntariè & advertenter per actus frequentatos contrahit consuetudinem peccandi, quæ ipsi est occasio proxima novorum peccatorum, peccat dupliciter, nempe ipso actuali peccato, v.g. blasphemiæ, deinde etiam contrahendo illam consuetudinem, quæ erit causa proxima secuturarum blasphemiarum objectivè malarum, ita etiam peccat dupliciter, qui blasphemat & voluntariè pergit augere vel retinere talem consuetudinem, ideoque confitens dicere debet, blasphemavi sæpissimè & ita blasphemando advertenter induxi aut emendare nolui consuetudinem blasphemandi, *Sayr. Valent. Laym. Dicast.* d. 9. nu. 412. *Sporer* in Decal. p. 1. t. 1. c. 7. n. 54.

971. §. 4. Etiam aperienda est peccandi consuetudo, si Confessarius de ea interroget, uti constat ex prop. 58. ab *Inn. XI.* damnata, *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Hinc opinio aliquorum, qui hoc negârunt, non est probabilis. Ratio est, quia

Con-

Confessarius, imprimis tanquam Judex, habet jus cognoscendi, an pœnitens seriò proponat emendare sua peccata necne, item an non fortè adhuc sit in occasione proxima relapsuum, ergo habet jus interrogandi de consuetudine peccandi, nam ubi hæc est, sæpe deest propositum emendandi, aut remanet occasio proxima. Deinde etiam ùt Medicus habet jus interrogandi, nimirum in ordine ad præscribenda remedia emendandi talia peccata consuetudinis, ideoque per accidens tum erit obligatio sæpiùs indirectè saltem manifestandi eadem peccata.

§. 5. Si pœnitens sit doctus simulque certus se esse rite dispositum nec indigere consilio Confessarii, putant plures cum *Moya* à n. 13. tum non teneri respondere, sed videtur tenendum oppositum cum *Carden.* in 2. crisi diff. 37. à n. 35. tum quia Confessarius habet jus se etiam ex parte sua certificandi de istis, ergo pœnitens habet obligationem respondendi, tum quia pœnitens sæpe falsò præsumit se satis doctum aut non subesse causam. Peccaret tamen Confessarius, si ex mera curiositate hoc indagaret, neque pœnitens tum teneretur respondere. Nec debet Confessarius ad singula peccata inquirere, feciſtine hoc sæpiùs? meritò enim tum præsumeretur ex curiositate inquirere, & si pœnitens tum teneretur semper respondere, posset Confessarius quandoque totam ejus vitam explorare, quod nimis durum est & redderet confessionem meritò odiosam omnibus. 972.

Q. 136. *An illa, quæ ex consuetudine mortaliter mala postea inadvertenter fiunt, sint confitenda.* 973.

R. §. 1. Rarò ista fient sine ulla advertentia malitiæ, aderit enim communiter advertentia saltem

tem virtualis sive tenuis & quasi imperceptibilis, quæ sicuti sufficit ad actu bene operandum, ita etiam ad actu peccandum.

974. §. 2. Si supponamus, quando ista fiunt, nullam prorsus adesse advertentiam malitiæ, talia non habebunt ullam novam malitiam formalem, uti constat ex dictis l. 5. à n. 16. & consequenter cùm ista in se non sint peccata, nec externè compleant peccatum aliquod internum, sed tantùm sint effectus peccati, secundùm dicta n. 944. non est obligatio ista confitendi, sed satis est confessum esse vel confiteri actus antecedentes, per quos contracta est talis consuetudo, vel neglecta ejus emendatio, *Suar.* de juram. l. 3. c. 8. n. 5. *Sanch.* in Dec. l. 3. c. 5. num. 33. *Amic.* De pecc. d. 22. n. 51. *Dicast.* hic d. 9. àn. 411. Quod verum est secundùm multos cum *Dicast.* de juram. d. 2. n. 198. quamvis consuetudo illa non sit retractata, tales enim v.g. blasphemiæ indeliberatæ non sunt voluntariæ, nec in se, uti supponitur, nec in causa, quia ista consuetudo non est quid voluntarium, quod pœnitens debeat aut possit statim à se depellere, sed est habitus naturalis necessariò relictus ab actibus, qui habitus abjici non potest etiam à volente & retractante. Addit *Dicast.* talem consuetudinem non videri semper esse causam vel occasionem proximam peccati; nam quandoque etiam fortiùs inclinant ipsamet complexio naturalis & concupiscentia ex peccato originali orta, neque tamen hæc necessariò debent positivè expelli aut retractari, sed satis est habere propositum se continendi à peccatis, ad quæ inclinant.

975. Q. 137. *An confitendæ sint circumstantiæ notabiles*

biliter aggravantes peccatum intrà eandem speciem R. Quales hæ sint, dictum est n. 956. An autem confitendæ sint, disputant Authores, utrinque ferme æquè probabiliter, uti constabit ex seqq.

976. §. 1. Circumstantias illas non esse necessariò confitendas, docent *S. Th. S. Bonav. S. Anton.* aliique probatissimi Authores plures quàm 45., quos refert & sequitur *Diana* p. 1. t. 7. R. 1. p. 3. t. 4. R. 67. Item *Aversa* q. 10. s. 8. ad quos accedunt *Palav.* c. 33. *Dicast.* d. 9. n. 180. *Moya* t. 3. d. 3. q. 3. à n. 14. *Haun.* c. 8. controv. 2. *Illsf.* à n. 74. *Stoz* l. 1. p. 1. à n. 83. etiam plurimos referens. *Rationes* præcipuæ sunt, 1. quia *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 5. volens docere, quid confitendum sit, tantùm loquitur de specie & circumstantiis mutantibus speciem, ergo sufficienter innuit tantùm aggravantes non esse necessariò confitendas, alioquin non processisset doctrinaliter, sed valde mancè, sicuti, inquit *Lugo* d. 16. n. 108., qui doctrinaliter procederet & explicaret necessitatem confitendi peccata, semperque adderet, quæ mortalia sunt, sufficienter doceret venialia non necessariò esse confitenda, ergo. *Conf.* nam *Trid.* expressè addit nihil aliud à pœnitentibus in Ecclesia exigi. 2. Est contra praxin omnium Confessariorum & pœnitentium, vel interrogare vel edicere circumstantias tantùm aggravantes, inquit *Vasq.* q. 19. a. 1. dub. 2. quod saltem verum est de circumstantiis se tenentibus ex parte actûs, v.g. quamdiu duraverit actus peccati, quàm fuerit intensus &c., quæ omnia etiam cognitu sunt difficillima, ergo non est obligatio hæc addendi, ergo nec alias circumstantias tantùm aggravantes se tenentes ex parte objecti, argumenta enim adversa-

versariorum æqualiter procedunt de omnibus, nam sicuti furtum 100. ducatorum moraliter æquivalet 1000. furtis unius ducati, ita odium Dei per horam continuatum æquivalet pluribus odiis intrà eandem horam repetitis. 3. Alioquin etiam teneberis explicare quantitatem materiæ detractionis; item an persona sit valde honorata vel non, nec sufficeret dicere fuisse absolutè gravem; item teneberis addere circumstantias notabiliter minuentes intrà speciem mortalis, v. g. quod feceris ex metu, cum aliqua passione, hæc autem sunt contra sensum communem, inquit *Lugo* à n. 112. ergo. 4. Certum est non omnino constare illas circumstantias esse confitendas, in dubio autem, an existat lex, non obligat, uti ex communi dictum est l. 1. à n. 272. Deinde cùm *Trid.* egerit de obligatione confitendi circumstantias, & non expresserit obligationem confitendi aggravantes, præsumendum est non esse, quia contra illum, qui Jus clarum dicere potuit & non dixit, interpretatio est facienda, uti ex Jure probat *Moya* d. 1. q. 5. n. 13.

977. §. 2. Circumstantias illas esse necessariò confitendas, docent Auctores non minùs nobiles, inquit *Cardenas* in 2. crisi d. 2. n. 1., quorum 25. adductis locis referunt *Diana* & *Aversa* suprà, inter quos sunt *Alens. Caj. Suar. Sot. Henriq. Cón. Sanch.* in Decal. l. 2. c. 32. n. 39. vocans verissimam sententiam. Accedunt *Steph. à S. Paulo, Semery, Tann.* q. 7. n. 53. referens plures, *Arr.* d. 32. s. 1. & seqq. *Amic.* d. 13. s. 6. *Gonet* d. 10. a. 3. *Platel.* n. 783. *Gorm.* p. 2. à n. 139. *Todts.* q. 98. §. 3. *Bonæspei* de pecc. d. 4. à n. 85. ubi n. 122. dicit sententiam hanc non esse quidem de fide, attamen

tamen attentis locutionibus *Tridentini* videri manifestè deduci ex principiis fidei, oppositam autem infirmis valde & parùm *Tridentino* consonis inniti fundamentis. *Vasq.* q.9.1.a.1.dub.2. num. 6. fatetur hanc sententiam esse in scholis communem. *Esparsa* q.90.a.4.ad 8.tenet, si circumstantiæ se teneant ex parte objecti, esse confitendas, & addit oppositum suaderi non posse ratione aut indicio ullo sufficiente ad probabilitatem: si autem circumstantiæ se teneant ex parte actûs, tenet non necessariò esse confitendas: & videtur idem sentire *Sporer* n. 410. & 422.; sed idem videtur valere de utrisque circumstantiis. *Rationes* sunt 1. Auctoritas *Catechismi Romani*, qui jussu *Pii V.* conscriptus & ex Decreto *Trid.* editus, mentem *Trid.* optimè erit assecutus, sic autem habet *De pœn.* c. 9. *Neque verò solùm peccata gravia narrando explicare oportet, verùm etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, & pravitatem valde augent vel minuunt.* Quòd autem loquatur de peccatis distinguendis secundùm circumstantias partim aggravantes, partim mutantes speciem, patet in exemplo furti, quod subjicit his verbis: *Furtum etiam in peccatis numerandum est, verùm si quis aureum nummum furetur, leviùs omnino peccat, quàm is qui 100. vel 200. vel ingentem aliquam auri vim, præsertim verò, qui sacram pecuniam abstulit.* Et addit: *Hæc igitur, ùt diximus, enumeranda sunt, quæ verò pravitatem rei magnoperè non augent, sine crimine omitti possunt.* Accedit Cap. *Consideret* 1. *De pœn.* Dist. 5. ubi inter cætera dicitur, pœnitentẽ debere considerare qualitatem criminis, quantùm in eo perseveraverit: & ut cognoscat augmentum peccati, ut consideret cujus ætatis fuerit, cujus

sapientiæ &c. *quia*, inquit, *omnis ista varietas confitenda est.* 2. Hoc est confitendum, quod scire debet Confessarius prout Judex & prout Medicus, uti manifestum est ex *Trid.* suprà, sed Confessarius prout Judex & prout Medicus scire debet circumstantias etiam tantùm aggravantes: Imprimis ùt Judex, quia debet judicare de gravitate criminum & pœnam convenientem imponere, uti constat ex *Trid.*, hæ autem circumstantiæ notabiliter augent malitiam, ideoque etiam notabiliter mutant judicium Confessarii, præsertim in ordine ad imponendam satisfactionem, uti manifestum est ex Canonibus pœnitentialibus, qui habentur in fine *Decreti Gratiani*, in quibus designantur notabiliter diversæ pœnitentiæ pro peccatis ejusdem speciei, ob solas diversas circumstantias aggravantes, uti patet in casu 21. 22. 37. 38. aliisque. Similiter debet Confessarius prout Medicus easdem circumstantias scire, alioquin non scitur status ægri: & sicuti debet Medicus corporalis scire, v. g. an notabiliter diutiùs solitò tenuerit febris, frigus vel æstus, ita Medicus animæ, uterque ideo, ut judicare possit de gravitate morbi & opportuna præscribere remedia. *Si dicas*, satis esse, quòd Confessarius possit illa interrogare & pœnitens teneatur fateri. *Contra* est, nam pœnitens tenetur ea sponte suâ dicere, super quæ Confessarius debet hìc & nunc esse Judex vel Medicus, alioquin dicam nequidem teneri dicere circumstantias mutantes speciem, nisi interrogetur: hinc 3. Pœnitens debet suâ sponte hoc confiteri, quod mutat speciem peccati saltem moraliter, sive in æstimatione prudentum, uti manifestè colligitur ex con-

textu

textu *Trid.* suprà, sed circumstantia notabiliter aggravans mutat moraliter speciem peccati, ergo. *Prob. min.* Species peccati est apparentia & æstimatio, quam de peccato concipere debent viri prudentes, nam species rei dicitur quasi facies & forma, secundùm quam res apparet & æstimari debet, sed circumstantia notabiliter aggravans mutat apparentiam & æstimationem, quam de peccato concipere debent viri prudentes, ergo. *Prob. minor.* Ponamus quartam partem aurei esse materiam levem; si furer medium aureum, hæc circumstantia aggravans mutat moraliter apparentiam & æstimationem, quam de hoc secundo furto concipere debent viri prudentes, utì certum est, nam furtum quartæ partis aurei debebat apparere tantùm leve & æstimari peccatum veniale, furtum autem medii aurei debet apparere grave & æstimari esse peccatum mortale, utì supponitur, ergo si iterum furer 1000. aureos, hæc circumstantia aggravans debebit facere, ut hoc tertium furtum apud prudentes appareat & æstimetur moraliter aliud à furto medii aurei, minor enim est dissimilitùdo quartæ partis aurei ad medium aureum, quàm medii aurei ad 1000. aureos, ergo. 4. Si furtum medii aurei semel avertit à Deo, furtum mille aureorum æquivalenter saltem decies avertit à Deo, & reipsa meretur odium Dei ac pœnam, quæ responderet saltem decem furtis medii aurei, cùm ille unicus actus moraliter æquivaleat illis pluribus, utì fatentur adversarii; similiter odium Dei continuatum per totum diem moraliter æquivalet pluribus odiis post retractatam voluntatem aliquoties repetitis intrà eun-

dem diem: multa autem furta vel odia ita repetita essent in Confessione explicanda ratione numeri formaliter multiplicati, nec satisfaceres dicendo, furatus sum mille aureos, habui odium in Deum, sed deberes addere, per tot vices, utì certum est, ergo similiter addere debet furtum fuisse 1000. aureorum, & odium fuisse ita diu continuatum. 5. Circumstantia, quæ speciem tantùm aggravat, sæpè addit majorem malitiam, quàm circumstantia, quæ speciem mutat, sic enim majorem apud Deum culpam & pœnam incurrit, qui ex loco profano furatur 1000., quàm qui ex loco sacro furatur unicum aureum, ergo si sit obligatio addendi hanc circumstantiam loci, etiam erit obligatio addendi illam circumstantiam gravitatis. *Prob. conf.*, quia quòd sit obligatio confitendi, quando mutatur species, inde non est, quia præcisè est alia species, sed quia cum alia specie accedit malitia notabiliter alia, si enim accederet nova species absque nova malitia, non esset obligatio exprimendi, utì omnes fatentur, ergo si accedat notabiliter nova alia malitia, quamvìs non sit formaliter species, erit obligatio exprimendi. 6. Circumstantia aggravans est materia necessaria Confessionis, ergo debet exprimi. *Prob. ant.* Si non esset materia necessaria, ergo qui furatus est 1000. non confiteretur invalidè, si dicat se esse furatum unum aureum, quia furatus est illum unum, & quod reticet, non est materia necessaria Confessionis, utì volunt adversarii; imò quamvìs mentiretur, dicendo se esse furatum unum tantùm, tamen mendacium esset circa materiam non necessariam Confessionis, ergo non ideo invalidaretur Sacramentum

tum, secundùm dicenda n. 1177., hoc autem non concedunt adversarii, ergo.

§. 3. Rationes, saltem aliquæ, pro utraque sententia sunt graves, sed rationes pro sententia affirmativa, videntur esse graviores, hinc ad rationes pro negativa R. *Ad 1. Trid.* noluisse expressè definire quæstionem inter Authores controversam, attamen sufficientia jecit fundamenta pro parte affirmativa, nam per circumstantias mutantes speciem intelligit illas, quæ mutant vel formaliter ratione alterius planè malitiæ, vel æquivalenter seu moraliter ratione malitiæ ita aggravatæ, ut in æstimatione prudentum censeri debeat aliud quasi specie vel saltem aliud numero peccatum, uti in ratione tertia dictum est, & colligitur ex toto contextu *Tridentini*, omnis autem alia species & numerus est explicandus, ergo. Ex *Conf.* nihil sequitur, uti fatetur *Lugo*, tantùm enim dicit nil exigi præter Confessionem mortalium, quæ pœnitens agnoverit post diligens examen, ubi nullus est sermo de circumstantiis mutantibus speciem. *Ad 2. Tann.* n. 64. dicit praxin timoratorum stare pro nobis: si tamen sit praxis aliorum contraria, hæc procedit ex probabilitate sententiæ benignioris, quam plures antehac sequebantur. *Ad 3.* Admitto circumstantias notabiliter aggravantes, si facilè etiam à rudibus cognoscantur, etiamsi tantùm ex parte actûs se teneant, esse addendas: intellige semper, si sint majores, quàm ordinariè soleant esse, ideoque non intelligantur per expressionem actûs: minuentes autem pertinent ad ordinarium modum peccandi, hinc si nihil addatur, præsumi debent. Quòd si aggravantes igno- 977.

rentur, aut si nimia foret difficultas in eis dignoscendis aut exprimendis, per accidens excusaberis, tantùm enim teneris ad hoc, quod moraliter potes: monetque rectè *Tann.* n. 63., ne Confessarii sint circa illas inquirendas nimii, sed potiùs relinquant pœnitentes suæ opinioni. *Ad* 4. Nego hìc esse purum dubium de lege, nam major est probabilitas pro lege, ergo etiam probabilius est esse obligationem legis, nec plùs volumus, quòd *S. Tho.* attinet, quamvis ipse in 4. Dist. 16. q. 3. a. 2. quæstiu. 5. aliisque pluribus locis apud *Moyam* suprà n. 14. videatur satìs clarè tenere sententiam negativam, ideoque ipsius authoritas addat multùm ponderis, tamen non tenet illam ùt absolutè veram, sed tantùm ùt probabiliorem: & quia hæc scripsit junior, putârunt *Sotus* & *Canus* apud *Moyam* mutaturum fuisse sententiam, si suæ Summæ ultimam manum imposuisset, sed hoc valde incertum est. Quòd autem *Gonet* n. 58. & *Gormaz* n. 143. & 174. aliique conentur eum explicare pro se, vix persuadebunt legenti, utì ostendunt *Moya* à n. 17. & *Illj.* n. 77.

De tota quæstione videri etiam potest *Arriaga* d. 32. per quatuor Sectiones, fusè propugnans hanc sententiam affirmativam.

978. *Q. 138. An opinio negans circumstantias aggravantes esse confitendas sit nunc damnata pro praxi.* R. Aliqui affirmant, quia *Inn. XI.* declaravit sequendam esse sententiam tutiorem, quando agitur de valore Sacramenti, hìc autem videtur agi de valore Sacramenti, nam cùm Confessio integra sit pars essentialis Sacramenti, si omittantur circumstantiæ aggravantes, probabile est Confessionem non fore integram, sed defu-

turam

turam partem essentialem Sacramenti, ergo. E contrà alii cum *Carden.* in 2. crisi d.2.n.107. recte docent sententiam illam non contineri sub damnatione, quia sequendo illam Sacramentum non exponitur periculo nullitatis, certum enim est ad valorem non requiri Confessionem materialiter integram, sed sufficere integram formaliter, qualis hìc erit, ergo quamvìs opinio negans circumstantias illas esse confitendas coram Deo esset falsa, Sacramentum adhuc esset validum, utì validum est, si quis ex oblivione omittat peccatum vel circumstantiam, quæ mutat speciem, aut si omittat bonâ fide putans se non teneri confiteri, idem enim est, inquit *Lugo* d. 19. n. 31. non recordari alicujus peccati vel ignorare obligationem confitendi illud. Atque ex his infertur, quòd neutra opinionum probabilium, quarum una affirmat, alia negat peccata aliqua differre specie, subjaceat damnationi, v. g. sententia, quæ dicit delectationem morosam circa personam liberam & circa conjugatam non differre specie, quamvìs sit minùs tuta, non ideo est damnata pro praxi, quia si fortè falsa est, nihilominùs relinquit Confessionem formaliter integram & reliquas ejus partes essentiales, ergo non exponit Sacramentum periculo nullitatis, sed manet practicè probabilis,

*Q. 139. Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra fidem, spem, charitatem.* R. §. 1. Errores vel dubia circa fidem sunt ejusdem speciei, in quacunque materia sint, *Regin. Diana* p. 1. t. 7. R. 46. p. 11. t. 7. R. 34. *Less.* in auct. v. *Confessio* cas. 9. Hinc qui dubitavit, semel de Eucharistia, semel de purgatorio, semel de æternitate animæ, 979.

satisfacit dicendo, ter dubitavi in fide, quia tota malitia consistit in hoc, quòd non satis tribuatur authoritati Dei, quæ est eadem in omnibus. Econtrà tamen culpabilis ignorantia mysteriorum fidei, error in fide & positiva hæresis cum pertinacia distinguuntur specie.

980. §. 2. Probabilius est cum *Suar. Sanch. Castrop.* & aliis apostasiam à fide specie differre ab infidelitate, tum quia deficiendo à fide læditur speciale jus, quod Ecclesia per Baptismum acquisiverat in personam hominis fidelis, tum etiam, quia est specialis irreverentia contra characterem Baptismi, si deseratur fides in eo susceptu, cujus veluti sigillum est iste character, attamen non est opus hoc exprimere in Confessione, hoc ipso enim, quòd aliquis confiteatur se defecisse à fide, intelligitur, quòd fecerit post Baptismum, quia peccata ante Baptismum facta non sunt materia Confessionis. Quòd si quis post susceptam Confirmationem deficiat à fide, putat *Carden.* in 2. crisi d. 30. n. 55. accedere speciem irreligiositatis per hoc, quòd, cùm Confirmatio specialiter det auxilia gratiæ ad retinendam fortitudinem in susceptu ac defendenda fide, ideo obligat ad excludendam infidelitatem, ipse contra eam gratiam peccet, eamque admissâ infidelitate destruat; sed ratio ista non videtur firma, alioquin etiam erit specialis irreligiositas, si quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ in ordine ad emendanda peccata acceptam iterum abjiciat per eadem peccata repetita. Si tamen defectio fiat post professionem fidei juratam, accedit species sacrilegii, propter juramentum, quod frangitur.

981. §. 3. Defectio à fide ad Judaismum, Paganismum

nismum, hæresin, specie inter se distinguuntur, Lugo d.16.n.291. *Dicast.* d.9.n. 556. cum communi contra alios. Ratio est, quia hæ sectæ ob diversos ritus valde diversam habent oppositionem cum religione, judaismus per superstitiosam observantiam, paganismus per idololatriam, hæresis per alia ab his specie distincta peccata. Hinc etiam si quis vellet potiùs deficere ad hanc hæresin quàm illam, si hæ hæreses inducant ad diversa peccata, vel habeant ritus notabiliter diversos religioni oppositos, etiam hæreses inter se distinguentur specie, & ita docent *Lugo* & *Dicast.* Calvinismum, qui habet ritum invalidi Sacramenti Eucharistiæ, distingui specie à Lutheranismo. De mendacio circa fidem dicetur n. 1095.

§. 4. Peccare cum spe veniæ, vel cum pro- 982.
posito confitendi, vel contra vehementissimam inspirationem, vel contra firmissimum propositum non peccandi, non inducunt novam speciem, ideoque sufficit dicere simpliciter peccatum, *Comit. Lugo*, *Tamb. Dicast.* n. 703. *Sporer* n. 216. Si tamen quis peccet, quia sperat Deum facilè remissurum, accedit nova species, quæ est præsumptio de misericordia Dei. Si ideo iterum peccet, quia jam antè, illud peccatum commiserat, & putat utrumque eâdem facilitate per unicam confessionem remittendum, erit error & præsumptio de eadem misericordia Dei.

§. 5. Si quis peccet mortaliter, v. g. furetur 983.
rem notabilem, non intendens quidem, attamen advertens, quòd per hoc sibi inferat mortem spiritualem animæ, *Arr.* de pecc. d. 44. n. 13. & *Bonæspei* de pecc. d. 8. n. 31. dicunt contra-

here novam ſpeciem contra charitatem propriam. Idem dicit *Oviedo* de pecc. contr. 2. n. 59. quamvis peccans priùs fuiſſet in uno mortali, quia qui faceret aliquid, advertens propter hoc ſi ſi inferendam mortem aut graviſſimam pœnam corporis, item qui per prodigalitatem ſe ſpoliaret maximâ parte bonorum, ſecundùm S. *Th.* 2.2.q.119 a. 3. ſpecialiter peccaret contra charitatem propriam; ergo multò magis hìc. Aliqui rationi illi non acquieſcunt, aliàs, inquiunt, qui peccaret venialiter, hoc ipſo peccaret mortaliter, quia infert ſibi majus malum quàm ſit omnis pœna corporis, & quàm ſit carentia omnium bonorum temporalium: quidquid ſit de hoc, ſaltem probabilius eſt cum *Vaſq. Leſſ.* & aliis per hoc non contrahi ſpecialem malitiam, quæ in confeſſione explicari debeat, quia hoc eſt commune & veluti imbibitum in omni mortali, quod ideo cognoſcitur eſſe mortale, quia infert mortem animæ, adeoque eſt circumſtantia veluti tranſcendens, quæ ſatìs intelligitur. Et hæc etiam eſt ratio, cur occidens alium coram Judice, à quo ideo ſuſpendetur, peccet contra charitatem propriam, uti habet communis contra *Tann.* de pecc. d. 4. q. 3. num. 72. & occidens alium coram Deo, à quo ideo damnabitur, non ideo peccet contra charitatem propriam peccato in confeſſione explicando, quia nempe damnari à Deo eſt commune & proprium omni homicidio, non item ſuſpendi. Docent tamen *Arr.* & *Bonæſpei* de pecc. d. 5. n. 137. ſi quis ob certum peccatum incurrat excommunicationem, debere hoc ſpecialiter addere in confeſſione, quia contra charitatem propriam eſt ſe privare ſpecia-

libus

libus istis bonis, scilicet communione fidelium, suffragiis Ecclesiæ, jure ad sepulturam &c. quamvis in hoc iterum contradicat *Tann.*

§. 6. Qui inducit alterum ad mortale, con- 984.
trahit saltem duplicem specie malitiam, imprimis contra charitatem proximi, cui causat ruinam spiritualem, deinde malitiam illius peccati, ad quod fit inductio, hinc qui induxit ad furtum, non satisfacit dicendo, fui alteri causa gravis peccati, sed addere debet, furti; & idem est de aliis materiis: Ratio est, quia singulæ virtutes obligant, ne directè procuremus aliquid contra se agi, uti rectè *Bonac.* & *Tamb.* De conf. l. 2. c. 7. n. 14. cum communi. Et propter hoc putat *Oviedo*, quòd consulens homicidium plùs peccet, quàm ipsemet homicida, quia consulens est moraliter homicida, & simul peccat contra charitatem: sed alii dicunt peccare quidem plùs extensivè, non tamen ideo plùs intensivè, quia cùm consilium revocari possit vel nihil persuadere, non est ita efficax nec proximè attingit vitam proximi, uti occisio: Quidquid sit de hoc, de quo videri potest *Dicast.* à n. 533., rectè probant *Lugo* n. 140. & *Dicast* à num 270. contrahi diversam speciem malitiæ, imprimis primariam contra virtutem, ad quam fit inductio, uti dictum est; deinde contra eandem virtutem adhuc aliam secundariam specie distinctam à priore, quia hoc ipso, quòd alter habeat præceptum, v. g. non furandi, Jure naturæ in aliis hominibus resultat obligatio non inducendi ad furtum, hinc inducens contrahit malitiam primariam contra virtutem justitiæ, quæ obligat ad non procurandam sui violationem, deinde secundariam, non cooperandi alteri in

pec-

peccato injustitiæ : utraque tamen hæc malitia sufficienter explicatur dicendo, induxi aliquem ad grave furtum.

985. §. 7. Si inductio fiat ad actum inducenti & inducto communem, v. g. ad turpe colloquium, *Castrop.* tr. 23. p. 9. n. 12. *Tamb.* c. 4. nu. 3, *Burgh.* cent. 1. cas. 70. putant non esse speciali-ter contra charitatem proximi, adeoque opus non esse addere, an fuerit inducens an inductus, quia videtur esse ejusdem speciei, sive prævæniendo sive tantùm cooperando causare ruinam proximi. Sed oppositum videtur probabilius, longè enim major est deformitas & imputabilitas dedisse causam peccato aliàs non futuro, quàm post causam aliunde datam esse cooperatum.

986. §. 8. Si scandalum, quod datur ad mortale, sit tantùm indirectum, id est, si non intendatur peccatum proximi, sed tantùm prævideatur secuturum ex mea actione, *Less. Salas, Hurt. Lug.* à n. 159. *Tamb.* c. 1. n. 105. dicunt peccari tantùm contra charitatem, ideoque satis esse dicere, quòd fueris causa gravis peccati alterius, tacendo quòd fuerit v. g. in materia castitatis, quia castitas aut quævis alia virtus non videtur obligare, ut caveamus alienas prævarica-tiones circa ipsas, sed tantùm ne positivè ad eas inducamus. E contrà *Laym. Bonæsp. Oviedo* de peccat. controv. 2. à n. 96. *Stephanus* tr. 3. d. 3. n. 70. *Dicast.* n. 336. & alii dicunt adhuc con-trahi speciem peccati, ad quod datur scanda-lum, quia talis saltem interpretativè vult pec-catum alterius, volendo sinè justa causa ponere aliquid, ad quod prævidet illud secuturum, er-go contrahit ejus malitiam in confessione ex-pli-

plicandam, & hanc sententiam etiam in praxi tenendam esse dicit *Gob.* in Quin. t. 5. c. 13. n. 62. licèt priorem defendat ùt probabilem.

§. 9. Ex dictis sequitur. Si sermone vel facto turpi dedisti scandalum præsentibus, teneris addere, quales fuerint hæ personæ, si per hoc in illis diversa peccata causâsti; nam contraxisti easdem malitias, quas causâsti in illis, hinc si causâsti turpem delectationem in Religioso, contraxisti malitiam sacrilegii, si causâsti turpe desidèrium in conjugato, contraxisti malitiam adulterii, & ita de aliis, quia peccasti contra illas virtutes, quæ obligabant te, ne aliquem ad earum transgressionem induceres. Addit *Sporer*, si v. g. Parochus det parochianis scandalum, peccare etiam specialiter contra justitiam, quia ratione officii ex justitia quadam legali tenebatur eis prælucere bono exemplo, quod tamen *Dicast.* n. 598. negat de Confessario peccante cum suo pœnitente extra confessionem, v. g. furante cum illo, nam tum est extra obligationem sui muneris. 987.

§. 10. Quando nihil facio, per quod directè vel indirectè inducam proximum in peccatum, sed me habeo negativè & tantùm non impedio ipsius v. g. furtum, potero quidem peccare contra charitatem, si peccatum non impediam, quando commodè possum, secundùm dicta l. 2. n. 208., attamen non contraho speciem malitiæ contra justitiam, vel virtutem, contra quam peccat proximus, quia hæ virtutes me non obligant, ut illas positivè in altero procurem, sed tantùm ne directè vel indirectè inducam ad illarum violationem, *Suar. Côn. Lug. Dicast.* n. 339. 988.

§. 11.

989. §. 11. Sufurratio, quâ dissolvis amicitiam inter propinquos, v. g. inter patrem & filium, habet speciem distinctam malitiæ ab ea, quâ dissolvis amicitiam inter non propinquos, quia prior non tantùm opponitur charitati sed etiam pietati.

De peccatis alienis plura dicentur à n. 1131.

990. Q. 140. *Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra primum præceptum Decalogi.* R. §. 1. Superstitio cum pacto explicito distinguitur specie ab ea, quæ est cum implicito tantùm & tacito, quia longè diversa malitia est expresè dæmonem invocare, quàm facere aliquid, propter quod dæmon se ingerat, *Sanch. Bonac. Castrop.* t. 17. d. 1. p. 3. num. 11. & alii contra *Dian.* p. 1. t. 7. R. 66.

991. §. 2. Divinatio est ejusdem speciei, si fiat per aves, stellas, aquam &c. nam materialiter se habet instrumentum, *Less. Dian. Stoz.* l. 1. p. 1. n. 65. Si autem sacra misceantur profanis, accedet species sacrilegii contra religionem.

992. §. 3. Idololatria tantùm externa distinguitur specie ab ea, quæ simul est interna, quia cum hac adest stricta hæresis vel infidelitas.

993. §. 4. Simonia juris naturalis sive divini specie distinguitur à simonia juris tantùm ecclesiastici, hinc si quis emerit unum Beneficium ecclesiasticum & alterũ propriâ authoritate permutârit, non satisfacit dicendo, bis commisi simoniam, quia notabiliter pejus & turpius est rem temporalem æquiparare & commutare cum spirituali, quàm spiritualem cum spirituali.

994. §. 5. Fictio externa simoniæ, ut alter sic inducatur v. g. ad dandam pecuniam pro Beneficio, quamvis non habeat speciem primariam simo-

simoniæ, habet tamen speciem mortalis cooperationis ad eam, ùt ab altero committendæ, secundùm dicta l. 3. p. 1. n. 200.

Q. 141. *Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra secundum præceptum Decalogi.* R. §. 1. *Suar. Less. Sanch. Turr. Regin. Lug.* d. 16. à n. 279. *Dicast.* n. 536. & 539. *Oviedo* De pecc. controv. 5. n. 28. dicunt blasphemias in Deum, B. Virginem & Sanctos distingui specie, sicuti distinguuntur Latria, Hyperdulia & Dulia, quia sunt cultus illis debiti, contra quos peccatur per illas blasphemias. *Cajet.* tamen, *Dian.* p. 1. t. 7. R. 50. p. 5. t. 13. R. 21. & alii dicunt esse ejusdem speciei, quod *Tamb.* probabile putat, quia cùm B. Virgo & Sancti honorentur propter respectum ad Deum, etiamsi sic inhonorantur, adeoque omnes blasphemiæ sument speciem ab uno eodemque Deo in se vel suis Sanctis inhonorato: utraque sententia est probabilis, prima tamen communior. Quòd si blasphemia sit simul hæreticalis, accedet species sacrilegii contra religionem. *Nec refert*, quòd fortè non seriò proferatur, *nam* præceptum non negandi externè fidem obligat ad non dicendum aliquid, quod sit contra veritates fidei, *Lugo* n. 279. *Dicast.* n. 537. 995.

§. 2. Juramenta per Deum, Sanctos vel alias creaturas sunt ejusdem speciei, quia in omnibus idem Deus vocatur in testem, si enim sola creatura vocaretur in testem, non esset propriè juramentum, *Lugo* n. 287. 996.

§. 3. *Castrop.* t. 14. d. 1. p. 2. n. 7. dicit perjurium assertorium specie differre à promissorio, quia in promissorio Deus invocatur etiam ùt fidejussor, id est, ut authoritatem præstet 997.

pro

pro eo, quòd jurans sit rem executurus, sed contradicunt *Caj. Valent. Suar.* De juram. l. 1. c. 9. n. 1. quia in promissorio tantùm invocatur Deus ad firmandum, quòd aliquid sit futurum, ideoque *Dicast.* De juram. d. 2. n. 161. rectè dicit non esse necesse Deum interponi ùt fidejussorem, sed tantùm ùt testem animi præsentis de re præstanda, utì fit, dum quis promittit aliquid coram testibus.

998. §. 4. Perjurium execratorium videtur specie distingui à perjurio simplici, quidquid contradicat *Less.*, sicuti blasphemia execratoria à blasphemia simplici, secundùm *Dicast.* De pœn. d. 9. n. 538., qui enim addit execrationem, ille sibi præterea imprecatur malum, quod quamvis non omnino seriò faciat, tamen vel ideo meretur eo malo affici, sicque agit specialiter contra charitatem propriam volendo sibi malum illud extraordinarium.

999. §. 5. Jurare quod non vis adimplere, quod scis esse falsum, de quo dubitas, an sit falsum, secundùm communem cum *Dicast.* De juram. d. 2. n. 111. sunt peccata quoad rem ejusdem speciei, expedit tamen de his seorsim interrogare pœnitentes, quia pauci apprehendunt esse ejusdem speciei, & in ordine ad confessionem videtur esse notabiliter major deformitas vocare Deum in testem rei, si sciat esse falsam, quàm si tantùm dubitet, tum enim posset esse vera.

1000. §. 6. Vota facta de diversis rebus, quæ alias non sunt præceptæ, vel prohibitæ, sunt ejusdem speciei, nisi vovens voluisset materiam quam vovit, ponere in materia illius virtutis, ex cujus motivo vovit, secundùm dicta l. 1. n. 628.

628. Hinc qui vovit jejunare, cilicium ferre, orare Rosarium, & nihil horum servavit, satisfacit dicendo, ter sum transgressus grave votum, *Dicast. Lug.* n. 255. *Gob.* in Quin. t. 5. c. 13. n. 65. & in Exp. t. 11. n. 23. Notat tamen rectè *Lugo* n. 283. si in cultum Sancti præcisè voluisses huic Sancto aliquid promittere, non fore ejusdem speciei, nec propriè votum, quia non esset promissio Deo facta, ideoque ejus transgressionem habituram esse malitiam specie distinctam à transgressione Voti; ordinariè tamen, quando quis vovet Sancto, censetur velle vovere Deo, uti notant *Suar. Less. Lug. Dicast.* De pœn. d. 9. n. 544.

§. 7. Si ex motivo temperantiæ voveris, & 1001
præterea superior ex eodem motivo imperet, ut jejunes pridie S. Andreæ, si non jejunes, erunt tria specie peccata, 1. Contra temperantiam ratione præcepti Ecclesiæ. 2. Contra fidelitatem Deo debitam ratione voti. 3. Contra obedientiam ratione præcepti Superioris. *Nec obstat*, quòd tu voveris & Superior imperârit ex eodem motivo temperantiæ, nam adfuit utrobique aliud motivum intrinsecum, nempe in voto, ut exhiberes fidelitatem Deo, in præcepto, ut exhiberes subjectionem Superiori.

§. 8. Si votum fuerit juratum, transgressio 1002
illius erit duplex specie peccatum, tum ratione voti contra religionem, tum ratione juramenti contra fidelitatem, uti explicatum est in l. 3. p. 1. n. 305. & quoad rem consentiunt *Tamb.* & *Stoz* l. 1. p. 1. n. 52.

§. 9. Transgressio voti pœnalis secundùm 1003
speciem est diversimodè confitenda, prout votum fuerit diversimodè factum, nam qui vovit

jejunium, si furaretur, confitens furtum tacere potest votum, dummodo expleverit. Qui vovit non furari, & si furetur, jejunare, confitens furtum addere debet fuisse votum non furandi. Qui vovit, vel non furari, vel si furetur, jejunare, confitens furtum tacere potest de voto, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 471.

1004 *Q. 142. Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra tertium præceptum Decalogi.* Rr. Dicetur à n. 1102. quando de præceptis Ecclesiæ.

1005 *Q. 143. Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra quartum præceptum.* Rr. §. 1. Odium, detractio, irrisio, contumelia, & similes injuriæ factæ contra parentes, sunt diversæ speciei ab injuriis alteri proximo factis, quia sunt contra pietatem, quæ obligat ad specialem reverentiam, obsequium, cultum erga illos, *Dicast.* d. 9. à n. 572. Nomine parentum autem veniunt etiam avus & proavus, *Lugo* d. 16. à num. 298. *Tamb.* De confes. l. 2. c. 5. Non atavus vel tritavus, quamvis etiam illis aliquid deberi, meritò putet *Dicast.* n. 582.

1006 §. 2. Si actio contra parentes facta non adversetur pietati, non est diversæ speciei, unde nec opus erit in Confessione dicere hoc parenti factum esse, & sic est furtum, quod, per se loquendo, pietati erga parentes non adversatur, nisi fortè hi per illud venirent in periculum paupertatis.

1007 §. 3. Sunt injuriæ specie diversæ, quas pater infert filiis, & quas nepotibus; item quas conjux conjugi, quia isti omnes debent sibi specialem amorem.

1008 §. 4. Injuria à patre facta filio distinguitur specie ab injuria à filio facta patri, aut à viro facta

facta conjugi, unde Titius, qui patri, filio & conjugi fuit injurius, non satisfacit dicendo, tribus propinquis feci gravem injuriam, sed explicare debet personas singulas, quia licèt omnia sint contra pietatem, tamen in singulis est diversa deformitas ratione diversi tituli conjunctionis, in quibus fundantur diversæ obligationes ad singulos. Et hinc etiam injuria facta fratri vel sorori differt specie ab ea, quæ fit parentibus: & obconjunctionem sanguinis etiam differt ab ea, quæ fit extraneis. Injuria tamen facta fratri non differt specie ab ea, quæ fit sorori, quia est conjunctio similis. Et universaliter putant *Lugo* & *Dicast.* nu. 584. non quamvis injuriam contra fratrem aut sororem habere malitiam contra pietatem, sed debere esse valde gravem & atrocem.

§. 5. Si fiat contra alios propinquitatis gradus, non ideo contrahitur nova species in Confessione explicanda, *Dicast.* n. 586. Utì nec si fiat contra Sacerdotem, *Dicast.* n. 589. exceptâ percussione aut simili inhonoratione, per quam excommunicatio incurritur, tum enim ex addita pœna colligimus talem actionem specialiter prohiberi ab Ecclesia ex motivo religionis, *Lugo* n. 310. 1009

§. 6. Si injuria fiat in Superiorem ùt Superior est, additur nova species, hinc si quis formali contemptu vel præcepti vel præcipientis transgrediatur præceptum quamvis de se leve, utì si ideo transgrediatur, quia prohibitum est, quia hic vel ille Superior prohibuit, peccat graviter, secundùm dicta l. 5. à n. 237. & addere debet in Confessione, nam præter inobedientiam respectu præcepti adest malitia con- 1010

tra reverentiam & obſervantiam Superioribus debitam. Rectè tamen notat *Lug.* n. 309. ſi peccatum non tangat Superiorem ùt Superior eſt, v.g. ſi revelet ſecretum, quod Superior tanquam amicus ipſi commiſit, non ideo addi novam ſpeciem malitiæ.

1011 §. 7. Si Superior habeat duplicem poteſtatem imperandi, unam ratione juriſdictionis, alteram ratione voti, quo ſubditus ſe obligavit ad illi obediendum, ſi hic ſubditus non obediat, peccat dupliciter, nempe contra juriſdictionem & contra votum. Quamvis autem Superiores regulares habeant poteſtatem juriſdictionis immediatè à Papa, & religionis ex vi voti facti à ſubditis, communiter tamen nolunt obligare, niſi ex vi voti, & tum addunt ſe imperare *in virtute ſanctæ obedientiæ*: Quòd ſi addant gravem pœnam, v. g. dicant *& ſub excommunicatione*, probabiliter dicunt *Henriq. Côn.* d. 7. dub. 5. *Bonæſpei* De pecc. d. 5. n. 40. *Palav.* De pecc. d. 9. q. 2. a. 2. *Dicaſt.* De cenſ. d. 2. dub. 22. contra *Vaſq. Caſtrop. Oviedo*, ex addita tali pœna colligi debere, quòd velint per poteſtatem juriſdictionis non tantùm urgere eandem rem, ſed etiam addere novam vim obligativam.

1012 §. 8. Si aliquis non ſit verè Superior, quia non habet juriſdictionem in foro externo, ſed tantùm vim obligandi ex voto, utì Confeſſarius, cui ſæcularis pœnitens vovit obedire in omnibus, quæ judicaverit ſuæ ſaluti convenire, tum certum eſt ſolùm peccare contra votum, quia non poteſt præcipere, ergo nec peccat contra obedientiam, prout hæc ſupponit juriſdictionem diſtinctam, ideoque ad rem à Confeſſario præſcriptam tantùm tenebitur ex obligatione

gatione fidelitatis servandæ Deo, *Castrop.* De pecc. d. 3. p. 3. num. 13. *Dicast.* De pœn. d. 9. à num. 358.

§. 9. Lex & præceptum Superioris facere 1013
potest, ut actio præcepta vel prohibita spectet ad illam virtutem, ex cujus motivo præcipitur aut prohibetur aliquid, utì explicatum est l. 1. à n. 624. & l. 5. à n. 137. Putatque *Stoz.* l. 1. p. 1. n. 52. Superiores regulares semper præcipere ex motivo virtutis, ad quam spectat actus, quem præcipiunt. v. l. 1. n. 628.

§. 10. Si quid fiat contra benefactorem, non 1014
ideo additur nova species, quia obligatio gratitudinis est libera. Casus tamen aliquos afferunt *Caj. Con. Turr. Lug.* n. 311. *Dicast.* n. 385. in quibus ratione magnæ beneficentiæ videtur mutari species.

*Q. 144. Quomodo distinguenda sit species in pec-* 1015
*catis contra quintum præceptum.* R. §. 1. Si occidens præterea discerpat cadaver, præscindat membra, evellat cor &c. additur specie distincta malitia, nempe feritatis, *Suar. Lug. Tamb. Stoz.* l. 1. p. 1. n. 71. Quod etiam aliqui dicunt de eo, qui bestiam, v. g. canem merè ad se oblectandum aut ad ostendendum dominium, quod habet in bestias, excoriat, vel assat vivum, hìc enim est species inhumanæ crudelitatis.

§. 2. Accedit species sacrilegii, si fiat occisio 1016
vel gravis & injuriosa percussio personæ sacræ, aut si cum effusione sanguinis fiat in Ecclesia, in quâ, si fiat percussio laici sine fusione sanguinis, probabile est non fore sacrilegium, quia canon tantùm loquitur de illa percussione, quæ fit cum effusione sanguinis, & quidem enormi, ita ut non sufficiat aliquot guttas effluere, *Lug.*

*Stoz* n. 57. *Averſ.* q. 10. ſ. 11. *Tamb.* De Confeſſ. 2. c. 6. n. 4. attamen etiam probabiliter dicunt *Fagund.* & *Dicaſt.* d. 9. n. 660. non tantùm per illa, per quæ exſecratur aut polluitur Eccleſia, contrahi ſpecialem malitiam ſacrilegii, ſed etiam per alia, quæ ſpecialiter dedecent & notabiliter inhonorant locum ſacrum, utì eſſent publicæ pugnæ, percuſſiones hominum, contumelioſæ rixæ mulierum, inductio equorum velut in ſtabulum, exoneratio ventris & ſimilia, ſicuti enim ejuſmodi actiones haberent ſpecialem indignitatem, ſi fierent in conclavi Regis, ita ſi fiant in loco ſacro, maximè ſi expoſitum ſit vel ibi aſſervetur Venerabile.

1017 §. 3. Diverſæ ſpeciei eſt occidere vel percutere perſonam proximè junctam ſanguine; utì conſtat ex dictis à n. 1005.

1018 §. 4. Velle occidere diſtinguitur ſpecie à velle tantùm graviter vulnerare, quia ſunt contra diverſa jura, nempe ad vitam & ad integritatem corporis, *Stoz* n. 587. Similiter imprecari mala diverſi generis, utì ſunt mala in fortunis, in honore, in corpore, in anima, ſunt peccata ſpecie diſtincta, utì ſpecie diſtinguerentur damnificationes, quia eſſent læſiones diverſi juris vel boni, *Oviedo* De pecc. controv. 5. n. 29. Si tamen aliquis imprecatus ſit alicui ſemel, ut frangat collum, ſemel ut diabolus illum auferat, ſemel ut eſſet damnatus &c. ordinariè ſatisfaciet dicendo, ter imprecatus ſum alicui grave malum, quia talis imprecans ordinariè non diſtinguit inter iſta mala, ſed ideo imprecatur, quia in genere malum eſt.

1019 §. 5. Si odium ſiſtat in mero deſiderio ineficace ſine voluntate inferendi malum, quod tantùm

tantùm quasi favetur, erunt unius speciei desiderare proximo paupertatem, infamiam, mortem, & satisfiet dicendo, ter desideravi proximo grave malum aut gavisus sum de malo gravi proximi, quia cùm sistatur in voluntate inefficaci, nec lædatur aut optetur lædi jus particulare, erit tantùm contra charitatem in genere, quâ non debemus velle malum proximo, *Lugo* d. 16. n. 259. *Dicast.* n. 498. & alii contra *Molin. Suar. Sylv. Côn.* & alios. 1020

§. 6. *Tamb.* n. 11. putat ejusdem speciei esse delectari de magno malo proximi & habere displicentiam de magno bono illius, quia unum in alio imbibitur, hinc dicit sufficere, si dicat, bis circa bona vel mala proximi graviter læsi charitatem per malam voluntatem: sed faciliùs & clariùs erit, si dicat, semel gavisus sum de malo & semel dolui de bono magno proximi.

*Q. 145. Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra sextum & nonum præceptum.* R. Quàm necessarium est de his multa speculativè scire, tam periculosum est discere vel docere: do quantùm sufficiet, ut opus non sit in aliis libris majores sordes scrutari. Et quia opus est scire, quid voces significent Lector, inquit *Gerson* p. 2. Num. 33. lit. A. *obscœnitatem materiæ ac verborum excusatam habeat: Præparet se*, inquit idem Num. 38. litt. A. *audire castè id, quod pro castitatis cognitione necessitas cogit aperire*: omnia mũda mũdis. 1022

§. 1. Interna tantùm delectatio sive complacentia in objecto turpi, dicitur morosa delectatio turpis. Voluntas faciendi aliquid turpe, dicitur desiderium turpe. Excitatio partium pudendarum aut spirituum genitalium circa illas,

illas, dicitur motus, commotio, delectatio venerea. Tactus, oscula, aspectus, lectio, locutio de rebus turpibus, si fiant propter delectationem veneream, etiam dicuntur venerea. Effusio seminis extra vas naturale dicitur pollutio sive mollities. Effusio seminis necdum perfecti dicitur destillatio. Si coëat solutus cum soluta, est fornicatio, si cum alieno conjuge, est adulterium: si cum persona sacra, est sacrilegium; si cum consanguinea vel affine in gradu dirimente Matrimonium, est incestus; si cum virgine invita, est stuprum; si cum virgine vi abducta, est raptus. Si coëat mas cum mare, vel fœmina cum fœmina, est sodomia perfecta; si mas cum fœmina in vase non naturali, est sodomia imperfecta; si homo cum bestia, est bestialitas, ad quam reducitur coitus hominis cum dæmone humanam formam assumente: singula autem ista peccata sunt de se mortalia & ab invicem specie distinguuntur, uti jam magis declarabo.

1023 §. 2. Delectationes morosæ turpes tum distinguuntur specie, quando versantur circa objecta turpia notabiliter diversa in genere moris, quia specificantur ab objectis, secundùm dicta l. 5. n. 128. Hinc si delectatio sumatur de aliqua etiam circumstantia ùt tali, contrahit ejus malitiam, v. g. si quis purè morosè delectetur de copula cum sorore, in quantùm soror est, contrahit malitiam incestûs, nec satisfacit dicendo, delectatus sum copulâ cum aliqua, sed addere debet cum sorore, uti communissimè omnes cum *Arr.* De pecc. d. 47. nu. 23. & *Rhod.* De pec. d. 1. q. 3. s. 3. §. 4. Ratio est, quia singulæ illæ delectationes formaliter respiciunt delectabilitates diversas, à quibus specificantur.

Rarò

Rarò tamen fit, ut ejusmodi circumstantiæ refundant distinctam malitiam, cùm specialem delectabilitatem vix habeant.

§. 3. Si delectatio morosa materialiter tantùm feratur in talem circumstantiam tenentem se ex parte objecti, quæ ideo non sit expressè vel directè volita, v. g. si quis delectetur copulâ, cogitando ac si peccaret, aut quomodo peccaverit cum Religiosa aut cum conjugata, ita tamen ut nec desideret copulam, nec delectetur illâ prout est cum Religiosa aut conjugata, multi adhuc cum *Sanch.* in Decal. l. 1 c. 2. n. 12. *Lessio* l. 4 c. 3. n. 123. *Lug.* d. 16. à n. 363. *Bonac.* De Matr. q. 5. p. 8. n. 19. dicunt refundi malitiam specialem illius circumstantiæ, quæ est persona sacra vel conjugata, ideoque hoc esse exprimendum in confessione, uti sententias referunt *Arr.* à n. 25. & *Dian.* p. 1. t. 7. R. 48. sed sententia negans est practicè probabilis, quam defendunt *Angel. Pesant. Vasq. Sa, Regin. Fill. Bonac. Côn. Salas, Sayr. Hurt. Castrop.* t. 2. d. 2. p. 10. §. 4. *Tann.* De pecc. d. 4. q. 8. à n. 148. *Rhodes* suprà *Aversa* q. 10. s. 9. §. *Quia. Oviedo* De pecc. contr. 4. n. 57. *Dicast.* d 9. à n. 11. *Carden.* in 1. crisi d. 44. n. 47. *Herinx* De pec. d. 7. n. 33. *Moya* t. 3. d. 3. n. 70. *Sporer* nu. 405. & valde probabilem fatetur *Less.* cum *Bonac.* Ratio est, quia cùm delectatio sit actus inefficax, non tendit in tale objectum prout à parte rei poneretur, sed tendit in illud, prout est delectans, circumstantia autem Religiosi statûs vel conjugii alieni non habet delectabilitatem veneream, adeoque voluntas affectivè præscindit à tali circumstantia, id est, affectus voluntatis non movetur à tali circumstantia, imò per illam potiùs avertere- 1024.

tur à copula, unde universaliter loquendo circa peccata, quæ malitiam habent ratione delectationis, quando quis nudè delectatur aliquo objecto, contrahit malitiam illius tantùm circumstantiæ, quâ affectus movetur. *Nec obstat*, quòd ille, qui delectaretur copulâ cum aliqua in cœlo Sancta, contraheret malitiam irreligionis, *nam* disparitas est, quòd religio videatur postulare etiam mentalem reverentiam erga Sanctos in cœlo, non item erga viatores.

1025. *Obji.* Si ideo non contrahatur malitia adulterii, quia non delectatur formaliter de adulterio seu injuria conjugis, ergo qui delectatur voluptate, quæ est in fornicatione, non ideo contrahet malitiam fornicationis, quia delectatur voluptate, quæ abstrahit à licita & illicita, cùm ipse posset esse in statu Matrimonii, & tum ipsi licita esset voluptas copulæ. R. n. conseq. disparitas est, quia voluptas illa, cùm de se excitet spiritus generationi deservientes, semper opponitur castitati, nisi in subjecto illam quærente præsupponatur jus ad actum generationis, quale jus nemo habet, nisi actu sit conjugatus: unde quamvis tale objectum, nempe copula secundùm se, sit indifferens, tamen cùm semper objiciatur homini vel soluto vel conjugato, nunquam exercitè est indifferens, sed vel est repugnans vel non repugnans isti subjecto.

1026. §. 4. Si quis tantùm morosè delectârit se, semel pollutione, semel fornicatione, semel sodomiâ ùt talibus, non satisfacit dicendo, ter delectavi me in objecto turpi, sed addere debet species infimas, semel in pollutione, semel in fornicatione &c. quia hi actus formaliter respiciunt

iunt objecta & delectabilitates diversas, ergo abillis desumitur diversa species moralis, & in hoc conveniunt omnes. Major difficultas est, si delectârit se illis objectis, non ùt talibus, sed secundùm se, & in hoc casu adhuc has delectationes distingui specie, ideoque esse in confessione explicandas, dicunt cum communi & probabiliore *Vasq.* De pecc. d. 112. n. 5. *Less.* n. 122. *Castrop.* n. 4. *Ovied.* n. 54. *Dicast.* n. 624. *Carden.* n. 36. *Herinx* n. 32. quia hæ delectationes adhuc pro objecto habent delectabilitates intramateriam luxuriæ specie morali diversas, non aliter ac delectationes de furto & vindicta intrà materiam justitiæ, sive dicas illas delectabilitates esse objecta formalia sive materialia tantùm, ergo specie distinguuntur. Rationem aliam dat *Dicast.*, quia delectatio de pollutione est inchoata pollutio, de fornicatione est inchoata fornicatio, de sodomia est inchoata sodomia, ergo specie distinguuntur, *quidquid dicant aliqui recentiores*, inquit, *non digni, qui audiantur*. Econtrà tamen *Berteau* in Regula prudentis & pii Confessarii p. 1. t. 2. c. 7. fatetur aliquos dicere morosas delectationes non distingui specie. Et idem docuerat Recentior apud *Moyam* t. 3. d. 3. n. 81., item Auctor opusc. 64. apud *S. Th.*, quem secutus fuerat *Sa*, sed correctus est à Magistro S. Palatii, hinc sententiam illam vocat omnino improbabilem *Moya* n. 83. His non obstantibus *Berteau* p. 2. De sexto præc. Decal. pu. 1., docet probabilius esse delectationes morosas esse ejusdem speciei, quia sunt actus voluntatis inefficaces, qui desumunt malitiam, non ab objecto, sed à motivo, quod est affectio carnalis procedens à vitio luxuriæ & oppo-

oppoſito ſoli virtuti caſtitatis. Docet etiam *Arr.* n. 28., quem ſequuntur aliqui recentiores, delectationes ejuſmodi venereas ſaltem ſenſitivas non diſtingui ſpecie, quia omnes inde ſumunt malitiam, quòd ferantur in delectabilitatem veneream ortam ex motu ſeminis vel mollium ſpirituum valde proportionatorum organo tactûs, ergo cùm hæc delectabilitas ſit eadem, ſive proveniat ex hoc ſive ex illo objecto cogitato, hæc objecta non videntur moraliter differre in eſſe objecti in ordine ad diverſificandas illas delectationes, ſed ſicuti voluntas delectando ſe in copula cum Religiosâ communiter præſcindit affectivè à ſtatu perſonæ Religioſæ, quia affectus ſpecialiter non movetur per illam circumſtantiam religioſi ſtatûs, ita voluntas conſentiens in delectationem ſenſitivam ortam ex cogitatione, v. g. de pollutione, præſcindit affectivè à tali emiſſione ſeminis, quia tantùm movetur illo objecto ùt cauſativo commotionum turpium, quæ eodem modo delectant, etiamſi cauſentur ex cogitatione de fornicatione vel ſodomia. *Nec obſtat*, quòd delectationes turpes merè ſpirituales circa illa objecta ſpecie differant, nam hæ videntur tendere in illa objecta ùt talia, cùm aliter non habeant, per quod delectent, non ita ſenſitivæ, quæ omnes delectant per ſimiles commotiones venereas. Et ſententia ſic explicata videtur eſſe aliquo modo probabilis.

1027. §. 5. Ex circumſtantia voti tenentis ſe ex parte ſubjecti peccantis refunditur in delectationem etiam moroſam ſpecialis malitia contra fidem Deo datam, quia ſpecialiter ſe obligavit ad vitandas etiam internas illas delectationes,

tiones, vovit enim castitatem, non tantùm corporis sed etiam mentis, hinc si religiosus morosè delectatus sit objecto turpi, tenetur suum statum aperire. E contrà circumstantia consanguinitatis, quamvis etiam partialiter se teneat ex parte subjecti, non refundit malitiam incestûs in delectationem morosam, quia secundùm dicta n. 1024. voluntas præscindit affectivè à consanguinitate, neque ex alio capite colligi potest, quòd talis delectatio simplex sit specialiter contra reverentiam conjunctis debitam, *Less. Oviedo*, & alii.

§. 6. Qui habuit turpem delectationem in- 1028.
ternam, cum qua est orta commotio spirituum genitalium vel delectatio sensitiva, dummodo abfuerit tactus & periculum pollutionis, satisfacit confitendo delectationem internam, quia cùm illa commotio spirituum & delectatio externa sensûs semper comitentur, satis intelliguntur explicatâ delectatione internâ. E contrà si sequatur tactus, pollutio aut alius actus externus, hoc debet exprimi, quia cùm hæc possint non sequi, non intelliguntnr explicato solo actu interno, *Carden.* n. 118.

§. 7. Qui commotionem spirituum assumit 1029.
tanquam medium ad pollutionem habendam, si pollutio non sequatur, tenetur exprimere in confessione se per commotiones intendisse pollutionem, quia tales commotiones ab illo fine habent novam malitiam, quam ex se non habent, cùm per se non sint in specie pollutionis sed potiùs fornicationis, in quantùm ex natura sua ordinantur ad copulam & non ad pollutionem. Similiter qui tales commotiones virtualiter refert ad pollutionem, tenetur hoc in con-

confessione addere, tum autem censetur virtualiter eò referre, si eas intendat habens pro motivo delectabilitatem pollutionis, aut in eis prævidens periculum pollutionis.

1030. §. 8. Qui sine ullo desiderio personam venereè aspicit, non tenetur dicere, qualis persona fuerit : si tamen invitam vel etiam volentem tangeret, vel oscularetur, conditio personæ esset declarádaí, quia actio consummaretur externè contra jus vel conditionem talis personæ.

1031. §. 9. Qui sine desiderio venereè attigit puellam, secundùm *Dianam* p. 3. t. 4. R. 225. satisfacit dicendo se toties attigisse turpiter, nihil dicendo de partibus, in quibus attigit : Alii probabiliter dicunt exprimendum, si partem turpem attigerit.

1032. §. 10. Desideria turpiter aspiciendi, tangendi, osculandi, fornicandi, distinguuntur specie non tantùm à morosa delectatione de illis objectis, sed etiam singula ab invicem, quia tendunt in ista objecta prout à parte rei ponerentur, si autem à parte rei ponerentur, distinguerentur specie, utì patet : hinc qui semel delectatus est cogitatione de copula, & semel desideravit copulam, non satisfacit dicendo, bis habui turpem cogitationem, sed dicere debet, semel delectatus sum copulâ, & semel desideravi. Similiter qui semel desideravit aspicere, semel oscular, semel tangere, semel fornicari, non satisfacit dicendo quater desideravi aliquid turpe facere sed tenetur ea objecta exprimere, etiamsi desiderâsset tantùm sub conditione, si auderet aut si liceret, tum quia talis conditio non removet intrinsecam malitiam objectivâ, tum etiam quia licèt consensus sit conditionatus respectu obje-

objecti, in se tamen est absolutus respectu delectationis per cognitionem præsentis circa tale objectum. Neque tum opus est addere, an actus circa objectum fuerit absolutus, an conditionatus. *Aversa* q. 10. s. 10. §. *secundò*.

§. 11. Si quis concupierit mulierem, non re- 1033
flectens ad conditionem illius, an nempe esset libera, an conjugata, an voto astricta, an consanguinea, si nullam habuit advertentiam ad has circumstantias personæ, satisfacit dicendo, desideravi fornicari cum una: Si dubitet, an adverterit saltem confusè, videndum est, qualis fuerit antecedens comparatio animi, nam si solitus est abhorrere ab adulterio, sacrilegio, incestu, præsumi potest, quòd fuerit desiderium simplicis fornicationis, aut saltem non in illa specie, à qua solebat abhorrere. Si solebat sine discrimine concupiscere quaslibet, censeri debet reus omnium, quia aliquo modo advertit, & animus erat ad omnia comparatus, unde accusare se debet de tali desiderio & de solita animi comparatione ad quaslibet personas. Quòd si persona erat talis, ut facilè dignosceretur esse non conjugata, non est præsumendum de adulterio: si satis apparebat non esse voto adstricta, non est præsumendum de sacrilegio, quamvis enim hæc aliquando fallant, tamen communiter solet tantùm causari concupiscentia conveniens tali personæ, quam refert species seu habitus exterior.

§. 12. Certum est omnem deliberatam effu- 1034
sionem seminis, quantumcunque parva sit, esse pollutionem & peccatum mortale, *Dicast. Gob.* t. 10. n. 590. Quòd si pollutio orta fuerit ex vehementi delectatione interna, confitens pol-

pollutionem non tenetur exprimere actum internum, quia hìc satìs intelligitur, neque transfert pollutionem ad aliam speciem. Si tamen pollutio orta esset ex vehementi delectatione de actu sodomitico vel fornicario, docet *Carden.* debere addi inde ortam esse, quia respiceret novum motivum notabiliter diversum. Addit *Sporer* in Tyroc. Sacram. p. 4. n. 329. qui se ipsum polluens imaginatur sibi aliam personam carnaliter dilectam, etiam morosè solùm se delectando in imaginatione ipsius quasi peccantis secum, attamen absque desiderio, teneri hoc explicare in Confessione.

1035 §. 13. Non est opus in Confessione dicere, quo instrumento vel quâ re mediante procurata sit pollutio: Quod verum est, quamvìs fieret cum statua vel fœmina mortua, quia maneret sola mollities, nisi simul esset affectus ad personam vivam, tum enim simul esset desiderium fornicandi. E contrà si pollutio procuretur per alterum hominem liberè cooperantem, hoc addi debet, tum propter cooperationem ad alterius peccatum, tum quia communiter fiet ex affectu ad talem hominem, ideoque erit inchoata copula fornicaria, sodomitica, adulterina vel incestuosa, prout erit status & conditio personæ. Et hinc etiam quando pollutio procuratur mediante bestiâ, censeri debet inchoata bestialitas: quòd si nullus fuisset affectus ad copulam cum tali persona vel bestia, *Caj.* putat non esse opus in Confessione addere de hoc vel isto modo causatæ pollutionis, quia videtur manere sola mollities, quod *Dicast.* & *Dian.* p. 7. t. 12. R. 15. dicunt esse probabile, attamen cum *Sporer* n. 331. concludunt probabilius esse,

pro

pro praxi, quòd sit addendum, quia pollutio sic procurata de se videtur esse inchoatio copulæ cum tali persona vel bestia, quod consequenter dicunt iidem aurhores de procuratione pollutionis circa corpus hominis dormientis vel non utentis ratione, quamvìs nulla intenderetur copula.

§. 14. Qui causavit pollutionem in altero, 1036
tenetur addere, an hic alter fuerit persona conjugata, sacra, sibi cognata, quia tum contraxit malitiam adulterii, sacrilegii, incestûs, utì dictum est n. 987.

§. 15. Qui habet votum Castitatis & causat 1037
in alio pollutionem, tenetur explicare suum votum: quod certum est, si causet tactu vel aliâ simili actione externâ de se repugnante Castitati; si autem causet tantùm consilio vel mandato, putant *Sanch. Caram. Dicast.* d. 9. n. 326. non esse opus aliquid dicere de voto; sed oppositum tenendum est, secundùm dicenda n. 1064.

§. 16. Quæ specialiter, notabiliter repu- 1038
gnant honestati naturæ rationalis, utì sunt pollutionem facere in os alterius, (quod peccatum apud *Dianam* p. 6. t. 12. R. 7. vocatur irruminatio) osculari partes pudendas ejusdem vel diversi sexûs & similia, habent specialem malitiam in Confessione explicandam, quia supra modum indecentia sunt & dehonestant ac deprimunt dignitatem naturæ rationalis infra conditionem etiam bestialem.

§. 17. Qui commisit fornicationem, non 1039
satisfacit dicendo se cum soluta commisisse grave peccatum contra Castitatem, utì constat ex hac prop. 25. ab *Alex. VII.* damnata, *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis*

*præcepto dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra Castitatem.* Ratio autem est, quia fornicatio non tantùm est intrinsecè mala, ut ì undecim optimis argumentis demonstrat *Cardenas* in 2. crisi. diss. 29. c. 2. & seqq., sed etiam distinguitur specie ab omni alio peccato contra Castitatem, ut ì fusè probat *Mendo* diss. 5. q. 11. Potestque etiam videri *Du Bois* ad prop. 25. ab *Alex. VI.* damnatam. E contrà tamen homo liber fornicatus cum persona libera, satisfacit dicendo se semel habuisse copulam illicitam, non exprimendo personam, cum qua, hoc ipso enim quòd non exprimat speciem majoris malitiæ, intelligitur saltem species minoris. Similiter qui dicit se fornicatum, non tenetur addere tactus aut commotiones spirituum genitalium, quia cùm hæc ordinentur ad copulam, hac explicatâ intelliguntur; non autem pollutio seu profusio seminis extra vas muliebre, si fortè contigerit, cùm illa non ordinetur ad copulam, sed potiùs sit contra finem illius, cùm impediat generationem.

1040 §. 18. Qui fornicatus est cum tribus diversis, vel ter cum una, satisfacit dicendo, se ter fornicatum, nec tenetur dicere, an fuerit una, an plures, an fuerint meretrices, an aliæ, dummodo non sit cooperatus ad impediendam generationem, *Bonac. Tamb.* in Decal. l. 7 c. 1., ubi notat, si Confessarius interroget, an cum una, an cum pluribus, debere aperiri, quia posset esse occasio proxima relabendi, quando sæpiùs cum una feciſſet.

1041 §. 19. Si Confessarius pœnitentem suam sollicitaverit in Sacramento vel paulò post, aut quia ex Confessione advertit facilem ad pec-

can

randum, (etiam extra luxuriam, inquit *Dicast.* nu. 601.,) aut ideo cœpit in eum finem agere familiariùs, quia erat Confessarius, aut si munus Confessarii assumpserit in eum finem, ut occasionem habeat ad talia, additur species sacrilegii in Confessione explicanda, quia hoc cedit in gravem irreverentiam Sacramenti, *Dicast.* d. 9. dub. 13. Si autem nihil horum adfuerit, & Sacerdos fornicetur cum filia Confessionis, *S. Th. Sot. Sanch.* & alii 15. graviſſimi Authores, quos refert & sequitur *Aversa* q. 16. s. 14. adhuc dicunt contrahi novam speciem malitiæ, quia Jus Canonicum vocat quoddam adulterium vel incestum, & re ipsâ videtur esse species irreverentiæ & sacrilegii in Sacramentum: E contrà esse simplicem fornicationem, ac posse taceri, quòd fuerit filia Confessionis, docent *Ledes. Vasq. Sa, Bonac. Fill. J. Sanch. Pontius*, G. *Hurt. Ochag. Dicast. Tamb. Dian.* p. 1. t. 7. R. 12. *Lugo* d. 16. à n. 351. & alii, quia ex Confessione nulla oritur cognatio spiritualis, uti certum est, nec apparet, cur censeatur fieri irreverentia Sacramento jam præterito, cùm peccatum non habeat respectum ad illud. Utraque sententia est probabilis, prima est conformior Juri Canonico, sed secunda videtur ex ratione probabilior.

§. 20. An prima fornicatio vel pollutio tol- 1042
lens virginitatem distinguatur specie ab alia, disputant Authores: in puella distingui negant multi cum *Dian.* R. 11. In masculo autem etiam plerique negant cum *Sanch. Con. Tamb.* suprà, unde *Lugo* n. 218. *Bonæspei* de act. hum. d. 5. nu. 17. *Stoz* l. 1. p. 1. n. 50. *Ills.* n. 84. absolutè dicunt in nemine distingui, nisi per violentiam,

dolum, aut fraudem defloraretur virgo, quia ubique est contra Castitatem tantùm, uti omne etiam primum furtum est tantùm contra justitiam. E contrà *S. Tho. Bonac.* & alii dicunt distingui specie, ideoque addi debere in Confessione, quia prima specialiter opponitur virginitati, quæ videtur specialem habere honestatem à Castitate in communi distinctam, ideoque specialem in cœlo obtinebit corollam: hinc *Fill.* t. 30. nu. 72. & 74. tenet tanquam probabilius te teneri in Confessione exprimere, si tu vel illa, cum qua peccâsti, fuerit virgo. *Mendo* d. 5. à n. 70. utramque sententiam bene discutit, & quamvis inclinet in affirmativam, meritò dicit utramque esse practicè tutam, possuntque videri etiam *Dicast.* à n. 427. & *Lugo* suprà, qui sententias circa hoc plures earumque rationes accuratè refert.

1043 §. 21. *Henriq. Fill.* & alii, in quorum sententiam inclinat *Mendo* d. 5. q. 8. rem utrimque fusè discutiens, putant, si virgo sub potestate parentum constituta defloretur, etiamsi consentiat, fore speciem stupri, quia fit specialis injuria in parentes, qui læduntur in honore & bonis, eò quòd cogantur augere dotem filiæ vel semper innuptam alere: E contrà *Sanch.* De Matr. l. 7. d. 14. plures referens dicit esse tantùm simplicem fornicationem, negatque fieri cuiquam injuriam, nam virgo est in tantùm domina sui corporis, & violator ipsius non nisi indirectè & per accidens lædit honorem vel causat damnum parentibus.

1044 §. 22. *Henriq. Sanch. Less. Lugo* n. 336. *Aversa* q. 10. s. 9. dicunt fornicationem aut sodomiam hominis baptizati cum non baptizato differre

specie

specie ab illis, quæ fiunt inter duos baptizatos, tum quia videtur fieri irreverentia Baptismo, cujus character semper manet, tum etiam quia sicuti prohibito Matrimonio inter consanguineos, censetur etiam ex motivo honestatis erga conjunctos copula inter illos esse specialiter prohibita, ita etiam cùm prohibeatur Matrimonium hominis baptizati cum non baptizato, censeri debet ex eodem motivo reverentiæ erga Religionem Christianam prohibita copula inter tales: Nihilominus sententiam oppositam absolutè probabilem esse asserunt *Diana* p. 3. t. 4. R. 138. *Tamb. Stoz* suprà, nam licèt Ecclesia in reverentiam Baptismi prohibeat Matrimonium illorum, non ideo specialiter prohibet copulam, utì nec cohabitationem aut collocutionem. *Nec refert*, quòd contra illud peccatum statuantur gravissimæ pœnæ, *nam* inde tantùm potest argui esse majorem malitiam vel indecentiam, sed non ideo novam peccati speciem; sicuti in homicidium proditorium, quod ex insidiis & cum fraude fit, statuuntur graviores pœnæ, neque tamen ideo distinguitur specie à non proditorio. Et hanc quoque sententiam docent plures apud *Dianam* & *Mendo* q. 26. qui meritò tenent primam, refertque *Mendo* rationes pro utraque.

§. 23. Si quis impotens, frigidus vel Eunuchus 1045
tentet fornicari, duplex committit peccatum, alterum fornicationis attentatæ, alterum contra naturam, quia non potens obtinere finem copulæ frustra provocat utrumque semen, *Henriq. Less. Dian. Lugo, Sanch.* l. 9. d. 19. num. 8. *Aversa* suprà, *Stoz* n. 53. contra *Fill.* Idem probabiliùs dicit *Dicast.* n. 374. de marito, qui non

posset verum semen effundere, quidquid contradicat *Sanch.*, nam etiam videtur esse contra naturam, quia similiter nequit obtinere finem copulæ; neque hoc est per accidens, uti in homine sene, qui habet verum semen, sed hoc est per se ob defectum seminis per se ad generationem requisiti.

1046 §. 24. Multi cum *Bonac.* & *Sanch.* in Decal. l. 1. c. 6. n. 14. probabiliùs dicunt contra *Vasq. Lug.* nu. 142. & alios, quòd is, qui alterum sollicitat ad fornicandum, teneatur addere se fuisse sollicitatorem, quia additur nova species contra charitatem, eò quòd alterum inducat in ruinam spiritualem, secundùm dicta n. 984. Quòd si sollicita veris ad opus, quod tamen non fecisti, vel priùs fecisti diu post, omnes docent peccatum sollicitationis distingui ab opere & esse speciatim explicandum.

1047 §. 25. Stuprum specie differt à simplici fornicatione, quamvis enim eidem virtuti Castitatis opponantur, tamen cum stupro est conjuncta violentia, quæ simul est contra justitiam, non item cum simplici fornicatione. Putat quidem *J. Sanch.* d. 29. n. 7. stuprum illatum non virgini non mutare speciem, & pro ea sententia citat multos, sed rectè contradicunt S. *Tho.* & alii, manet enim oppositum justitiæ.

1048 §. 26. Raptus, cùm adjunctam habeat abductionem, specie differt à stupro: Quòd si puella rapta postea ex gravi timore invita consentiat in copulam, rapiens adhuc contrahit malitiam raptûs, & consequenter etiam rapta, in quantùm raptoris peccato cooperatur, secundùm communem doctrinam de scandalo & cooperatione, deberet enim potiùs mortem præ-

præeligere quàm sic cooperari, alioquin virgo occidenda, si non consentiret in fornicationem, posset consentire & dicere, potiùs me viola quàm occidas, quia violatio est minus peccatum quàm occisio, hoc autem nemo dicet, uti rectè *Dicast.* à n. 445. contra *Sanch.*

§. 27. Si abducatur sponsa de futuro, vel 1049
etiam de præsenti, & fiat ad finem ineundi Matrimonii, quamvis fortè repugnent parentes, non est raptus, quia non est abductio ad id, quod est illicitum, *Fill.* tr. 30. c. 6.

§. 28. Qui incipit & non absolvit copulam, 1050
debet id explicare, quia est fornicatio in affectu tantùm, & reipsa solùm tactus impudicus, unde satisfacit dicendo, volens fornicari feci turpem tactum. Quòd si præterea voluntariè dispergat semen, præter tactum erit pollutio, quam exprimere debebit in Confessione, *Sanch. Tamb.* in Decal. l. 7. c. 7 §. 2. Si quis autem seriò mutatâ voluntate & nolens peccare, se retrahat à copula, aut sentiens semen decisum nihilominùs verâ pœnitentiâ ductus non coëat sicque dispergatur semen, *Less. Sanch.* De Matr. l. 9. d. 19. n. 7. *Diana* p. 3. t. 4. R. 227. dicunt non peccare, quia tenetur non habere copulam nec continuare voluntatem coëundi, & quod semen dispergatur, dum se retrahit, per accidens est; si enim peccaret sic se retrahendo, ergo non peccaret complendo fornicationem, quod nemo dicet: Aliud est de conjuge, qui dum sentit semen decisum, tenetur infundere in vas naturale, id enim ipsi licitum est, ideoque tenetur incœptam copulam perficere, ne semen perdat.

§. 29. Qui habet delectationem internam, 1051

v. g. de sodomia, & ideo fornicatur ; debet se accusare de delectatione ex sodomia, quia cùm fornicatio fiat ex illo motivo, participat illius malitiam, *Vasq. Salas, Castrop. Dicast.* num. 624. Si tamen ad fornicationem moveretur ex sola delectabilitate copulæ cum conjugata vel consanguinea, non teneretur hoc addere, quia injuria conjugis vel violatio consanguinitatis non movet ad delectationem veneream, ideoque non continet motivum delectationis venereæ, *Carden.* supra, & colligitur ex dictis num. 1024.

1052 §. 30. Si conjux tantùm delectetur de copula cum aliena, aut habeat solas delectationes morosas, *Hurt. Arr. Verric. Boss. Dian.* p. 9. t. 6. R. 4. negant teneri addere se esse in conjugio, quia quando sistitur in delectatione, non videtur lædi jus alterius conjugis: E contrà *Vasq. Bonac. Sal. Sanch. Castrop. Lugo, Mendo* d. 5. q. 13. *Dicast.* n. 634. *Ills.* tr. 4. d. 1. n. ult. probabiliùs dicunt debere addi, tum quia fides Matrimonii exigit, ut conjux nequidem mentem sive cogitationem simplicem ponat in alia, mutuò enim sibi tradunt non tantùm corpora, sed etiam animos: tum quia saltem motus venerei, quos causat interna delectatio, sunt contra jus alterius conjugis. Quòd si conjux delectetur copulâ cum soluta & inde commotus habeat actū conjugalem, non satisfacit dicendo se habuisse quandam delectationem veneream internam, sed dicere debet se ex illo motivo habuisse actum conjugalem, hic enim infectus est malitiâ illius motivi, & ab eo participat speciem fornicationis: E contrà tamen si delectatio interna fuisset de copula cum aliena conjugata,

non

non esset opus exprimere circumstantiam conjugatæ, quia hæc injuria facta conjugi per se non movet, *Carden.* Addit *Sanch.* De Matr. l. 9. d. 17. n. 6. si conjux in actu conjugali cum sua se morosè delectet in alia velut præsente, etiam addi speciem adulterii. Similiter qui accedit ad suam uxorem putans se accedere ad alienam, committit adulterium, non quidem realiter, sed objectivè, *Burgh.* cent. 1. casu 70.

§. 31. Qui peccat cum conjugata, etiam consentiente marito, committit adulterium, ùt constat ex hac 50. prop. ab *Inn. XI.* damnata: *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, adeoque sufficit dicere se esse fornicatum.* Ratio dabitur n. 1054. 1053.

§. 32. Si conjux invito conjuge peccet cum altero, peccat contra fidem Matrimonii & contra justitiam, cùm sit violatio obligationis ortæ ex contractu: præter hoc docent *Less. Lugo* De just. d. 8. s. 1. n. 6. & alii etiam peccari alio peccato injustitiæ, in quantùm violatur jus, quod conjux habet in corpus conjugis, hinc si conjux peccârit conjuge consentiente, putant hi Authores debere hoc addi, sed *Carden.* in 2. crisi d. 30. c. 3. a. 2. probabiliùs docet non committi duas species injustitiæ, adeoque non esse opus addere, an alter conjux consenserit necne, quia illa species peccati, per quam uxor peccat contra fidem Matrimonii, est ipsamet injuria mariti, quia obligatio uxoris non est præcisè ad non violandam fidem statûs, cùm non contraxerit cum statu, sed ad non violandam fidem datam marito, prout subest tali statui, neque juri illi potest maritus efficaciter cedere, sicuti Clericus non potest efficaciter cedere 1054.

juri, ne percutiatur aut ne trahatur ad laicum tribunal.

1055. §. 33. Si conjugatus peccet cum conjugata, est duplex adulterium, unum, quo peccat in propria persona, violando jus suæ conjugis, alterum quo cum alia cooperatur, & simul alterius mariti jus violat, hinc status utriusque debet exprimi, *Azor*, *Less*. l. 4. c. 4. n. 77. *Fill*. tr. 30. n. 89. *Bonac*. De Matr. q. 4. p. 15. n 5. *Lugo* d. 17. n. 258. *Dicast*. d. 9. à n. 270. *Steph*. tr. 1. d. 5. n. 31. contra *Ferrant*. *Burgh*. cent. 1. casu 70. & alios apud *Mendo* d. 5. q. 22.

1056. §. 34. Si conjux cum soluta exerceat sodomiam, oscula, tactus, aut si committat bestialitatem, tenetur explicare se esse conjugem, quia per illa fit injuria conjugi; imò si vir cum propria uxore exerceat sodomiam, uterque peccat duplici peccato adulterii, quia neuter servat alteri suum corpus castè, quod spectat ad fidem Matrimonii, neque debet alteruter dicere se exercuisse sodomiam cum conjugata persona, sed debet dicere cum suo viro vel cum uxore sua, quia dicendo cum conjugata, significaret se alteri conjugi feciſſe injuriam, quod verum non est, quando cum suo vel sua fecit, *Sanch*. d. 18. n. 4. & 5.

1057. §. 35. Quamvis Matrimonium inter fideles sit elevatum ad rationem Sacramenti, quod Sacramentum exigit servari fidem conjugi, non ideo omne adulterium est sacrilegium, uti dicetur n. 1120.

1058. §. 36. Si sponsus vel sponsa peccet contra fidem in sponsalibus datam, *Covarr*. *Megala*, *Diana* p. 1. t. 7. R. 5. & p. 3. t. 4. R. 67. *Pontius* De Matr. l. 12. c. 6. n. 8. *Bonæspei* De pecc. d. 5. n. 25. *Ill*. n. 85.

n.85.& alii probabiliter dicunt non mutari speciem, nec opus esse id exprimere in confessione, quia per sponsalia necdum traditur jus in corpus, ergo non peccatur contra justitiam; & sicuti qui vovit se ingressurum Religionem, si fornicetur, non tenetur explicare votum, quia per promissionem Religionis nondum contraxit obligationem castitatis, ita & hìc. Oppositum tenent etiam probabiliter *Az. Mol. Rebell. Côn. Dicast.* n. 375. *Stoz* l.1.p.1.n.52. *Aversa* q.10.s.9.§. *Aliqui. Sporer* De Matr. n. 361. quia agitur contra jus, quod mutuò habent, ne, excepto ingressu in Religionem, agatur aliquid contra executionem factæ promissionis. Si tamen Titius Matrimonio Cajæ promisso, vel uxorem occidat vel cum Caja adulteretur, ac post mortem uxoris suæ pergat peccare cum Caja, non ideo accedet nova species, sed erit simplex fornicatio, quia quamvìs inter eos sit impedimentum dirimens, tamen hoc inductum est purè in pœnam delicti & non ex motivo diversæ honestatis vel virtutis, *Sanch. Less. Fill.* t.10.p.2.c.1.n.45. *Diana* p.3.t.4.R.140.

§. 37. Sacrilegium in hac materia contrahitur, vel ratione personæ sacræ, quæ peccat aut cum qua peccatur, vel ratione rei sacræ, quâ quis hìc abutitur, vel ratione temporis, actionis aut loci sacri, de quibus jam ordine dicam. 1059.

§. 38. Non est opus explicare, an persona sacra sit Sacerdos an tantùm subdiaconus, sed satìs est dicere, habere sacrum ordinem, utì cum communi *Aversa* §. *Rursus* contra *Fagund.* qui putat exprimi debere statum saltem Episcopi aut Generalis in aliquo Ordine. Neque 1060.

opus

opus est exprimere, an persona illa semel tantùm an pluries castitatem voverit, *Dicast.* d. 9. à n. 315. *Stoz* n. 50. Neque an votum sit simplex an solenne, utrumque enim virtutem religionis æquè respicit, *Sanch.* De Matr. l. 7. d. 27. n. 40. *Castrop.* De peccatis d. 3. p. 3. n. 11. *Aversa* suprà. *Dicast.* à n. 306. *Steph.* tr. 1. d. 5. num. 58. *Stoz* suprà.

1061. §. 39. Si quis in susceptione sacrorum Ordinum noluisset vovere castitatem, adhuc committeret sacrilegium peccans contra castitatem, quam Ecclesia tali præcipit ob reverentiam sacrorum ministeriorum, ita ut observatio castitatis ex vi præcepti Ecclesiæ ponatur in materia religionis, secundùm dicta l. 1. n. 626.

1062. §. 40. Si Sacerdos simul & Religiosus peccet contra castitatem, *Sot.* & alii putant esse duplex sacrilegium, ideoque teneri aperire, quòd sit & Sacerdos & Religiosus, sicuti qui die festo non audit Missam, quo etiam vovit audire, tenetur utramque circumstantiam addere, quamvis & præceptum Ecclesiæ & votum sint ex eodem motivo religionis. E contrà *Sanch.* n. 14. & 30. aliique dicunt esse unicum sacrilegium, ideoque posse alterutram circumstantiam tacere. *Amicus* d. 18. n. 26. sic distinguit, si obligatio castitatis annexa Ordinibus sit ex præcepto Ecclesiæ, tenet cum *Soto*, si autem sit ex voto, tenet cum *Sanch.*, sed sententia *Sanch.* videtur esse absolutè probabilior, quamvis enim obligatio illa esset ex præcepto Ecclesiæ, tamen esset ex eodem motivo religionis, ex quo fuisset votum, cujus defectum supplet illud præceptum, si ordinandus fortè vovere nolit.

1063. §. 41. Si obligatus voto castitatis peccet cum alio

allo obligato eodem voto, v. g. Religiosus cum Religiosa, debet explicari status utriusque, quia sunt duo species peccata peccare in propria persona contra votum suum, & cooperari cum alia persona ad frangendum votum suum, ita cum aliis *Lugo* d. 16. n. 258.

§. 42. Si quis voto castitatis obligatus alium voto non obligatum inducat ad peccatum contra castitatem, *Arr. Caram. Pelliz. Tamb. Sanch.* in Decal. l. 5. c. 6. n. 10. *Dicast.* n. 326. *Steph.* tr. 1. d. 5. n. 58. *Stoz* n. 53. negant peccare peccato sacrilegii contra votum, quia vovit tantùm castitatem propriam, nec intentio voventis videtur se extendere ad castitatem alienam. E contrà *Carden.* in 1. crisi d. 36. & alii putant peccare etiam peccato sacrilegii contra votum suum, ideoque teneri hoc manifestare in confessione, quia castitas prohibet, ut nihil directè contra se procuretur, secundùm dicta n. 984. ergo inducendo peccavit contra castitatem, quam vovit, ergo peccavit contra votum. Et consequenter etiam dicendum est, si ille, qui non habet votum castitatis, inducat habentem illud votum ad peccandum contra castitatem, istum inducentem peccare, non tantùm contra castitatem, sed etiam contra virtutem religionis, quæ eum obligabat, ut neminem induceret ad transgressionem sui. 1064.

§. 43. Si Novitius religiosi Ordinis peccet contra castitatem, non tenetur manifestare se fuisse Novitium, quia nulla species accedit, donec voverit, *Dian. Lugo, Aversa, Tamb. Dicast.* n. 325. *Stoz* suprà contra *Llamas*. 1065.

§. 44. Contrahitur sacrilegium, si quis re consecratâ vel benedictâ utatur ad turpitudines, 1066.

item

item si verba sacra ac præsertim sacræ scripturæ applicet rebus obscœnis.

1067. §. 45. Non est gravis irreverentia, si quis fornicetur habens sacras Reliquias ad collum pendentes, *Fill.* tr. 30. n. 129. *Lugo* num. 513. *Bonæspei* n. 129. Agnoscunt tamen in hoc irreverentiam *Lugo*, *Dicast.* n. 719. & alii. Veniale esse putant *Aversa* q. 10. s. 10. *Loth.* tr. 24. a. 3. & alii. Imò *Homob.* suadet eas deponi etiam in congressu maritali, sed in hoc meliùs contradicunt alii, quia hic congressus nihil mali continet, sed potest esse actus virtutis. Hoc rectè dicunt *Lugo* n. 513. & *Dicast.* suprà, fore mortale, si quis portans Eucharistiam exerceat actum venereum.

1068. §. 46. Circumstantia temporis sacri, v.g. quòd carnaliter pecces die Veneris sancto vel die communionis, secundùm dicta n. 963. non addit speciem sacrilegii, *Lugo* n. 525. *Dian.* p. 1. t. 6. R. 32. Foret tamen irreverentia mortalis etiam in confessione explicanda, si quis die Veneris sancto exhiberet turpes comœdias, *Lugo* n. 524. qui idem dicit cum *Aversa* s. 11. & *Bonæspei* n. 133., si quis statim post lectam Missam vel post sumptam Communionem iret ad fornicandum.

1069. §. 47. *Sylvius* & alii affirmant, *Dian.* p. 6. t. 7. R. 39. & alii negant contrahi speciem sacrilegii, si quis concupiscat mulierem sub oratione, v. g. sub recitatione Horarum, sed de hoc videri possunt dicta l. 4. n. 1348., nam probabilius est non esse saltem mortale in ratione sacrilegii. Dicunt tamen multi fore sacrilegium mortale, si concupiscat, dum celebrat, dum communicat, dum adhuc apud se habet sacras species,

dum

dum fert vel distribuit Eucharistiam, uti habet *Lugo* d. 16. n. 513.; aut etiam si statim post Communionem vel Missam lectam, uti habet *Sporer* n. 404. De omnibus tamen non audet absolutè asserere *Tamb.*, sed dicit advertendum esse, in quibus casibus secundùm judicium prudentium gravis & quidem peculiaris irreverentia censeatur inferri Christo.

§. 48. Si pollutio fiat in templo & sit occulta, *Vasq. B. Pontius, M. Perez, Casp. Caram. Dian.* p. 7. t. 11. *R.* 31. *Burgh.* cent. 3. casu 58. & alii negant esse sacrilegium, quia malitia sacrilegii ratione loci non videtur contrahi nisi propter infamationem & violationem loci sacri, quæ non causatur, si pollutio sit occulta. E contra *Suar. Sanch. Bonac. Lugo, Dicast.* d. 9. n. 651. *Bonæspei* d. 5. n 91. *Steph.* n. 56. *Mendo* d. 5. n. 49. aliique plures apud *Dian.* p. 1. t. 7. R. 26. probabiliùs dicunt esse sacrilegium & in confessione addendum, quia si publicaretur, templum esset pollutum, ergo signum est, quòd ab initio factum sit aliquid contra reverentiam loci sacri, ideo enim Ecclesia post publicationem prohibet ibi legi Missas, quia locus ille dehonoratus est. Et quod dictum est de pollutione, dicunt Authores secundæ sententiæ contra Authores primæ etiam de copula illicita, quamvis occulta, in loco sacro commissa. Putat autem *Zerol.* per locum sacrum hìc intelligi etiam sacristiam, sed contradicunt *Azor* & *Diana* p. 3. t. 4. R. 166. quod magìs valet de campanili, est enim minùs sacrum: imò nec intelligitur oratorium privatum sine Episcopi auctoritate erectum, *Illsf.* n. 102. 1070.

§. 49. Copula conjugalis in loco sacro facta, secun- 1071.

secundùm *Caj. Palud. Tolet.* & alios est sacrilega, quia Ecclesia eam prohibet ex motivo religionis. Secundùm *Vasq. Sa* & alios non est sacrilega, quia Ecclesia videtur tantùm prohibere illam, quæ est de se illicita; sed *Castrop. Diana* p. 1. t. 7. R. 19. *Aversa* q. 10. s. 11. meliùs distinguunt, si enim sit necessaria, v. g. ob periculum incontinentiæ, quando conjuges coguntur diu remanere in templo, non est sacrilega, nec illicita; si autem non sit necessaria, probabilius videtur esse illicitam & sacrilegam, quia est in grave vilipendium loci sacri.

1072 §. 50. Probabile est quidem, quòd oscula, tactus, aspectus, turpiloquia, etiam publicè facta in loco sacro, non habeant rationem sacrilegii, ideoque opus non sit dicere esse ibi facta, utì tenent *Sanch. Aversa* & alii cum *Diana* R. 25. illorum tamen ratio, nempe quia per ista non polluitur Ecclesia, nihil probat, utì constat ex dictis n. 1070. hinc dicendum est tunc tantùm per hujusmodi actiones externas contrahi malitiam sacrilegii, quando cum magna Ecclesiæ irreverentia fiunt, utì si quis meretricem ante Altare publicè tangeret impudicè, si quis turpem comœdiam in templo exhiberet &c. *Suar. Bonac. Lugo, Dicast. Tamb. Steph.* n. 61. *Mendo* n. 60. Addit *Gobat* in Quin. t. 5. c. 49. si quis turpem cantionem vel melodiam, quam populus sciret convenire rebus turpibus, inserret officio divino aut publicè in templo caneret, quia cultus Dei per hoc graviter inhonoraretur.

1073 §. 51. Desideria, oscula, tactus, fornicatio, sodomia & similia externa, si fiant circa consanguineas vel affines, addunt speciem incestûs con-

contra reverentiam conjunctis debitam, unde qui consanguineam suam turpiter attigit, non satisfacit dicendo, attigi aliquam turpiter, sed addere debet fuisse consanguineam. Probabile autem est incestum cum consanguineis non differre specie ab incestu cum affinibus vel cum conjunctis cognatione legali, scilicet per adoptionem, uti ex *S. Tho.* docent *Caj. Tamb. Lugo*, d.16.n.313. *Dian.* R.31. quia semper peccatur contra reverentiam conjunctis debitam, & videtur esse perinde, unde oriatur illa conjunctio. Contradicunt tamen etiam valde probabiliter *Vasq. Dicast.* d.9.n.272. *Bonæspei* De actibus hum. d. 5. n. 20. *Ilf.* n. 83. quia reverentia debita ob intrinsecam sanguinis participationem videtur esse notabiliter diversa, hanc autem exigit consanguinitas & non affinitas, quæ tantùm extrinsecam conjunctionem habet.

§. 52. *Fill.* aliique multi cum *Dian.* suprà docent incestum in uno non differre specie ab incestu in alio quocunque gradu, v.g. incestum cum matre sua non differre specie ab incestu cũ nepte, ideoque in omnibus satisfieri, si dicatur, commisi incestum, quia in his omnibus etiam videtur eadem deformitas inveniri, scilicet actio contrà reverentiam conjunctis debitam, quòd autem sit major vel minor conjunctio, videtur tantùm posse graviorem malitiam refundere, non autem specie distinctam: Sed multi alii cum *Dicast.* suprà longè probabiliùs contradicunt, tum quia incestus in primo aut fortè etiam in secundo gradu repugnat juri naturæ, non item in aliis gradibus, in quibus ideo tantùm est incestus, quia ex motivo talis reverentiæ prohibetur; tum etiam quia alia debetur 1074

reverentia matri quàm nepti; hinc infert *Bonæspei* num. 19. debere explicari, an fuerit cum avia, matre, sorore, vel filia; item an cum matre, an cum noverca; item an cum noverca patre vivente, an mortuo, nam patre vivente est præterea contra pietatem. Non est tamen opus dicere, an fuerit cum proavia, quia similis tantùm videtur huic & aliis consanguineis deberi reverentia.

1075 §. 53. Si sponsus cognoscat consanguineam suæ sponsæ, probabilius videtur esse incestum, quia talis copula specialiter ob reverentiam conjunctis debitam prohibetur ab Ecclesia ideo ponente impedimentum dirimens ex motivo publicæ honestatis, *Tamb. Lugo* n. 331., quod *Oviedo* De pecc. contr. 5. n. 78. rectè restringit ad primum gradum.

1076 §. 54. Si Titius fornicatus sit cum Caja & postea fornicetur cum Cajæ consanguinea in tertio gradu, aliqui apud *Sanch.* De Matr. l. 7. d. 67. n. 7. putârunt esse incestum, quia licèt *Trid.* sess. 24. De Ref. Matr. c. 4. sustulerit ab eo peccato impedimentum, non ideo sustulit affinitatem, cùm enim tale decretum sit correctorium, non operatur ultra verba: Sed *Sanch.* n. 8. rectè dicit oppositum sibi esse certum, tum quia ideo ab his vel illis committitur incestus, quia fornicatio fit ab illis, inter quos prohibetur Matrimonium, non prohibetur autem inter Titium & istam consanguineam Cajæ, tum etiam quia si ratio Adversariorum valeret, ergo adhuc esset incestus, si peccaretur cum conjuncta etiam in septimo gradu, quia olim erat impedimentum; imò sicuti datur affinitas ad gradus etiam remotiores in infinitum, ita & daretur in-

incestus, quod nemo dicet. Et ideo Cap. *Non debet*, De consang. & affin. ubi agitur de contrahendo impedimento, dicitur, *Prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat; si autem copula sit illicita, non excedit secundum.*

§. 55. Si Titius & Caja consanguinei in ter- 1077
tio gradu post obtentam dispensationem ad ineundum Matrimonium, sed hoc nondum inito, fornicentur, *Maj.* & *Gallego* dicunt esse incestum, quia non ideo sublata est consanguinitas, sed hac stante est tantùm data potestas contrahendi Matrimonium: Oppositum tenet *Sanch.* n. 9. quia incestus non est, nisi ubi cum consanguinitate est prohibitio Matrimonii, sed positâ dispensatione non est ampliùs prohibitio Matrimonii, ergo nec incestus.

§. 56. Incestus cum conjunctis cognatione 1078
spirituali proveniente ex Baptismo vel Confirmatione, distinguitur specie ab aliis incestibus, quia prohibetur ex motivo reverentiæ debitæ Sacramento, ergo habet adjunctam malitiam sacrilegii, *Sanch.* De Matr. l. 7. d. 5. n. 9. *Lugo* n. 333. Necesse tamen non est dicere, an cognatio orta sit ratione Baptismi, an Confirmationis: Neque an peccaverit cum filia Baptismi, an cum ejus matre, quia cùm sit contra eandem reverentiam debitam personis ratione Sacramenti conjunctis, manet una species.

§. 57. Qui commisit semel pollutionem, se- 1079
mel sodomiam, semel bestialitatem, non satisfacit dicendo, ter procuravi pollutionem, uti constat ex hac prop. 24. ab *Alex VII.* damnata, *Mollities, sodomia & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoq; sufficit dicere in confessione,*

*ne, se procurasse pollutionem.* Ratio autem est, quia licèt opponantur eidem castitati, tamen modi oppositionis sunt notabiliter diversi, nam castitas, prout detestatur omne id, quod generationem impedit, sic opponitur mollitiei: prout autem est conservativa reverentiæ erga parem sexum, & verecundiæ circa naturalem modum coëundi, sic opponitur sodomiæ: prout verò est impeditiva, ne affectus hominis erga homines licitus detorqueatur ad bestias, & sic quodammodo fiat besti alis, sic opponitur bestialitati.

1080 §. 58. In sodomia teneris dicere, an fueris agens, an patiens, cùm enim agens habeat pollutionem, hæc addit novam speciem, *Tamb. Lugo* n. 243. *Mendo* d. 5. n. 188. contra plures id negantes cum *Diana* in Compendio v. *Sodomia.* n. 2. *Nec obstat*, quòd patiens cooperetur pollutioni agentis, adeoque contrahat etiam ejus malitiam, *nam* sicuti pejerans & cooperans perjurio alieno contrahunt eandem malitiam, sic tamen ut cooperans contrahat malitiam tantùm reductivè eandem & modo notabiliter diverso, qui debet exprimi in Confessione, ita etiam hìc, agens enim contrahit primariò, patiens secundariò, *Dicast.* d. 9. n. 465.

1081 §. 59. *Cajet.* putat fœminam non teneri dicere, in qua parte sui corporis sodomita semen effuderit; sed probabilius est teneri, alioquin non explicat, an fuerit sodomia imperfecta nec ne, si enim fuerit effusio cum affectu ad præposteras partes, erit sodomia imperfecta, si autem tantum ad explendam libidinem sine desiderio coitûs & sine affectu ad partes præposteras, erit tantùm pollutio.

§. 6

§. 60. Si duo mares ex affectu ad eundem sexum permisceant corpora, *Graffius* putat non ideo fore sodomiam, dummodo semen non effundant in vas præposterum, ideoque sufficere, si dicant se exercuisse mollitiem: Sed oppositum est tenendum, quamvis enim non sit principalis illa sodomia, in quam feruntur speciales pœnæ Ecclesiasticæ, rectè tamen docet *Tamb.* l. 7. c. 7. §. 2. esse sodomiam, non enim est sola mollities, cùm hæc tendat ad explendam libidinem sine speciali affectu ad indebitum sexum, ergo est sodomia, qualem etiam fœminæ exercere possunt, licèt nequeant seminare in vas præposterum. Dicendum etiam est cum *Graff. Az. Silv.* contra *Dianam* p. 3. t. 4. R. 101., si duo mares cognati committant sodomiam, contrahi etiam speciem incestûs, quia est contra reverentiam conjunctis debitam. 1082

§. 61. In bestialitate explicari debet, an facta sit cum bestia mare vel fœmella: & si cum fœmella, an in vase naturali, an in præpostero, sunt enim diversæ deordinationes, uti probat *Mendo* d. 5. q. 25. Non est tamen opus dicere, cum qua specie animalis, quia manet eadem malitia, sive fiat cum cane sive cum ove, *Mendo* n. 196. *Tamb.* §. 5. 1083

§. 62. Quamvis coitus cum dæmone habente formam hominis reducatur ad bestialitatem, quia detorquetur affectus ad non hominem, tamen exprimi debet fuisse cum dæmone, quia simul est speciale peccatum contra virtutem Religionis habere commercium cum maximo Dei & hominum hoste, *Tamb.* suprà. 1084

*Q. 146. Quomodò distinguenda sit species in peccatis contra septimum & decimum præceptum.* R. §. 1. 1085

Qui herì equum, hodie pecuniam, cras veſtes furatur, ſatisfacit dicendo, ter furatus ſum rem gravem, quia equus, pecunia, veſtes ſunt moraliter ejuſdem ſpeciei, cùm menſurentur eâdem pecuniâ & inter ſe commutentur.

1086 §. 2. Furtum non mutat ſpeciem ex hoc, quòd fiat à Judice vel gerente Magiſtratum, quamvìs ſit major indecentia, quòd fiat ab eo, qui alios deberet coërcere, *Tamb. Dian.* p.1.t.7. R.36. contra utrumque *Medinam*. Poteſt tamen Princeps vel Magiſtratus peccare, non tantùm contra charitatem, ſed etiam contra juſtitiam, ſi aliorum furta non impediat, ad quod etiam ex juſtitia tenetur.

1087 §. 3. Rapina ſpecie differt à furto, quamvìs enim objectum utriuſque ſit idem, tamen modus, quo illud attingunt, eſt notabiliter diverſus, nam in rapina & non in furto, fit vis etiam perſonæ. Unde ſi homini videnti eripias rem ſuam & abſcurras, nullam vim inferendo illius perſonæ, non erit rapina, ſed furtum.

1088 §. 4. Furtum per uſuram vel alium doloſum contractum eſt ejuſdem ſpeciei cum furtis aliis, hinc ſufficit in Confeſſione dicere, toties furatus ſum, tacendo de modo auferendi.

1089 §. 5. Furto additur ſacrilegium, ſi quis furetur rem ſacram, utì calicem conſecratum, quamvìs è loco non ſacro; aut rem profanam in loco ſacro poſitam pro ſecuritate vel per modum pignoris, depoſiti, mutui, commodati, ita ut locus ſacer debeat pro eo reſpondere. Per locum autem ſacrum hìc intelligitur Eccleſia conſecrata aut benedicta, etiamſi ſit violata, polluta, interdicta, non tamen intelligitur Monaſterium, Clauſtrum, vel domus Religioſo-

giosorum, utì cum aliis *Dicast.* d. 9. num. 668.

§. 6. Si quis in Ecclesia furetur crumenam 1090
divitis aut aliquid aliud non sacrum, nec ullo modo pertinens aut commendatum Ecclesiæ, adhuc dicunt *Suar. Vasq* Laym. *Rebell. Bonac. Regin. Bonæspei* De act. hum. d. 5. n. 77. esse sacrilegium, quia *Joannes* Papa VIII. Cap. *Quisquis inventus* 17. q. 4. dicit sacrilegium committi auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro: Oppositum tamen velut probabile tenent *Az. Henriq. Less. Con.* Lugo, *Dian.* R. 27., qui per auferre de loco sacro intelligunt aliquid pertinens, aut de quo debeat respondere locus sacer: *Oviedo* De pecc. contr. 5. n. 31. refert utramque sententiam & nihil determinat: *Dicast.* à n. 664. agnoscit parem ferè in utraque sententia probabilitatem, attamen magìs inclinat in primam.

§. 7. Si quis ideo eat ad Confessionem, ut 1091
possit Confessario furari rem levem, *Corduba*, *Sa, Rebell. Fagund. Lugo, Dicast.* n. 667. dicunt, quamvìs sit leve in ratione furti, attamen esse grave in ratione sacrilegii, quia videtur cedere in gravem irreverenriam Sacramenti, sed ratio occurrit in oppositum, quia si quis confiteatur ex vana gloria, aut si in Confessione mentiatur in re levi non pertinente ad materiam necessariam Confessionis, dummodo de aliis peccatis doleat & non reddat Sacramentum irritum, non peccat mortaliter, utì dicetur num. 1177. idem autem videtur esse de nostro casu, utì rectè *Aversa* q. 10. s. 11. §. *Addit.* Et saltem si Confessio sit occasio furti, non est mortale, utì fatentur citati Authores contra *Fagund.*

§. 8. Non est sacrilegium furari rem Parochi 1092

vel Sacerdotis possidentis illam suo & non Ecclesiæ nomine, quamvis haberet titulo Ecclesiastico, v. g. ex reditibus Beneficii vel propter Baptismum infanti collatum, talia enim habent se utì res profanæ, cùm nec in se sint sacræ, nec ideo violetur aliquis locus sacer, vel aliqua persona, aut immunitas Ecclesiastica, *Dian.* R. 27. *Tamb.* De conf. l. 2. c. 8.

1093 §. 9. Si quis rem sacram & è loco sacro furetur, *Vasq. Fagund.* & alii cum *Dian.* dicunt manere unum specie sacrilegium, quia & rei & loci sacri violatio soli Religioni opponitur: Econtrà *Lugo* d. 16. n. 471. *Oviedo* n. 302. *Dicast.* nu. 663. *Bonæspei* n. 82. probabiliùs dicunt esse duo specie sacrilegia in Confessione distinguenda, unum contra immunitatem loci sacri, alterum contra sanctitatem rei sacræ, sicuti sunt duo specie sacrilegia, si Clericus occidatur in loco sacro.

1094 §. 10. *Less.* De just. l. 2. c. 45. dub. 3. putat furtum vel usum profanum rei per votum Deo promissæ esse sacrilegium, sed probabiliùs contradicunt *Laym.* & *Oviedo* n. 34. usque dum res sit tradita & dicata ad sacrum usum, sicuti enim qui vovit intrare Religionem vel suscipere Sacerdotium, non ideo est sacrilegus, si peccet contra Castitatem, quia necdum est consecratus Religioni, nec sacratus per Ordinem, ita & hic.

1095 *Q. 147. Quomodò distinguenda sit species in peccatis contra octavum præceptum.* R. §. 1. Mendacium circa res fidei, v. g. si quis præscindendo à verbo Dei dicat Jobum habuisse quatuor filias, cùm sciat habuisse tantùm tres, per se loquendo, est veniale tantùm, *Salas*, *Arr.* De pecc. d. 21. s. 1. & alii apud *Lugo* De fide d. 14. s. 3.

qui

qui in eandem sententiam inclinat, non enim apparet, unde refunderetur species gravis malitiæ. Si tamen significaret Deum locutum esse aliquid falsum, esset gravis blasphemia, uti per se patet.

§. 2. Judicium temerarium specie distinguitur à detractione, secundùm dicta l. 3. p. 2. num. 1188. 1096

§. 3. Probabile est, quòd falsum crimen imponere, & revelare verum, quod occultum est, sint ejusdem speciei in ordine ad confessionem, *Mol. Lugo* De just. d. 14 s. 2. *Tamb.* De conf. l. 2. c. 9. n. 5. & consequenter satisfit dicendo, bis graviter detraxi, quia species mendacii, quæ in primo est, non est mortalis, nisi ratione injuriæ, quæ satis explicatur. Fatendum tamen est cum *Nav.* & *Sporer* in 8. præcept. Decal. n. 48. in primo esse majorem malitiam, attamen intra eandem speciem. 1097

§. 4. In detractione, judicio temerario vel contumelia, non mutat speciem, quòd dixerim hunc esse hæreticum, illum furem, istum sodomitam, *Bonac. Sa, Castrop. Oviedo* n. 27. *Less.* in Auct. v. *Confessio.* Casu 9. contra *Suar. Az. Salas*, hinc satisfit dicendo, ter detraxi, ter temerè judicavi in re gravi: Rationem dat *Lugo* De pœn. d. 16. num. 265., quia omnes detractiones accipiunt malitiam ex eo, quòd sint contra unum bonum famæ, sicuti furta ex eo, quòd lædant fortunas, ergo sicuti furta sunt ejusdem speciei in ratione furti, sive bona hæc sive illa, sive hoc sive alio modo tollantur, dummodo vis personæ non fiat, sic de ablatione famæ. Idem est, si detraxerim Sacerdoti, uti probabiliùs cum aliis tenet *Tamb.* n. 2. contra *Steph.* tr. 4. d. 6. 1098

n. 5. qui cum aliis putat esse contra religionem & reverentiam illi statui debitam.

1099 §. 5. Si detractio sit scandalosa aut damnosa in bonis fortunæ, additur nova species contra charitatem vel justitiam respectu juris ad bona fortunæ, ideoque hæc erunt in confessione addenda.

1100 §. 6. Susurratio, quâ detrahendo pax turbatur & causatur divulsio animorum, differt specie à detractione, quia specialiter opponitur charitati.

1101 §. 7. Contumelia, quâ præsenti in faciem detraho, addit novam speciem, secundùm dicta l. 3. p. 2. n. 1226. unde si lædebas famam alicujus absentis, & eo superveniente pergas eam lædere, sunt duo specie peccata, nempe detractio & contumelia, quia per contumeliam rapitur honor, per detractionem tollitur fama, quæ, quomodo distinguantur, dictum est l. 3. p. 2. àn. 1191.

1102 Q. 148. *Quomodo distinguenda sit species in peccatis contra præcepta Ecclesiæ.* R. §. 1. Ejusdem speciei est die festivo exercere servilia & forensia, hinc qui uno festo serviliter laboravit & altero tulit sententiam in judicio, satisfacit dicendo, bis per opus prohibitum graviter inhonoravi diem festum.

1103 §. 2. Sive sit Dominica sive festum, item sive sit festum majus sive minus, non ideo mutatur species, hinc qui die Paschæ & die S. Laurentii non audivit Missam, vel serviliter laboravit, satisfacit dicendo, bis die festivo non audivi Missam, vel serviliter laboravi.

1104 §. 3. Violatio jejunii per comestionem carnium distinguitur specie à violatione per comestio-

mestionem ovorum aut lacticiniorum, ubi horum comestio est prohibita, quia per illas duas leges intenditur & per violationem impeditur notabiliter diversa mortificatio carnis. Item violatio per comestionem carnium distinguitur specie à violatione per multiplicem comestionem, unde qui uno die jejunii sumpsit unicam refectionem in carnibus, & altero sampsit duas refectiones in piscibus, non satisfacit dicendo, bis graviter fregi jejunium, sed addere debet, quòd semel in carnibus, *Sanch. Oviedo* De pecc. contr. 5. n. 25.

§. 4. Violatio jejunii in vigilia S. Matthiæ incipente in quadragesima & quatuor temporibus, & simul in die Veneris, est unicum etiam numero peccatum secundùm dicta l. 5. n. 137. 1105

§. 5. Violatio ejusdem jejunii ab Ecclesia præcepti, à Superiore imperati, à Confessario pro pœnitentia injuncti, ex voto debiti, habet quatuor specie malitias, utì dictum est l. 5. n. 135. De peccatis contra præceptum Communionis & Confessionis dicetur à n. 1116. 1106

Q. 149. *Quomodò distinguenda sit species in peccatis circa Sacramenta & personas ecclesiasticas.* R. Præter sparsim dicta, notanda sunt seqq. §. 1. An contrahat duas specie malitias, qui post susceptum Baptismum & Confirmationem deficit à fide, dictum est n. 980. An autem peccet graviter, qui ideo confitetur, ut Confessario furetur rem levem, dictum est n. 1091. 1107

§. 2. Probabilius videtur, omnem illum peccare mortaliter, per se loquendo, qui Sacramentum conficit in mortali, secundùm dicta l. 6. p. 1. n. 91. Is verò, qui in mortali suscipit Sacramentum vivorum, etiam peccat mortali- 1108

taliter, peccato distinctæ speciei ab illo, quo peccat, qui conficit, secundùm dicta ibidem n. 194., quia suscipiens non tantùm irreverenter tractat Sacramentum in gratia recipiendum, sed impedit primarium ejus effectum, scilicet gratiam, ad quam causandam à Deo est institutum.

1109 §. 3. Si quis communicet vel Missam legat in mortali, aliqui putârunt committere unum peccatum irreverentiæ circa Eucharistiam, & alterum impœnitentiæ, imò *Sporer* De sacrif. n. 493. refert aliquos putâsse celebrantem in mortali tribus specie distinctis peccatis peccare, ratione omissæ confessionis, ratione omissæ contritionis, & ratione indignæ oblationis, sed rectè contradicunt *Vasq. Bonac. Nugn. Aversa* De Euch. q. 8. s. 5. §. *Quartò*, nam quod attinet ad impœnitentiam, obligatio præmittendi pœnitentiam ex hoc capite non distinguitur ab obligatione non indignè communicandi: Quàmvis autem oblatio fiat in mortali, non ideo est mortale, utì dixi l. 6. p. 1. n. 96.

1110 §. 4. Si quis ligatus censurâ, v. g. excommunicatus, & simul in mortali constitutus communicet vel Missam legat, *Vasq. Dian. Hurt. Lugo* De Euch. d. 14. n. 20. putant esse unum numero peccatum, quod *Tamb.* De Comm. c. 1. n. 7. vocat probabile, *Gob.* In Exp. tr. 3. n. 442. & tr. 4. n. 212. vocat tutum, quia præceptum humanum concurrens cum divino vel naturali sub eodem motivo, quale hìc videtur esse reverentiæ, non addit novam speciem malitiæ. Admittit hoc *Suar.*, attamen putat esse circumstantiâ aggravantem in confessione exprimendam. *Vasq.* & *Lugo* dicunt non adde-

addere tantam malitiam, ut opus sit in confessione exprimere, sed probabilius videtur esse oppositum, ob rationem dandam n. 1111.

§. 5. Si quis in mortali & etiam non jejunus communicet, adhuc putant *Hurt. Dian.* & *Lugo* ob rationem n. 1110. datam esse unum specie peccatum, sed *Bonac. Molfes. Homob. Rayn. Aversa* §. *Quintò. Bosco* De Euch. s. 10. concl. 2. & alii probabiliùs contradicunt, quia motivum præcepti divini est, ne Sacramentum frustretur effectu, motivum autem præcepti humani est specialis reverentia erga Corpus Christi. Addit *Aversa*, quia quamvis esset idem motivum reverentiæ in genere, tamen est alius modus reverentiæ in specie, postulans, ut accedat nec in censura specialiter contumax Ecclesiæ, cujus Sacramenta vult participare, nec in mortali per illud ponens obicem gratiæ, sed afferens specialem reverentiam jejuni corporis, quo significet se hunc cibum spiritualem præferre omni corporali. Idem esse dicunt, si Sacerdos & in mortali, & absque sacris vestibus consecraret; item si consecraret & extra spatium altaris consecrati, & extra extensionem corporalis, uti rectè *Dicast.* De Euch. d. 2. n. 206. quia est distincta significatio, ob quam Ecclesia utrumque requirit, nempe altare velut aram crucis, in qua Christus est immolatus, corporale autem velut sindonem, in qua depositum est Corpus Christi. 1111 1112

§. 6. Ex dictis n. 1108. constat Sacerdotem consecrantem in mortali peccare mortaliter. Quòd. si insuper in mortali communicet, est aliud specie peccatum, quidquid contradicat *Sporer* suprà, quod evitasset, si ante Communionem 1113

nem elicuisset contritionem, uti dictum est l. 6. p. 1. n. 93. Quòd si post consecrationem incidisset in mortale & in eo sibi ipsi dedisset Communionem, adhuc contraxisset peccatum specie diversum à peccato illius, cui ab altero daretur Communio, est enim diversa malitia indignè ministrare & indignè suscipere Eucharistiam: Unde consecrans & postea se ipsum communicans in mortali quadruplicem specie malitiam contrahit, primam, quia Eucharistiam in mortali conficit ; secundam, quia indignè ministrat ; tertiam, quia ministrat indigno; quartam, quia suscipit indignus: probabile tamen est, quòd malitia secunda non sit mortalis, secundùm dicta l. 6. p. 1. n. 94. quia ibi nullum Sacramentum conficitur, nec est operatio, quæ fiat nomine Christi, nec impeditur effectus Sacramenti. Omnes autem illæ malitiæ intelliguntur, si dicat, celebravi Missam in peccato mortali.

1114 §. 7. Rectè docent *Lugo* & *Aversa* §. *sextò*, non esse opus in Confessione addere, an cum gravissimo vel minùs gravi, an cum uno vel pluribus mortalibus communicârit vel Missam legerit, uti nec an cum una vel pluribus censuris, an cum contracta ex hoc vel illo delicto &c. quamvìs enim sit majus peccatum cum majoribus peccatis ista facere, quia est magìs indigna susceptio, attamen est intra eandem speciem.

1115 §. 8. Si quis peccatori publico porrigat Eucharistiam, *Tamb.* De Comm. c. 6. n. 21. putat committere unum tantùm peccatum, sed imprimis certum est peccare mortaliter cooperando peccato alterius, deinde etiam peccat aliâ specie malitiæ, infideliter fungendo officio Mini-

Miniſtri, ad quod ordinatus eſt, attamen ſecundùm dicta paulò antè probabile eſt, quòd hæc malitia ſit venialis tantùm.

§. 9. Qui ſemel Communionem paſchalem, & ſemel Communionem in periculo mortis pro viatico ſumendam neglexit, commiſit duo ſpecie peccata, nec ſatisfacit dicendo, bis neglexi Communionem graviter præceptam, ſed exprimere debet, quòd ſemel præceptam pro viatico, utì dictum eſt l. 6. p. 1. n. 605. 1116

§. 10. Confeſſio tunc habet adjunctam malitiam ſacrilegii, ſi quis accedat ſine debito examine, exponens ſe periculo omittendi aliquod mortale: Si ex pudore vel ſimili motivo omittat peccatum, quod ſcit eſſe, vel de quo negativè dubitat, an ſit mortale: ſi accedat ſine dolore ſupernaturali & ſincero, aut ſine propoſito firmo cavendi omnia mortalia impoſterum; item ſi accedat non habens efficacem voluntatem primâ occaſione, quâ poterit, reſtituendi furtivè ablata, famam, honorem &c: Item ſi accedat ſine efficace voluntate relinquendi omnes occaſiones proximas peccandi: Ratio horum omnium eſt, quia accedit indiſpoſitus, facit abſolutionem eſſe irritam, impedit effectum Sacramenti. Omnes tamen iſti modi invalidandi Confeſſionem ſunt ejuſdem ſpeciei, hinc licèt aliquis quandoque uno, quandoque alio modo invalidârit, ſatisfacit dicendo, toties confeſſus ſum ſacrilegè. 1117

§. 11. Si quis ſub Confeſſione mentiatur, committit ſacrilegium, quandoque grave, quandoque leve, utì dicetur à n. 1175. De circumſtantia complicis, qui eſt filius vel filia Confeſſionis, dictum eſt n. 1041. 1118

§. 12.

1119 §. 12. Contrahentes Matrimonium in mortali peccant mortaliter, imprimis in quantùm sunt Ministri conficientes, secundùm dicta l. 6. p. 1. n. 93., docentque *Lugo, Dicast. Castrop. Arr.* & alii, quidquid contradicant *Suar. Sanch. Con. Præp. Dian. Burgh.* cent. 2. casu 95. Deinde etiam in quantùm sunt recipientes Sacramentũ, quia ponunt obicem gratiæ causandæ, & hæc peccata specie distinguuntur. Ibidem tamen dixi utramque malitiam sufficienter explicari, dicendo se in mortali contraxisse Matrimonium.

1120 §. 13. Quamvis Matrimonium sit à Christo elevatum ad rationem Sacramenti, quod dat omnimodam indissolubilitatem, & propter significationẽ suam exigit carnem nõ dividi, uti Christus non dividitur ab Ecclesia, nec humana Christi natura à divina, ideoque fideles adulteri peccantes contra hoc vinculũ & exigentiam Sacramenti committant irreverentiam in Sacramentum, quam non committunt infideles, quorum matrimonium non habet rationem Sacramenti sed tantùm contractûs, tamen rectè docet *Carden.* in 2. crisi d. 30. c. 4. n. 61. hoc peccatum non esse propriè sacrilegium, cùm Sacramentum non violetur in se immediatè, sed tantùm violetur lex & exigentia orta ex Sacramento, hinc cùm solorum fidelium peccata sint materia confessionis, hæc malitia satìs intelligitur, si confitens se accuset de adulterio.

1121 §. 14. Percussio Clerici specialiter prohibetur ab Ecclesia, non tantùm ob honestatem intrinsecam justitiæ, sed etiam ob reverentiam personæ Deo consecratæ debitam, hinc etiam habet malitiam contra religionem in confessione exprimendam.

§. 15.

§. 15. Probabile est, quòd is, qui simul est Sacerdos, Parochus & Monachus, unum mortale committat, si negligat Horas Canonicas, & satisfaciat dicendo, ego Sacerdos omisi Horas, tacendo se esse Parochum & Monachum, uti docent *Henriq. Sanch. Fill. Salas, Homob. Garz. Dian.* p.2.t.12.R.22.p.4.t.4.R.219.p.10.t.12.R.25.*Pelliz.* t.1.tr.5.c.8.n.96. *Castrop.*tr.7.d.2.p.1.§.2.n.29. *Tamb.* In Dec.l.2.c.5.§.1.nu.33. *Gob.* In Exp. tr.5.n.580. *Burgh.* cent.3.cas.81. Probabile tamen etiam videtur oppositum, nempe quòd duo specie peccata committat specialiter exprimenda, unum contra virtutem religionis, ratione Ordinis vel Professionis religiosæ, alterum contra virtutem justitiæ ratione Beneficii; nam postea tenetur ad restitutionem, ergo signum est violatam esse justitiam, ita *Suar. Laym. Bonac. Fagund.* & alii, sed priores Authores probabiliter respondent restitutionem illam ab Ecclesia imponi, non tanquam debitam ob læsionem juris alieni, sed tantùm velut pœnam delicti. 1122

§. 16. Omittens omnes Horas unius diei committit unum specie peccatum, quia omnes constituunt unum Officium ex eodem motivo religionis, *Navar. Lugo* & alii cum *Tamb.* De conf.l.2.c.2.n.4. An autem sit unum numero peccatum, dixi l.5.n.166. 1123

*Q.150. Quomodo species sit distinguenda in peccatis capitalibus.* R. §.1. Quamvis bona animæ, corporis, fortunæ, famæ, honoris, sint inter se diversæ speciei, tamen qui semel de uno & semel de alio superbiens graviter peccavit, quia nempe vel putavit habere se merito suo independenter à Dei gratia, vel ideo ita excellere voluit, 1124

voluit, ut nollet se submittere Deo & Superioribus, ( quæ rarò accidunt ) satisfacit dicendo se bis habuisse gravem superbiam , tacendo de quo bono superbierit, hoc enim materialiter tantùm se habet: attamen putare se habere merito suo independenter à Dei gratia, & ita excellere velle, ut nolit se submittere Deo & Superioribus, sunt duæ superbiæ specie distinctæ.

1125 §.2. Dummodo absint delectatio, gaudium, desiderium, probabile est, quòd in jactantia non sit opus explicare peccatum in specie, de quo te jactas, sed sufficiat dicere, jactavi me de peccato mortali, non exprimendo , an fuerit furtum, an luxuria, quia tota malitia jactantiæ videtur esse, quòd offensa Dei eligatur ad captandam gloriam , in quo est irreverentia contra Deum, *Nav. Dian.* p.3.t.4.R.161. *Castrop.* tr.2.d.2.p.11. *Moya* t.3.d.3.n.84. *Gobat* in Quin.t.5.c.13.n.64. *Tamb.* De confes. l.2.c.2.n.10. *Dixi* 1. dummodo absint delectatio &c., nam hæc omnia rarò aberunt , præsertim si sint objecta delectantia, quæ solent fortiter movere potentias, *Lugo* d.16.num.266. In dubio autem putat *Gob.* præsumendum esse, quòd adfuerit complacentia, cùm plerumque interveniat. *Dixi* 2. probabile esse, nam sententia opposita est fortè probabilior, utì volunt *Sanch. Rodriq. Dicast.* d.9. n.519. sicuti enim quævis virtus obligat, ut non inducam aliquem ad suî transgressionem , secundùm dicta n.984., quia nempe sic inducere est in contemptum & vilipendium honestatis, quæ est in tali virtute, ita videtur quævis virtus obligare , ut non glorier de illius violatione, quia etiam sic contemnitur & vilipenditur ejus honestas, ergo gloriatio de hoc vel illo peccato

oppo-

opponitur specie diversæ honestati hujus vel illius virtutis excludentis tale peccatum, ergo jactantiæ de diversis peccatis habent diversas specie malitias.

§. 3. Si ex tua jactantia simul redundet in- 1126
famia in alium, patet addi aliam speciem injuriæ contra famam proximi, utì notant omnes cum *Dicast.* n. 526.

§. 4. Non est opus addere, an revera com- 1127
mileris hoc, de quo te jactas, vel non, quia eadem est irreverentia, sive peccatum sit verum, sive falsum, & mendacium, quod additur, secundùm se est tantùm veniale, *Caj. Nav. Sanch. Lugo* n. 274. *Dicast.* n. 527. *Tamb.* n. 12.

§. 5. Qui gloriatur, quòd alium inebriave- 1128
rit, secundùm *Gob.* n. 63. communiter non peccat mortaliter, quia non gloriatur de formali inebriatione, sed de modo & dexteritate in fallendo altero, aut de jocis, aut de sua potentia in ferendo vino.

§. 6. Inebriatio aliter causata quàm per po- 1129
tum distinguitur specie ab ordinaria ebrietate per potum, utì dictum est l. 5. num. 326. quia si quæratur per potum, opponitur legi temperantiæ, si sine potu, v. g. dormiendo in lupulo, non pertinet ad legem temperantiæ, sed ad aliam legem naturæ de non exturbando statu rationis, quam proximè recipere non possis.

§. 7. Ad iram communiter accedit species 1130
maledictionis seu imprecationis, quæ prout est in se vel alium, potest continere diversas species malitiæ; item perjurii: item blasphemiæ in Deum, aut irreverenter invocando sanguinem Christi vel Sacramenta. Reliqua intelliguntur ex dictis hactenus.

1131 *Q. 151. Quomodo explicanda sit species in peccatis alienis.* R. §. 1. Qui inducit vel consilium dat alteri, v. g. de furto secum patrando; item qui sollicitat vel seducit alterum ad luxuriam; qui in Missa provocat alterum ad fabulas, aut aliter verbo & exemplo incitat ad peccandum secum, committit saltem duplex specie peccatum, ideoque in Confessione debet addere, si fuerit inducens, consulens, sollicitans, provocans, uti intelligitur ex dictis à n. 984. ubi plura dicta sunt circa scandalum.

1132 §. 2. Inductio ad peccatum, sive fiat per consilium, sive per jussionem, sive per consensum &c., est ejusdem speciei, & satisfit dicendo, fui alteri causa talis peccati. Adulatio tamen & laus præsentis de peccato facto regulariter addit aliam speciem, quia excitat non tantùm ad complacendum in peccato præterito, sed etiam ad iterum peccandum, *Lugo* d. 16. n. 266. *Dicast.* d. 9. n. 528.

1133 §. 3. Si quis peccet cum alio, qui non ita peccet, sicuti ipse, v. g. si consanguineam inducat ad fornicationem, quæ ignorat consanguinitatem, malè confitetur dicendo, induxi aliquam ad incestum mecum, ipsa enim non commisit incestum, sed solam fornicationem, ideoque addere debet ex parte sua fuisse cognitionem, sed ex parte mulieris fuisse ignorantiam consanguinitatis. Similiter qui ad fornicationem induxit mulierem stultam vel plenè ebriam, debet hoc ipsum addere, alioquin si dicat se induxisse mulierem ad tale peccatum, Confessarius judicabit eum peccâsse etiam peccato scandali, cùm tamen talis mulier scandali

capax

capax non fuerit, *Dicast.* à n. 239. Reliqua intelliguntur ex dictis à n. 984.

*Q. 152. An in Confessione explicari possit una* 1134
*species divisim ab altera, si plures ejusmodi species unico actu sint contractæ.* R. §. 1. Malè fit, si in eadem prima Confessione id fiat, quia est contra sinceritatem Confessionis, ideoque Sacerdos Confessario ignotus, qui fornicatus est, malè sic confitetur, *sum fornicatus, Peccavi contra votum in materia gravi, Lugo* & alii cum *Arr.* d. 35. nu. 41. contra *Suar.*, *Averss.* q. 10. s. 7. *Dicast.* d. 9. n. 170. *Bosco* d. 7. s. 8. n. 175. Ratio est, quia explicat peccatum aliter, quàm commiserit, nam significat se duo peccata divisim commisisse habentia singulas primarias malitias, quarum nulla sit circumstantia alterius, quod falsum est, cùm commiserit unicum habens duas malitias, quarum una est circumstantia alterius.

§. 2. Si quis sit confessus unam malitiam & 1135
oblitus alteram, tum tantùm sufficiet in Confessione sequente addere hanc alteram, quando per utramque confessionem omnes malitiæ sufficienter intelligentur, v. g. si Sacerdos ille heri confitens & non reflectens se ad circumstantiam sui voti dixisset, *sui fornicatus*, satisfaceret hodie dicendo, *se graviter peccâsse contra votum Castitatis*, quia jam expressit utramque malitiam, & una potest sine altera intelligi, *Navar. Henriq. Sanch. Bonac Arr.* n. 35. *Bosco* n. 170. contra *Bonæspei* d. 8. n. 112. E contrà si commisisset adulterium, & non reflectens se ad circumstantiam conjugatæ, dixisset, se esse fornicatum, deberet hodie iterum repetere adulterium, nec satisfaceret dicendo, intuli alicui, aut etiam conjugi gravem injuriam, quia per

neutram Confessionem intelligeretur malitia adulterii, quæ est specialis injuria facta conjugi & Sacramento Matrimonii, *Aversa* suprà. *Steph.* t. 5. d. 5. n. 145. *Stoz* l. 1. p. 3. n. 597. *Sporer* n. 406. Quòd si quis furatus sit, ut se inebriaret, *Lugo*, *Tamb.* *Carden.* in 1. crisi d. 44. n. 131. dicunt non satisfacere hodie dicendo, *furatus sum*, & cras dicendo, *volui me inebriare*, sed debere iterum confiteri conjunctum hoc vel simili modo, *furatus sum animo me inebriandi*, quia aliàs non explicat furtum fuisse in specie gulæ, in qua tamen fuit ratione finis, ob quem factum est. Sed in hoc probabiliter contradicunt *Caram.* & *Aversa* suprà, nam speciem gulæ exprimit: quamvis autem non dicat, in quo individualiter actu voluntatis tanquam subjecto fuerit, hoc non videtur requiri, ergo cùm antea expresserit speciem & numerum furti, jam autem exprimat etiam speciem & numerum gulæ, videtur totam malitiam sufficienter explicare. Videri possunt *Arr.* à n. 42. & *Bosco* à n. 164.

1136 *Q. 153. An dentur peccata distincta specie inadæquatâ tantùm, & quid de illis sit dicendum.* R. *Oviedo* & *Compt.* De anima d. 5. s. 3. n. 5. admittunt in physicis distinctionem aliquam mediam, quæ sit major quàm numerica & minor quàm specifica, quam vocant specificam inadæquatam, v. g. dicunt Petrum & Bucephalum distingui specie, Petrum & Paulum numero, Petrum & Catharinam specie inadæquatâ. Cum proportione ad illam sententiam putant *Caram.* & alii dari in moralibus etiam peccata distincta specie tantùm inadæquatâ, qualem esse dicunt blasphemiam unam in Deum & alteram

ram in Sanctos, blasphemiam unam contra misericordiam Dei & alteram contra justitiam. *Bonæspei*, quamvis De anima d.2.dub.2. rejiciat illam speciem inadæquatam, attamen de pecc. d.4. à n. 280. dicit, si in moralibus admitterentur talia peccata distincta specie inadæquatâ, fore obligationem illâ specialiter confitendi, eò quòd aliàs Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, incertum enim est, inquit, an Christus ad valorem non requisiverit etiam confessionem illorum peccatorum specie inadæquatâ distinctorum : sed ratio ista nihil evincit, nam dici posset esse pariter incertum, an Christus ad valorem non requisiverit confessionem multorum, quæ Authores aliqui affirmant, alii negant distingui specie, & tamen si hæc secundùm opinionem probabilem omittantur, non ideo Sacramentum exponitur periculo nullitatis, quia certum est ad valorem Sacramenti sufficere confessionem formaliter tantùm integram. Ratio melior pro ista sententia afferri posset, quia ex *Tridentino* scimus omnes species esse confitendas ; ergo cùm tò *species* sit quid commune, extendi debet ad speciem etiam inadæquatam, quia lex confitendi censeri debet favorabilis, cùm ordinetur non ad gravandum reum sed ad absolvendum. Contrà tamen est, quòd ex sensu communi fidelium per speciem, quam jubemur confiteri, intelligatur species adæquata & simpliciter talis, Theologi enim hactenus in moralibus non fecerunt mentionem de specie illa inadæquata, sed talia duo peccata dixerunt simpliciter esse unius speciei, quamvis fundamentum sit asserendi inter illa esse distinctionem numericam majorem.

1137 *Q. 154. Si quis non possit, vel excusetur ab aperiendo peccato in specie, an teneatur saltem in genere se accusare de illo, & circa illud elicere contritionem.* R. §. 1. Qui scit se peccâsse mortaliter, & planè nescit, in qua specie, tenetur ita in genere se accusare de illo, si autem sciat esse in genere, v. g. justitiæ, tenetur & hoc addere, quia peccatum sic in genere explicatum, quando aliter non occurrit, est materia sufficiens absolutionis, ergo etiam necessaria, *Lugo* d. 16. n. 532. *Dicast.* d. 9. n. 880. *Castrop.* pu. 10. n. 3. *Tamb.* De conf. l. 2. c. 10. n. 53. *Dian.* p. 3. tr. 6. R. 66. *Stoz.* l. 2. n. 89. *Palav.* n. 293. *Sporer* n. 378. Postea autem, quando recordabitur peccati in sua specie infima, tenebitur illud sic agnitum iterum confiteri, quia est obligatio confitendi in specie infima, ergo quamdiu hoc non est factum, remanet obligatio sic confitendi, quando fieri poterit.

1138 §. 2. Si quis ob instans vitæ periculum, aut ne prodat complicem, aut ob aliud grave incommodum excusetur, quò minus dicat peccatum suum in specie infima, tenetur dicere in ea specie subalternâ, in qua si dicat, cessabit tale periculum, sic enim pro nunc satisfit præcepto quantùm moraliter satisfieri potest & debet, postmodum autem, quando poterit vel alio tempore vel apud alium Confessarium, in specie infima confiteri sine ullo ejusmodi periculo, ad hoc tenebitur, ob rationem jam datam; patetque ex propositione damnata, quam retuli n. 596. Oppositum videtur tenuisse *Burgh.* cent. 3. casu 62. hac ratione ductus, quia incommodum excusans ab integritate materiali afficit peccatum, prout hoc est à parte rei, ergo non tantùm quoad rationem specificam, sed

sed etiam genericam; sed patet antecedens esse falsum, nam excusatio afficit peccatum, in quantùm est allativum incommodi, ergo cùm nullum sit incommodum, si ita in genere aut in specie subalterna explicetur, erit obligatio sic confitendi: hinc *Burgh.* frustra dicit suam sententiam esse communem, pro qua inter cæteros citat *Castrop.* p. 11. n. 3. sed isto loco nil habet de quæstione illa, n. 7. autem planè oppositum tenet.

§. 3. Qui ob justam causam confitetur pec- 1139
catum in genere tantùm, non tenetur elicere perfectam contritionem de illo, quia peccatum, quod ita ex causa reticetur, habet se veluti peccatum oblitum, quod suppositâ attritione universali remittitur per absolutionem directè cadentem super confessa, ergo cùm remittatur vi Sacramenti Pœnitentiæ, non est, cur requiratur perfecta contritio, *Lugo Dicast. Leand. Dian. Burghab.* suprà.

## ARTICULUS II.

### *Quando sufficiat Confessio integra formaliter.*

RESp. Etsi ad hoc Sacramentum requiratur» 1140
semper aliqua confessio, non tamen sem-»
per opus est, ut ea sit integra materialiter, mo-»
dò sit talis formaliter seu moraliter, id est,»
quantùm moraliter loquendo hìc & nunc»
potest fieri, etsi postea debeas, si possis, sup-»
plere defectum, non statim, sed quando rur-»
sum confiteri obligaberis, aut voles. Porrò»
quando talis Confessio sufficiat, sequentes re-»
gulæ docent.

» *Prima.* quandocunque quis ad materialiter »integrè confitendum physicè est impotens, »sufficit integritas formalis; quia præceptum »divinum non obligat ad impossibile. Unde »possunt in sequentibus casibus absolvi: I. Mu»tus, etsi unum tantùm vel alterum peccatum »per nutus significaverit; nisi tamen scripto »possit Confessario exhibere, ad quod tunc »eum teneri probabilius est, ùt communiter »docetur, contra *Cajet. Navarr.* & alios. II. Sur»dus, qui non potest omnia explicare. *Layman* »*l. 5. tract. 6. c. 8.* III. Ignarus idiomatis, tempore »præcepti vel alterius necessitatis, etsi non in»tegrè intelligatur, si neque Confessarius lin»guæ gnarus, neque interpres haberi possit, »imò etsi adsit interpres, non enim tenetur »per eum confiteri, ùt docet *Suar. Vasq. Dia.* nisi »fortè in periculo mortis, in quo aliqua mino»ra confiteri sufficit. *v. Lug. d. 15. n. 61.* IV. Mo»ribundus, usu linguæ subitò destitutus, si petat »absolvi, ac det signa doloris, vel antè dederit »coram aliis; modò id fecerit in ordine ad Sa»cramentum, quod de quovis in eo statu præ»sumendum videtur. Quo casu si (saltem co»ram ipso infirmo) sive ab uno, sive pluribus, »mediatis, vel immediatis testibus detur testi»monium, Sacerdotem non tantùm posse, sed »probabiliter etiam teneri absolvere, (saltem »sub conditione) docet *Dia.* & *Lug. d. 17. à n. 84.* »*&c.* ex multis aliis; item *Bonac.* citans declara»tionem Cardinalium pro se; & *Præp. q. 4. dub.* »*5. &c.* eò quòd sic & ægri necessitati, & reve»rentiæ Sacramenti consulatur.

» Dixi, *saltem*, quia *Tamb. l. 2. exp. conf.* citans »*Kon. Præp.* & *Lug.* docet, posse & debere ab-

solvi

solvi absolutè, etsi sit absens, qui de signo co-»
ram se dato testatus fuit. Denique si nullum»
signum dederit, nullo modo absolvendus est,»
cùm actus judicialis non exerceatur, nisi præ-»
cesserit accusatio: licèt enim recentiores qui-»
dam, ùt *Tamb.c.*10. citans *Homob.* & *Molsef.* item»
*Phil. Servius in Amico fideli p.3.c.1. Anton. de litt.*»
*Barth. de S. Fausto, &c.* censeant posse, imò de-»
bere absolvi sub conditione, dummodo aliàs»
probè & christianè vixerit, eò quòd præsumi»
possit interiùs elicuisse contritionem; idque»
*Dian. p 4. t.4. R.92.* & *p.9. t.6. R.20.* ex *aliis* 12. »
judicet probabile; ab aliis tamen meritò reji-»
citur, ùt *Suar. Vasq. Kon. Mercer. Lug. s.3. Malder.*»
*&c.* ipsoque *Dian. l.c. & aliis* 12. apud *Aversam*:»
quia deest omnis externa Confessio, quam esse»
partem essentialem hujus Sacramenti, constat»
ex *Trid. sess 14. can 9.* & ex nullo signo rationa-»
biliter præsumi potest, ùt suppono. *v. Lug. l. c.*»
*Aversam q.10. s.18.*, ubi notat absolutionem,»
quæ iis, qui inscripti sunt in societatem Rosa-»
rii, solet in infirmitate impendi sine omni con-»
fessione, non dari tanquam sacramentalem,»
nec in ordine ad conficiendum Sacramentum,»
sed ad indulgentiam & remissionem pœnæ»
consequendam. »

*Secunda.* Quando vel pœnitenti, vel Con-»
fessario imminet periculum vitæ, quod nec»
illum integrè confiteri, nec hunc audire patia-»
tur, sufficit integritas formalis. Ratio, quia»
tunc materialis non est possibilis moraliter: »
quod valet sequentibus casibus. »

I. Si pœnitens v. g. infirmus, uno alterove»
peccato dicto deficiat; vel sit grave periculum,»
ne deficiat. »

2. Si

» 2. Si infirmus volens confiteri, dum ei fer-
»tur Viaticum, deprehendatur multas confes-
»siones feciſſe invalidas, & gravitas morbi non
»patiatur dilationem abſolutionis, *Gran. Zam.*
»*Dia. p. 5. t. 3. R. 75.*

» 3. Si ipſe Sacerdos in periculo conſtitutus,
»videatur antè moriturus, quàm pœnitens ab-
»ſolvatur.

» 4. Si tempore peſtis, prudentum judicio,
»moraliter certum periculum ſit, ne Confeſſa-
»rius inficiatur: qui ſi tamen totam audire ve-
»lit, tenebitur ad eam pœnitens.

» 5. Si immineat conflictus, vel ſit multitudo
»moribundorum v. g. in naufragio, nec poſ-
»ſint omnes audiri: in quo caſu poſſent etiam
»omnes ſimul, dicto uno peccato, quod minùs
»infamat, (vel etiam ſecundùm quoſdam, ſi
»aliter fieri non poſſit, dicendo in genere ſe eſſe
»peccatores) abſolvi, dicendo: *Ego vos abſolvo,*
»*&c.* vid. *Sa. V. abſolutio*, & *Kon. de Sacr. d. 7. dub. 9.*

» *Tertia.* Quando ex confeſſione certi pec-
»cati vel circumſtantiæ, timetur meritò grave
»damnum proprium, vel alienum, ſive Confeſ-
»ſarii, ſive alterius, corporale vel ſpirituale,
»poteſt id reticeri. Ratio, quia præceptum di-
»vinum de integritate, non obligat cum tanto
»incommodo. Quod tantùm eſſe poſſet, ut
»peccares confitendo; v. g. 1. Si Sacerdos cer-
»tum peccatum ſit revelaturus (intellige cum
»*Kon. Lug. d. 16. n. 527.* quod pœnitens ipſe non
»teneatur revelare) 2. Si ſciat v. g. mulier, ex
»certo peccato ſibi, vel Confeſſario fore peri-
»culum ruinæ. 3. Si pœnitenti inde immineat
»grave damnum, vel periculum vitæ vel fa-
»mæ: In his tamen caſibus videtur requiri ne-
ceſſitas

ceſſitas confitendi, v. g. ob communionem »
annuam; vel ſi longo tempore alioqui eſſet »
differenda, *vid. Fill. t. 27. c. 6. Lug. l. c.* ubi monet, »
talia damna aut pericula non facilè fingenda »
eſſe, & quidem in Religioſo vix poſſe locum »
habere. »

*Quarta.* Si quis aliquod peccatum, vel cir- »
cumſtantiam non poſſit confiteri ſine viola- »
tione ſigilli, v. g. ſi invalidè abſolviſſes ſimo- »
niacum, nec poſſes confiteri niſi illi, qui facilè »
inde poſſet conjicere, quiſnam ille eſſet. »

Ex omnibus ſuprà dictis ſequitur, excuſari- »
etiam ſequentes ab integritate materiali. »

1. Qui habent caſum reſervatum, de quo- »
*infrà*, & *Laym. c.* 12. »

2. Scrupuloſum, qui perpetuò angitur de »
oblitis. »

3. Quem Sacerdos abſolvit ante finem, no- »
lens omnia audire, ùt habet *Bon.* hìc. »

4. Quem fallit memoria, ita ut dicat, ſe ſcire »
in genere, quòd peccaverit mortaliter, non oc- »
currere autem ſpeciem peccati; etſi tunc ve- »
niale aliquod addere ſit conſultum. *Kon. Lay.* »
*l. c.* contra *Sot. Medin.* »

5. Eum, qui extremè rudis, vel ſimplex, di- »
cit ſe dolere de peccatis. nullum tamen in ſpe- »
cie, ne veniale quidem ſciat dicere: qui etſi ſpe- »
culativè loquendo poſſit abſolvi, practicè ta- »
men non expedit, ſed datâ benedictione per- »
mittatur communicare. *Lay. l. c.*

6. Qui aliquod peccatum non poteſt confi- »
teri ſine complicis infamatione; v. g. ſi pec- »
câſſes cum matre vel ſorore, quam Confeſſa- »
rius noſſet, tunc enim (ſi alium Confeſſarium »
non potes habere, quem aliàs adire tenereris) »

ſuffi-

»sufficeret, imò deberet dici, quòd animo cum
»ea, vel in genere, cum aliquâ fornicatione, m,
»vel incestum commisisses, reticendo gradum
»primum vel secundum, quoad licebit, sine
»manifestatione complicis, cum proposito
»confitendi integrè Sacerdoti alteri proximâ
»occasione. Ita probabiliter *Nav. c. 7. Bon. Con.*
»*Vasq. Præp. hìc dub. 6. & Gomaz &c.* Ratio est,
»quia quando duo præcepta divina concur-
»runt, naturale & positivum, quæ simul servari
»non possunt, præferendum est naturale; quia
»strictiùs obligat. Etsi probabiliùs contrarium
»doceant *Fill. Suar. Vasq. Less. Lug. d. 16. n. 394.*
»*Hurt. Kon.* & alii. Unde talis saltem non tene-
»bitur tacere id peccatum, ne complicem infa-
»met, nisi commodè possit; (quod *Lug.* exten-
»dit etiam ad non complicem, sine cujus mani-
»festatione peccatum explicari non potest)
»ideoque Confessario curandum, ne nominen-
»tur personæ, nisi ad pœnitentis directionem
»opus esset, tunc enim infamia ista non tanti
»æstimatur, eamque sibi imputet, quia pecca-
»vit: Conferendum tamen est commodum
»directionis cum infamia. Ratio suprà dicto-
»rum omnium, quia in his casibus moraliter
»non potest fieri confessio materialiter integra.
»*Lay. c. 8. Fag. p. 1. c. 3. v. Dian. p. 3. t. 4. R. 64. & 131. &*
»*p. 1. t. 7. R. 49. Less. l. 2. c. 11. Tamb. l. 2. c. 9. §. 2.*, ubi
»docet, probabile esse, quòd talis pœnitens
»propter solam consolationem, quam sentit ab
»amico vel docto Confessario, possit ei confi-
»teri, etsi alium habere possit.

ADDEN-

# ADDENDA.

Q*uæst. 155. Quid præterea sit notandum circa Confessionem formaliter integram.* R. §. 1. 1141
Confessio saltem formaliter integra, est de essentia Sacramenti, aliqua enim Confessio est pars Sacramenti, utì doctè evincit *Sylv.* p. 2. in fine, Orat. 1., non materialiter, ergo saltem formaliter integra. Hinc sequitur eum, qui sacrilegè aut invalidè est confessus aliquod peccatum, teneri illud iterum confiteri, quia talis Confessio fuit nulla.

§. 2. A Confessione materialiter integra 1142
non excusat præcisè infamia apud Confessarium incurrenda: quod meritò certum esse dicit *Esparsa* q. 90. a. 2. ad 3. quamvìs enim institutio divina non obliget ad gravia onera Sacramento extrinseca, tamen obligat ad intrinseca, quale est confusio propter proprium peccatum subeunda apud Confessarium, sequitur enim per se ad manifestationem peccati sui, quam præcepit Deus.

§. 3. Qui prudenter timet lapsum suum, si 1143
faciat longum examen circa peccata carnis, potest omisso diligentiore examine petere absolvi, saltem usque dum absit hoc periculum, confitendo in specie, quæ potest sine periculo, tum enim est impotentia moralis confitendi integrè. *Sporer* n. 468. *Tamb.* De conf. l. 2. c. 10. n. 21.

§. 4. Quamvìs multi doceant reticeri posse 1144
peccatum, ne manifestetur complex, utì insinuabitur n. 1752. tamen *Bonæspei* & *Steph.* tr. 5. d. 5. n. 162. rectè dicunt Confessarium posse interro-

terrogare pœnitentem, an sit in occasione proxima peccati, licèt ita venturus sit in notitiam complicis, per accidens enim est, quòd hujus peccatum etiam manifestetur. Et secundùm omnes cum *Lugo* d. 16. à n. 431. potest Confessarius cogere pœnitentem ad peccatum complicis, vel cujuscunque alterius, manifestandum illi, ad quem spectat scire & emendare, vel cavere periculum relapsûs aut alienæ seductionis: sed rectè monet *Mendo* d. 10. q. 5. n. 116. quod etiam dicam n. 1752. non expedire, ut Confessarius se offerat ad talem manifestationem faciendam, nam per hoc fit Confessio odiosa saltem apud alios, unde si necesse sit fieri, potiùs petat à pœnitente, ut extra confessionem de hoc ipsi loquatur, quod etiam suadet *Lugo* n. 435.

1145 §. 5. Uxores & matres sæpè excusantur, quæ peccata maritorum & filiorum saltem indirectè tangunt apud Confessarium, qui hos novit, id enim communiter faciunt ad necessarium consilium petendum, vel ad leniendum ingentem dolorem, & alioquin nimis durum foret continuò adire novos Confessarios, videnturque mariti & filii, quia peccârunt agendo contra uxores vel matres suas, excidisse jure suo ad illam famam retinendam, *Steph.* tr. 4. d. 6. n. 12. Consulendum tamen est, ut quantùm fieri potest, de alienis peccatis taceant & se solas accusent.

1146 §. 6. Quando pœnitens defectu temporis non potest Sacerdoti confiteri nisi unicum peccatum, si habet mortale, tenetur mortale confiteri, qualecunque tandem, & non necessariò gravissimum, *Ills.* n. 138. Similiter si confitea-

tur

tur in genere soli Sacerdoti, tenebitur dicere, peccavi graviter, *Ill.* n. 139. Ratio utriusque est, quia hoc ipso, quòd possit dici mortale in specie, vel saltem in genere, præceptum obligat, potéstque illi satisfieri; sed non obligat, ut unum dicam præ altero, ergo.

§. 7. Si quis cum causa reticeat peccatum, vel confiteatur in genere tantùm, non tenetur de tali peccato non expresso elicere contritionem perfectam, utì dictum est n. 1139. An habens reservata possit hæc reticere apud Confessarium non habentem potestatem in reservata, & à solis aliis absolvi, dicetur n. 1599. Quomodo ille, qui dixit se velle generaliter confiteri, possit nihilominus aliqua reticere, dicetur n. 1183. & 1879. 1147

*Q. 156. Quid addendum sit circa causas & modos dimidiandi confessionem vel absolutionem.* R. seqq. 1148

§. 1. Confessio tum dicitur dimidiari, quando pars peccatorum exprimitur & pars reticetur. Absolutio tum dicitur dimidiari, quando pœnitens est quidem dispositus ad absolutionem omnium peccatorum, & Confessarius etiam potestatem habet absolvendi ab omnibus, attamen ab omnibus non absolvit, quia restringit intentionem ad aliqua tantùm,

§. 2. Magnus concursus pœnitentium non est causa sufficiens dimidiandi confessionem, utì constat ex hac prop. 59. ab *Innocentio XI.* damnata, *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè confessos ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ.* Unde nunc non est audiendus *Gob.* tr. 6. n. 479. dicens oppositum esse probabile. 1149

1150 §. 3. *Lumbier* apud *Carden.* in 2. crisi d. 38. n. 14. etiam post damnatam illam propositionem putat adhuc causam dimidiandi confessionem sufficientem esse, si in concursu pœnitentium aliqui eorum non essent redituri ad confessionem, sed meliùs contradicit *Carden.* à n. 16. nam cùm tales possint redire, si velint, quòd ex malitia non sint redituri, non facit necessitatem physicam aut moralem absolvendi dimidiatè confessos, alioquin etiam deberem absolvere eum dimidiatè confessum, quem præviderem nihilominus iturum ad Communionem, quamvis non absolverem.

1151 §. 4. Idem *Lumbier* putat causam sufficientem dimidiandi confessionem esse, si pœnitens peregrinus bonâ fide accedat non satis examinatus, qui discedere statim debeat, neque possit ob multitudinem confitentium satis examinari à Confessario: sed neque hoc sufficit, nisi accedat impossibilitas moralis integrè confitendi, qualis esset, si pœnitens non esset capax ad examinandam Conscientiam, nec aliàs posset confiteri, & Confessarius v. g. ob fatigationem non posset eum diutiùs examinare, tum enim dimidiatè confessus posset absolvi, *Card.* n. 30.

1152 §. 5. Si pœnitens ritè dispositus confessus sit plura venialia, & Confessarius intendat eum ab aliquibus tantùm absolvere, validè absolvetur ab his & non ab aliis, quia potest unum remitti sine altero, & hoc sensu validè dimidiabitur illa absolutio venialium, hoc tamen est illicitum, fitque injuria pœnitenti, qui positâ ex parte sua dispositione & confessione talium peccatorum jus habet ad absolutionem adæquatam illorum.

§. 6.

§. 6. Si pœnitens confessus sit plura mortalia, & Confessarius intendat eum absolvere ab aliquibus tantùm, absolutio erit invalida defectu intentionis, quia Christus requisivit talem intentionem in Confessario, vi cujus saltem indirectè possent remitti omnia mortalia, noluit enim unum mortale remitti sine altero, quia voluit remitti per gratiam, quæ cùm constituat simpliciter amicum & filium adoptivum Dei, pugnat cum quocunque mortali, quod reddit odibilem & hostem Dei. 1153

§. 7. Si pœnitens suo Superiori confessus sit duo mortalia, unum ipsi reservatum, alterum ipsi non reservatum: aut si confessus sit solum reservatum, eò quòd Superior noluisset audire non reservatum, si iste Superior intendat directè absolvere ab hoc solo reservato, eúmque remittat ad Confessarium inferiorem pro directa absolutione ab altero non reservato, validè quidem à Superiore absolvetur à reservato directè & à non reservato indirectè, probabilius tamen est cum *Castrop.* t. 23. pu. 15. *Lugo* d. 20. s. 6. *Dicast.* d. 11. n. 317. *Aversa* q. 17. s. 9. *Moya* d. 1. q. 8. n. 18. aliisque plurimis contra S. *Anton. Sot. Palud. Nav. Led. Caj.* & alios, hoc esse illicitum, nam imprimis si pœnitens illi confessus est etiam non reservatũ, videtur per confessionem factam & acceptam acquisivisse jus ad illius etiam absolutionem, ideoque *Suar.* d. 31. s. 1. n. 2. sententiam *Medinæ* putantis eum licitè ad inferiorem remitti, dicit esse improbabilem, imò putat non posse non absolvi directè, quamvis de hoc dubitet *Lugo* num. 77. Deinde hoc ipso, quòd Superior nollet audire alterum non reservatum, peccaret, quia non videtur 1154

pro sua libertate facere posse, ut ita dimidietur confessio, quæ de jure divino debet esse integra. Et cùm confessio non possit, per se loquendo, esse dimidiata, multò minùs absolutio, potestas enim reservandi nullum speciale jus tribuit Superiori, ut alterutram dimidiet, maximè cùm non videatur ordinariè occurrere rationabilis causa sic dimidiandi, nisi fortè in raro casu, v. g. impossibilitatis audiendi reliqua: Neque enim sufficit multitudo negotiorum, utì rectè *Archid. Silv. Victor. Suar. Vasq. Tann. Laym. Fill.* t. 7. n. 301. contra *Rich. Sot. Nav. Caj. Sa, Henriq. Valent. Tolet.* Itaque debet Superior vel audire vel absolvere ab omnibus, vel pro omnibus remittere ad inferiorem, tollendo reservationem, quod potest etiam extra Sacramentum, aut huic communicando potestatem absolvendi etiam à reservato: Quid autem fieri debeat vel possit, si pœnitens communicare debeat, & desit Confessarius habens potestatem in reservata, dicetur n. 1599.

1155 *Q. 157. Quid dicendum sit de illo, qui Confessario ignoto confitetur mortalia, & postea ordinario suo Confessario sola venialia.* R. De hoc dicetur num. 1186.

1156 *Q. 158. Quid addendum sit circa absolutionem moribundi, qui jam dare non potest ulla signa pœnitentiæ.* R. seqq. §. 1. Moribundus, quamvis nunc nulla dare possit signa pœnitentiæ, potest & consequenter debet sub conditione absolvi, saltem tum, si resciatur petiviſſe Confessarium aut voluisse confiteri, ita Author opusc. 65. apud *S. Tho.* Tit. *De Sacram. Unctionis* sub finem, & sequuntur omnes Societatis Authores, teste *Gormaz* p. 2. num. 244. refértque Authores 32.

*Dian.*

*Dian.* p.3.t.3. R.4. *Aversa* q. 10. s. 17. refert 34. *Carden.* in 1. crisi d. 48. adhuc plures : & esse communem apud PP. Dominicanos, testatur *Casulas* apud *Moyam* d.6. q. 1. *Probatur* ex Concilio Carthag. IV. can.76. His verbis, *is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audiêrunt, & accipiat pœnitentiam.* Idē habetur ex Conc. Carthag. III. Cap. *ægrotantes* 75. De consecr. dist. IV. Item in Conc. Arausicano 1. can. 12. Et ita expresse statuitur à *S. Leone* Papa Cap. *His qui*, causâ 26. q.6. Item à Rituali Romano Tit. *De Sacram. Pœn.*, quod Rituale *Paulus V.* approbavit, & per expressam constitutionem, quæ est 85. apud *Cherubinum*, mandavit observari. Ideoque *J. Sanch.* apud *Moyam* dicit hanc sententiam esse ferè definitā, *Vasq.* & *Tolet.* vocant absolutè definitam à SS. Canonibus. *Nec obstat* decretum *Clementis VIII.*, de quo dicetur n. 1195., *nam* nihil dicit contra confessionem in absentia factam, dummodò sit ordinata ad absolutionem à præsente habendam. Quòd autem *Clemens* voluerit ejusmodi moribundum absolvi, imò dixerit se absoluturum, si casus se offerret, testati sunt *Cardin. Bellarm.* & *Archi-Episc. Armacanus* apud *Lugo* d.17. à n. 76. Accedit testimonium Patris *Suar.* apud *Tann.* q. 9. n. 16., qui scribit se ex ore *Clementis* VIII. & *Pauli* V., itemque ex sententia multorum Cardinalium habere, non fuisse unquam mentem Pontificum damnare absolutionem talis moribundi, quæ fieret à Sacerdote præsente : hinc certum videtur absolvi debere sub conditione. Ratio est, quia petendo Con-

fessarium externè confessus est se peccatorem, in necessitate autem sufficit confessio in communi, secundùm dicta n. 620. Deinde sufficienter confessus est Sacerdoti, quando alius ad Sacerdotem retulit istam ipsius confessionem, hic enim referens habet se, ac si moribundus ipse fecisset per litteras vel interpretem. Præterea probabiliter præsumitur esse dispositus, ergo lex Charitatis obligat Confessarium, ut proximo in extrema necessitate constituto subveniat, sicut potest. Nec ideo fiet irreverentia Sacramento, nam Sacramenta sunt instituta ad salutem hominum, ergo non est contra eorum reverentiam, sed maximè est secundùm eorum finem, si prout possunt, conferantur, ubi extremè periclitatur salus hominis. Deinde conditio salvat reverentiam Sacramenti, si enim moribundus non sit capax, non fit Sacramentum. Denique proximi necessitas excusat ab irreverentia, uti constat ex multis similibus casibus in l. 6. p. 1. n. 110. & 119. relatis. Videri potest etiam *Rayn.* in Heter. tom. 16. f. 1. p. 9. àn. 15.

1157 §. 2. Tenetur Sacerdos talem moribundum absolvere, quamvis unicus fide dignus testetur illum petivisse Confessarium, vel dedisse signa doloris, quia quando non agitur de præjudicio tertii, creditur uni testi, *Moya & Aversa* suprà, *Ills.* n. 140. *Dian.* R. 5. *Escob.* l. 15. probl. 51. *Herinx* d. 3. n. 70. aliique communissimè. Imò ferè omnes addunt cum *Gormaz* n. 258. sufficere, si id testetur etiam infidelis vel hæreticus, quia cùm sint hostes hujus Sacramenti, præsumi non potest, quòd falsò testentur in ordine ad hoc, ut Sacramentum fiat.

1158 §. 3. Idem dicendum est, quamvis testis hoc dixe-

dixerit absens à moribundo, ad quem solus Sacerdos accedat, uti tenent Authores graviſſimi, quorum 30. refert & ſequitur *Moya* q.2.ad quos accedunt *Averſa & Illſ.* ſuprà, *Lugo* num. 85. *Eſcob.* probl. 52. *Gorm.* n.257.& 265. *Platel.* nu. 771. *Gob.* t.7. n.599. cùm enim illa ægroti confeſſio fuerit facta ex intentione habendi abſolutionem à Sacerdote præſente, ſufficienter fuit ſacramentalis, & ſecundùm antè dicta in neceſſitate ſufficit.

§.4. Idem dicendum eſt, licèt teſtis hoc referens Sacerdoti non viderit aut audiêrit ipſe, ſed tantùm habeat ex relatione alterius. *Dicaſt. Dian. Herin.* & *Illſ.* ſuprà *Lugo* n.81. *Eſcob.* probl. 50. *Moya* à n. 6. parùm enim ad rem facit, quòd Sacerdos id mediatè reſciat, cùm ſatis ſit confeſſionem ſenſibilem à pœnitente eſſe poſitam & directam ad abſolutionem à Sacerdote habendam, hocque nunc cognoſci à Sacerdote. 1159

§.5. Idem dicendum eſt, quamvis ſigna pœnitentiæ aut doloris fuerint tantùm dubia, uti ſunt, quæ, ſecundùm ſe ſunt indifferentia, v.g. ſi viſus ſit tundere pectus, oculos ad cœlum tollere, aliquam imaginem devotè reſpicere, quia in articulo mortis quilibet præſumitur deſiderare optimum ſuæ animæ remediũ, ergo ſigna pœnitentiæ vel doloris in eo articulo exhibita cenſeri debent à pœnitente relata ad ſacramentalem abſolutionem. *Conſ.* nam ſaltem dubium eſt, ergo in extrema neceſſitate conſtituto ſuccurrendum eſt, quantùm ſuccurri poteſt: Et ideo probabiliter deducunt *Moya* n. 5. *Boſco* n. 170. *Eſcob.* probl. 47. contra *Laym. Lugon.* & *Dian.* ſi Sacerdos poſt *confiteor* in Miſſa incidiſſet in apoplexiam, eſſe ſub conditione abſolvendum. 1160

1161 §.6. Si certum esset, quòd talis ægrotus nullo signo externo manifestâsset dolorem, adeoque non posuisset ullam confessionem sensibilem, etiam certum esset absolutionem illi dandam fore invalidam, quia confessio sensibilis est de necessitate Sacramenti, secundùm dicta n. 669. Et ideo in Ordinatione pro studiis Superioribus in Societate JESU inter sententias Theologicas prohibetur, ne doceamus hanc 16. *Moribundus, etsi nullum signum det aut dederit contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putare possit præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest*: Unde à contrario,

1162 §. 7. Quia semper incertum est, an dolor non sit sufficienter manifestatus, adeoque an non aliqua confessio sufficiens sit facta, hinc, quidquid contradicant *Suar. Vasq. Laym. Mald. Con. Regin. Turr. Lugo Dian. Rayn.* n. 17. *Arr.* d. 36. n 34. aliique plurimi, probabile videtur, quamvis ægrotus non sciatur ullum signum pœnitentiæ aut doloris dedisse, adhuc posse absolvi sub conditione, saltem virtute aliarum actionum, quæ secundùm opiniones, licèt dubiè probabiles, nomine confessionis venire possunt, nam plures quàm 30. Authores apud *Vindicem Gob.* prop. 1 n. 23., quorum aliquos statim referam, dicunt quandam confessionem esse, si quis hactenus vixerit Christianè, si Sacramenta frequentârit &c., ideoque talem in subito casu mortis absolvendum esse. Hoc videtur expressè docere S. *Aug.* tom. 6. De adult. conjug. l. 1 c. ultimo, uti fusè ostendit *Bosco* àn. 131. Idem docent S. *Antoninus* in Sacerdotali Romano, & Memoriale Confessariorum approbatum à *Greg. XV.* cùm esset Archi-Epi-

scopus

scopus Bononiensis, uti ad longum refert *Schild.* tr. 6. n. 39. Eandem sententiam vocat nunc communem *Moya* q. 4., proqua adductis fusè nominibus, locis, & verbis refert graves Authores 16., qui eam absolutè tenent, item alios longè plures, qui defendunt ùt probabilem, & ex præcepto charitatis in praxi tenendam, ad quos accedunt *Gob.* n. 601. *Tamb.* De conf. l. 2. c. 10. n. 11. *Bass.* in floribus v. *Absolutio.* n. 13. *Schild.* suprà, *Escob.* probl. 55. *Carden.* suprà, *Aversa* s. 18. *Herin.* à n. 77. *Bosco* s. 9. concl. 6. *Quarti* in Rubr. miss. p. 3. tit. 10 n. 3. s. 1. dub. 3. *Arsd.* tom. 2. p. 2. tr. 3. cap. 2. n. 5 *Sporer* n. 645. & apud hunc *Bonagratia. Gorm.* n. 262. Rationes sunt 1., quia probabile est illum moribundum habere voluntatem confitendi, cùm quisque præsumatur velle salutem suam, adeoque & hoc medium salutis; sed etiam probabile est hanc voluntatem sufficienter manifestatam esse saltem per vitam Christianè ductam, secundùm antè dicta, confessio enim etiam diu antecedens potest dolorem consequentem sufficienter reddere sensibilem, uti tenent gravissimi Authores n. 700. relati: quivis autem bene vivendo intendit sibi prodesse, quantùm potest, ergo intendit manifestare se velle absolutionem à peccatis, quando maximè illâ indigebit & non poterit petere, adeoque pro illo articulo mortis, ergo. 2. Moribundus ille antehac est sæpius confessus, sed confitens habuit voluntatem saltem implicitam per illas confessiones acquirendi jus ad absolutiones etiam plures ab aliis sacerdotibus accipiendas de illis peccatis confessis, & indirectè etiam de aliis, si alioquin periclitaretur de salute, voluit enim

per illas confessiones saluti suæ omni meliori modo esse consultum ; est autem probabile confessionem unam, si veniat ad notitiam plurium Sacerdotum, esse virtualiter multiplicem, & sufficere ad plures absolutiones, uti colligitur ex dictis n. 647. Ergo probabile est ex vi confessionum antecedentium esse capacem novæ absolutionis de peccatis olim confessis, per quam indirectè remittentur etiam postea commissa. 3. & præcipuè quia videtur probabile, quòd ad absolutionem validam sufficiat dolor per signum externum manifestatus, licèt Sacerdos clarè illud signum non agnoscat, dummodo saltem sub dubio præsumat esse positum, uti docent *Aversa* & *Quarti* suprà, qui addunt locum dubitandi adesse, quandocunque non constat oppositum: Ratio autem illius asserti est, quia manifestatio externa doloris est aliqua confessio externa peccati, ergo sufficiet ad valorem absolutionis. Jam verò in casu posito præsumi potest moribundum dare vel dedisse ejusmodi signa externa doloris, uti notant iidem Authores aliique cum *Gob. Marschant. Sporer* à n. 647., nescitur enim, an non utatur ratione, & ejusmodi moribundi ordinariè dant externa aliqua signa, quibus fortè manifestare volunt suum dolorem, uti innuit S. *Th.* in 4. dist. 22. a. 1. quæstiu. 2. ad. 3. his verbis, *Contritio, quæ videtur tantùm interioris pœnitentiæ esse, invenitur in pœnitentia exteriori secundùm quædam signa, quibus sensibiliter manifestatur, vel aliis vel saltem ipsi pœnitenti, qui dolorem sensibilem percipit in seipso.* Ex his sic conficitur argumentum:

Est gravis obligatio ex charitate, ut Sacerdos in

in extrema necessitate proximi operetur ex opinione probabili saltem aliorum, uti habet communis cum *Moya* n. 35., imò opinio etiam tenuiter tantùm probabilis practicari debet, si aliàs proximè periclitaretur salus æterna proximi, uti tenent multi & graves auctores cum *Sanch. Moya* à n. 38. *Vind. Gob.* n. 27. *Viva* in app. ad prop. damnatas §. 11, quos secutus sum l. 1. n. 366. nec improbare audet *Illsf.* n. 146. quamvis acerrimè stet pro opposita sententia, nam periculum frustrandi Sacramentum pro salute humana institutum, est minus malum quàm periculum amittendæ æternæ salutis hominis, atqui hæc opinio est aliquo modo & saltem tenuiter probabilis, uti ex dictis patet, ergo.

§. 8. Jam dicta extendunt *Pont. Gormaz* n. 1163
265. aliique contra *Bosco* n. 172. etiam ad casum, quo quis subitò incideret in periculum mortis, quamvis antehac malè vixisset: hinc etiam *Escob.* probl. 55. *Sporer* suprà & alii dicebant sufficere, si constet fuisse christianum vel catholicum, quia si externè aliqua signa det, præsumi potest saltem dubiè, quòd faciat ex voluntate salvandi se, ideoque confitendi vel manifestandi dolorem, hoc enim prudenter præsumitur, quod communiter contingit, sed catholici in talem agonem lapsi communiter solent petere Confessarium vel manifestare dolorem, prout possunt, ergo. Ex his infert *Gorm.* n. 266. citans *Bonagratiam*, licèt aliquis actualiter peccando subitò destitueretur sensibus, regulariter sine absolutione dimittendum non esse: Hinc etiam *Tamb. Carden.* & *Stoz.* n. 97. dicunt christianum in duello vel adulterio con-

confossum, si superstit aliquid temporis ante mortem, vix dimittendum sine absolutione: Et quæ contra hactenus dicta objici possent, solvunt *Schild.* suprà, *Moya* à n. 36. *Gorm.* à n. 270 & fusiùs *Bosco* à n. 119. Aliqua addam n. 1865.

1164 §. 9. Certum est, si ille, qui fuit ægrotus, adveniente Sacerdote sit mortuus, non posse Sacramentaliter absolvi, quamvis antè dedisset signa pœnitentiæ, uti habetur Cap. *Multiplex* 49. De Pœn. dist. 1. quia ibi non est ampliùs homo, neque anima illa est ampliùs in statu viæ, Sacramenta autem sunt instituta pro hominibus viatoribus. *Nec obstat*, quòd *S. Thom.* opusc. 65. Tit. *De cautela in confessione habenda*, sic scribat, *Si infirmus petit pœnitentiam & antequam Sacerdos veniat ad eum, sit mortuus vel amiserit loquelam, Sacerdos habeat eum pro confesso, & post mortem absolvat eum*: *Nam* opusculum illud non esse *S. Tho.*, tenent nunc omnes communiter cum *Moya* n. 16., cujuscunque autem sit, sic explicari debet, quòd velit absolvi, uti absolvi potest, nempe à peccatis, si destitutus loquelâ abhuc vivat, aut si dubitetur de vita; si autem mortuus sit, ceremonialiter à censuris, ut sepulturâ & communibus suffragiis Ecclesiæ non careat.

*Obji.* Aliqui Medici tenent animam rationalem manere unitam corpori etiam uno vel altero quadrante post mortem vulgariter existimatam, ergo Sacerdos superveniens postquam aliquis ita est in propinquo tempore defunctus, tenebitur eum absolvere saltem sub conditione. R. Si opinio illa per authoritatem vel rationem fiat alicui saltem dubiè probabilis,

lis, c. seq. Oppositum autem hactenus putavi & adhuc puto esse certum.

## ARTICULUS III.

### *Quæ sint reliquæ conditiones Confessionis.*

RESP. Præter integritatem sunt hæ tres: » 1165
*Prima*: ut sit Vocalis, scilicet ordinariè: id-»
que propter usum, & praxim Ecclesiæ gravi-»
ter obligantem, nisi subsit justa causa, ùt impo-»
tentia, sive physica, sive moralis, quæ si adsit, »
potest fieri nutu, scripto alióve signo, v. g. si»
quis ob anxietatem loqui non possit; aut puel-»
la supra modum verecunda aliter se non pos-»
sit explicare, quàm scripto, quo à Confessario»
lecto, addat voce, de his me accuso, *Suar. Vasq.*»
*Lug. Lay. l. 5. t. 6. c. 6. n. 3.* Imò qui aliter non po-»
test, tenetur juxta communem sententiã con-»
fiteri per nutus aut scriptum, tempore præ-»
cepti, etsi id, quoad scripturam, non admittant»
*Nav. Tol. Sot. Val. Dian.* extra articulum mortis.»
*v. Lugo d. 15. num 87.* Similiter suadendum esse»
surdis, ut confiteantur scripto, (licèt ad id non»
teneantur) ne ab aliis audiantur. Eandémque»
ob causam eos non interrogandos, nisi de pla-»
nè necessariis, ex *Poss.* docet *Dian. p. 3. t. 4. R. 127.*»
*& p. 5. t. 6. R. 5. Unde resolves hunc casum*: »

Is qui extra necessitatem, totam confessio-»
nem facit nutu vel scripto, mortaliter peccat, »
ac consequenter non absolvitur. *Dian p. 3. t. 4.*»
*R. 127.* ex *Sylv. v. Fill. t. 7. c. 1. Kon. d. 6. dub. 1. Suar.*»
*d. 21. s. 3. n. 5.* »

*Secunda Conditio*, ut sit secreta, id est, ut fiat»
soli Sacerdoti, non quidem ex necessitate, sed»

usu

»usu Ecclesiæ. Publica autem, qualis in nau»fragio, prælio, hospitali, ubi alii adjacent, vel »per interpretem fit, non obligat (saltem re»spectu peccatorum occultorum) nisi ex chari»tate sui eum, qui in articulo mortis dubitat de »contritione; ac tum adhuc sufficit ea confite»ri, quæ minorem pariunt infamiam, *Suar. Fa»gund. Dia. R. 29. &c. Unde resolves,*

» Si quis peccata in prioribus confessionibus »oblitus esset, non tenetur etiam in articulo »mortis ea confiteri publicè, vel per interpre»tem; quia peccatorum oblitorum confessio »tantùm obligat ex præcepto positivo divino, »quod in hoc casu cessat. *v. Lay. c.6.Dian.R.128.* »& 129.

» *Tertia Conditio*, ut sit vera. Quod requiritur »essentialiter in materia substantiali & necessa»ria; quia aliàs in re gravi decipietur judex: ne»que esset confessio integra, ideoque irrita. Non »tamen in materia libera; tum quia falsitas »signi in accusatione circa materiam accesso»riam, non facit sententiam irritam; tum quia talis tantùm peccat venialiter, cùm non sit »graviter injurius Sacerdoti, nec Sacramento, »*Nav. Suar. &c. Unde resolves.*

» I. Non est mortale, nec irritat Sacramen»tum, 1. Si in confessione mentiaris leviter, cir»ca res non pertinentes, aut non necessarias ad «Sacramentum, v. g. si historiam falsam narras, »vel si neges veniale, vel mortale, quod non te»neris confiteri. 2. Si falsò te accuses de veniali: »quod tamen mortale grave erit, si id facias »non dando aliam materiam, cùm sic formam »reddas irritam & Sacramentum: nisi tamen »facias ex scrupulo, perturbatione, *Suar. Fill.* »*c. 4. Laym. c. 8. Dian. R. 96.* II.

II. Sacrilegium est, & absolutio nulla. 1. Si» mortale, quod confiteri teneris, & putas esse,» neges aut tegas, ne intelligatur, ùt communi-» ter docetur contra *Sylv.* 2. Si mortale tibi falsò» imponas; nisi tamen fiat ex simplicitate, scru-» pulo &c. 3. Si neges vel mentiaris circa pecca-» ta aliàs ritè absoluta, quando Confessarius, ùt» Judex vel Medicus, de iis aliquid, ùt necessa-» rium ad præsentem confessionem, interrogat,» *Lug. d. 14. à n. 142. Tambur. l. 2. c. 10. §. 2.* secus si ad» præsentem confessionem non faciat. *Ibid.* »

## ADDENDA.

*Quæst. 159. Quænam universim sint conditiones bonæ confessionis.* R. S. *Thom.* in suppl. q. 9. a. 4. eas comprehendit his versibus: 1166

*Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,*
*Atque frequens, nuda & discreta, libens, verecunda,*
*Integra, secreta & lachrymabilis, accelerata,*
*Fortis & accusans, & sit parere parata.*

Harum qualitatum aliæ sunt necessariæ, aliæ sunt ad bene esse confessionis, inquit S. *Thom.* cum quo sic explicari possunt, 1. *Simplex*, ut nihil non necessarium vel impertinens admisceatur. 2. *Humilis*, ut fiat cum agnitione suæ miseriæ, sine fuco vel ornatu verborum; item aperto capite & flexis genibus, quorum unum si sine causa rationabili omittatur, dicunt Authores cum *Escob.* l. 15. probl. 11. peccari venialiter. Huc etiam spectat, ut deponatur gladius, nisi pœnitens profiteretur militiam pro tuenda fide, quod faciunt Melitenses & Teutonici, de his enim docet *J. Sanch.* d. 45. meritò ge-

gestare gladium in receptione Sacramentorum, sed si etiam alii non deponant, notat n. 6. non fore peccatum, quamvis in his locis sit consuetudo deponendi ad humilitatem & majorem reverentiam. 3. *Pura*, ut fiat ex fine bono sive rectâ intentione. 4. *Fidelis*, ut sit sine mendacio & falsitate, ita ut nec neget, quod commisit, nec affirmet, quod non commisit, & dicat certa pro certis & dubia pro dubiis. 5. *Frequens*, ut sæpe fiat. 6. *Nuda*, ut peccata clarè manifestentur, non involvantur verbis dubiis vel obscuris, possitque intelligi, an veniale tantùm, an verò mortale sit contractum, sæpe enim, quamvis materia sit levis, peccatum propter erroneam vel dubiam conscientiam fuit mortale, & è contrà quando materia est gravis, propter defectum plenæ advertentiæ vel consensûs, peccatum fuit veniale tantùm, & hoc tenetur dicere pœnitens, quia ex materia intelligi non potest. 7. *Discreta* sive prudens, ut neminem præter se accuset. 8. *Libens*, imprimis ut non fiat ex metu humano, deinde ut pœnitens suâ sponte edicat peccata, nec opus sit per interrogationes extorqueri. 9. *Verecunda*, ut fiat imprimis verbis honestis, ita tamen, ut species peccati intelligatur: deinde non protervè per modum jactantiæ. 10. *Integra*, ut nihil necessarium omittatur, de quo jam antè satis est dictum. 11. *Secreta*, ut voce fiat ad aurem solius Sacerdotis. 12. *Lachrymabilis*, ut cum sincero dolore & proposito. 13. *Accelerata*, ut non diu differatur. 14. *Fortis*, ut propter verecundiam veritas non dimittatur, nec omittatur integritas. 15. *Accusans*, ut fiat tanquam à reo coram Judice ex intentione absolutionis; item ne peccata

cata sic excuset, quasi non sint peccata, vel ut mortalia appareant dubia aut venialia. 16. *Pars parata*, ut pœnitens paratus sit obedire Confessario, tum in acceptanda pœnitentia, quam injunxerit, tum in exequendis remediis peccatorum, quæ suggesserit. Potest videri *Stoz.* l. 1. p. 3. à n. 28., ubi hæc omnia fusè & ad praxin accommodatè explicat.

*Q. 160. Quid notandum sit circa finem malum, ex quo fieri potest Confessio.* R. §. 1. Si Confessio fiat ex fine mortaliter malo, invalidatur Sacramentum, quia tum deest verus dolor saltem de isto mortali, nec adest propositum cavendi omne mortale. Si autem fiat ex fine tantùm venialiter malo, poterit quandoque invalidari Sacramentum, plerumque tamen manebit validum, uti habet communis cum *Lugo* d. 15. n. 226. *Arr.* d. 38. n. 47. *Dicast.* d. 8. n. 81. *Aversa* q. 10. s. 5. *Bosco* d. 7. s. 7. à n. 97. contra *Sylv.* & alios paucos, qui putant tum semper invalidari Sacramentum, sed jam ostendetur oppositum, nam 1167

§. 2. Si fiat ex fine venialiter malo, v. g. vanæ gloriæ, hic actus imperans vanæ gloriæ potest se ita habere, ut efficaciter determinet ad actum imperatum essentialiter à se dependentem pro eodem instanti ponendum: & in hoc casu actus imperatus non habet propriam libertatem vel moralitatem distinctam à libertate vel moralitate actûs imperantis, consequenter si intentio confitendi concepta ex fine vanæ gloriæ efficaciter imperaret dolorem de peccatis pro eodem instanti ponendum, hic dolor tantùm haberet libertatem & moralitatem illius actûs imperantis, qui est peccaminosus, 1168

ergo dolor ille non esset actus bonus, ergo nec supernaturalis, ergo nec sufficiens pro Sacramento Pœnitentiæ, ergo tale Sacramentum esset invalidum. Hoc tamen rarò continget, quia intentio confitendi rarò imperat dolorem pro eodem instanti, quo primò est illa intentio, pro sequente autem tempore, quamvis dolor postea sit effectus illius intentionis, tamen est effectus contingenter secutus, quia potuisset revocari illa intentio & actus doloris non poni.

1169 §. 3. Quamvis ita præcesserit aut etiam adhuc comitetur actus vanæ gloriæ imperans Confessionem, tamen si dolor de aliis peccatis imperetur etiam ab alio actu honesto, v. g. ab intentione justificationis, dolor imperatus & ita contingenter sequens ad intentionem vanæ gloriæ poterit habere suam propriam libertatem & bonitatem intrinsecam, non enim procedet intrinsecè ex illo fine vanæ gloriæ, sed ex proprio suo motivo, v. g. turpitudinis peccati, ergo poterit esse intrinsecè honestus, supernaturalis & sufficiens ad valorem Sacramenti, cùm peccatum illud veniale vanæ gloriæ non pugnet cum efficace dolore de aliis peccatis, nec cum gratia per Sacramentum causanda. Et dicendum est ita fieri, si v. g. adolescentes confiteantur, ut censeantur pii sodales, ut placeant suis Magistris &c. si enim hoc non dicatur, cogemur dicere omnes ejusmodi Confessiones esse mortaliter sacrilegas.

1170 *Obj. 1. S. Thom.* 1.2. q.19. a.7. ad 2. ait, *voluntas non potest dici bona, si sit intentio mala causa volendi*, sed in nostro casu intentio mala erit causa volendi dolorem, ergo dolor non poterit esse bonus R. Tantùm vult volitionem, quæ pro fine

fine & motivo habet aliquid malum, non posse esse bonam, hinc statim subjungit, *qui enim vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id, quod de se est bonum, sub ratione mali*, hinc patet, quòd non loquatur de casu nostro, nam, secundùm dicta, volitio, quæ est dolor, non habet pro fine vel motivo vanam gloriam, sed pro fine habet justificationem & pro motivo turpitudinem peccati.

*Obji.* 2. Dolor ille habebit à motivo vanæ 1171
gloriæ, quòd existat, ergo non erit honestus. R. n. cons. sicuti si Superior ex meî odio mihi imperet orationem, mea voluntas orandi habet à motivo odii, quòd existat, sed non ideo est in se inhonesta.

*Inst.* 1. Actus ille imperans vanæ gloriæ habebit initium ex nobis, & dolor habebit initium ab actu illo imperante malo, ergo dolor habebit initium ex nobis, ergo non erit supernaturalis. R. n. secundam partem anteced. sicuti enim si ideo, quia peccavi, velim elicere dolorem, dolor meus, quamvis præsupponat peccatum & occasione illius fiat, non ideo habet initium à peccato vel ex nobis, sed à gratiis actualibus partim illustrantibus intellectum, partim moventibus voluntatem ad dolorem ponendum, ita & hìc, gratiæ autem illæ, quæ sunt initium doloris, causant actum honestum, quo imperatur dolor ex fine justificationis, & per accidens præcessit vel comitatur actus vitiatus ex motivo vanæ gloriæ, qui non obstat honestati intrinsecæ & supernaturalitati doloris.

*Inst.* 2. Actus intrinsecè bonus non potest imperari ex malo fine, sed dolor debet esse actus

intrinsecè bonus, ergo non potest imperari ex malo fine. R. Actus intrinsecè bonus non potest imperari ex malo fine, qui sit essentialis, & intrinsecus actui imperato, c. si finis malus sit actui imperato accidentalis & extrinsecus, n. actus enim intrinsecè bonus per respectum ad suum finem intrinsecum & ad sua motiva honesta potest per accidens denominari extrinsecè malus ex fine actûs imperantis, à quo dependet, non tamen procedit ex illius fine, neque in hunc illius finem tendit, sicuti oratio, quam Superior mihi imperat ex fine malo, est bona intrinsecè, sed denominatur extrinsecè mala ab imperio Superioris, ex cujus fine non procedit, sed ex alio sibi proprio & honesto, v. g. colendi Deum. Esse autem extrinsecè denominativè malum nihil aliud est, quàm esse malum in causa, sive procedere à causa mala, quod non obest bonitati ipsius intrinsecæ, sic enim causa Incarnationis de se bonæ fuit peccatum Adami.

1172 *Obji. 3.* Si actus malus possit imperare bonum, ergo actus bonus etiam poterit imperare malum. R. n. seq. quia bonum est ex integra causa, malum ex quolibet defectu, uti ex S. *Dionys.* habet *S. Tho.* 1. 2. q. 18. a. 4. ad 3. & q. 20. a. 2. O. ergo hoc ipso quòd actus aliquis imperet actum malum, habet finem & objectum malum, ergo est malus; ex hoc autem quòd actus aliquis pro fine & objecto habeat actum bonum, non sequitur esse bonum, quia aliunde ex motivo vel circumstantia potest esse vitiatus, uti constat ex dictis.

*Inst. 1.* Si bonum sit ex integra causa, ergo hic dolor imperatus per actum, cujus motivum est

est vana gloria, non erit bonus, quia non erit ex causa bona. R. Ergo hic dolor non erit bonus in se & formaliter, n. non erit bonus extrinsecè & denominativè in illa causa, quæ est intentio vanæ gloriæ, c. seq. sed hoc non obest bonitati illius intrinsecæ, uti constat ex dictis.

*Inst.* 2. Elicere dolorem ex malo fine imperatum est cooperari malæ intentioni imperantis, ergo est peccatum. R. Est cooperari formaliter, sive intendendo eundem malum finem, n. materialiter & non intendendo illum malum finem, sed alium honestum, nempe justificationem c. ant. & n. cons. nam ex dictis l. 2. à num. 150. certum est sæpè honestum esse materialiter cooperari actioni malæ.

*Obji.* 4. Quando intentio finis est mala, ele- 1173
ctio medii est etiam mala, ergo quando actus imperans est malus, actus imperatus etiam est malus. R. n. cons. electio medii est propter utilitatem medii ad finem, ergo intrinsecè intendit illum ipsum finem malum, quem intendit intentio, ergo si intentio finis sit mala, etiam electio medii est mala: E contrà actus imperatus non necessariò intendit omnem finem, quem intendit aliquis actus imperans, uti constat ex dictis.

*Inst.* Finis intentionis hìc est malus, nempe vana gloria, sed dolor & Confessio sunt veluti electio medii ad istum finem, cùm per Confessionem comparanda sit vana gloria, ergo. R. n. min. nam idem actus imperans est intentio vanæ gloriæ & electio doloris ac Confessionis tanquam medii ad obtinendam vanam gloriam, hinc dolor & Confessio sunt tantùm hoc, quod eligitur in ordine ad vanam gloriam,

ipsa autem non sunt electio vanæ gloriæ, nec pro fine suo intrinseco habent vanam gloriam sed justificationem, & per accidens ac planè extrinsecum ipsis est, quòd ad alium finem referantur ab actu imperante malo.

1174 *Obj. 5.* Est mortalis irreverentia intendere Sacramentum ex fine quamvìs venialiter tantùm malo. R. n. ass. est enim improbabile, inquit *Arr.* num. 45. hoc ipso peccari mortaliter, quòd aliqua actio sacra ordinetur ad finem malum, quamvìs enim in hoc sit aliqua inordinatio, si tamen hic finis sit tantùm venialiter malus, non potest refundi malitia nisi venialis, quia finis non potest, per se loquendo, dare electioni majorem malitiam, quàm in se habeat, hinc etiam communicare ex vana gloria non potest esse nisi veniale.

Hactenus dicta possunt videri fusissimè deducta apud *Lugo* d. 15. s. 9. & 10.

1175 *Q. 161. Quid addendum sit circa fidelitatem & sinceritatem in Confessione observandam.* R. seqq. §. 1. Mentiri in Confessione est non tantùm contra veracitatem, sed etiam contra religionem adeoque sacrilegium, quia est irreverentia contra Sacramentum vel ejus authorem, quæ potest esse gravis vel levis, utì habet communis cum *Suar.* d. 22. s. 10. n. 3. & *Ills.* n. 61. E contrà mentiri in Confessionali quidem sed ante Confessionem vel post absolutionem non ideo est sacrilegium., quia hoc mendacium non afficit Sacramentum, *Gob.* tr. 6. n. 545. *Ills.* n. 60.

1176 §. 2. Qui mentitur circa materiam necessariam Confessionis, vel negando mortale, quod fecit, vel affirmando mortale, quod non fecit, peccat mortaliter, quia sic mentiens vel non con-

onfitetur integrè, vel saltem decipit Judicem n re gravi spectante ad substantiam judicii, consequenter tollit à Sacramento veram rationem judicii, ergo committit irreverentiam gravem, *Suar.* n. 11. *Gormaz* p. 2. num. 150. quod *Lugo* d. 16. n. 100. meritò dicit esse certum, si neget mortale, quod fecit. Et idem certum esse dicunt *Aversa* s. 10. q. 5. & *Tamb.* De conf. l. 2. c. 10. n. 39. si affirmet mortale, quod non fecit. Si autem mortale, quod non fecit, dicat se quidem feciſſe, sed antehac esse confessum, quamvis *Lugo* d. 14. n. 125. *Dicast.* d. 8. n. 57. *Aversa* suprà adhuc dicant fore mortale, quia mendacium grave cumulat novo mendacio, tamen probabiliter contradicunt *Tann.* & *Bosco* s. 7. nu. 164. quibus favet *Arr.* d. 31. num. 62. hoc ipso enim, quòd addat se antehac confessum, jam non vult super illud cadere substantiale judicium Confessarii, sed vult judicari de illo tanquam de materia libera, in quo judicio, quamvis erret Confessarius, errat circa materiam non necessariam Confessionis, & de qua non opus est hìc & nunc ipsum judicare; si autem fingat mortale & nihil addat, sed illud quasi primò confiteatur, decipit Judicem in materia, quam ex modo confitendi significat esse necessariam.

§. 3. Qui mentitur circa materiam non ne- 1177
cessariam Confessionis, vel negando veniale, quod fecit, vel affirmando veniale, quod non fecit, vel mentiendo circa peccata etiam mortalia aliàs ritè confessa, aut quæ hìc & nunc non tenetur confiteri, peccat tantùm venialiter, dummodo absolutioni subjiciat aliam materiam sufficientem, de qua habeat sincerum dolorem & propositum, *Suar. Vasq. Arr.* n. 55. *Lugo*

d.16.n.99.*Castrop.* tr.23.p.10.n.4. *Dicast.* n.51. *Gormaz* suprà, *Ill.* n.61. *Stoz* l.1. p.3. n.34. quod *Tamb.* nu.43. dicit esse certum, est autem contra *S.Bonavent. Caj. Palud. Ledesm. Arm.* & alios, qui putant fingere veniale in Confessione semper esse mortale, sed ratio nostra est, quia licèt sit aliqua irreverentia, tamen non probatur esse gravis, cùm non tollat rationem veri judicii respectu substantialium, & Confessarium decipiat tantùm in materia libera, sine qua potest esse valor Sacramenti. Hinc sequitur contra *Dicast.* n.61., si quis confiteatur mortale antehac ritè confessum, quamvis de hoc non doleat, dummodo doleat de aliis, quæ confitetur, non peccaturum mortaliter. Idem certum esse dicit *Tamb.* n.44. si neget mortale ritè confessum, nec faciens ad præsentem Confessionem. *Dixi*, dummodo absolutioni subjiciat aliam materiam sufficientem, nam si nihil confiteretur præter veniale fictum, peccaret mortaliter, non ratione mendacii, sed quia faceret absolutionem esse irritam, utpote carentem debitâ materiâ, utì notant omnes communissimè cum *Gob.* n.541. *Stoz* n.34. *Dian.* p.3. t.4. R.96. contrà *Phil. Fabrum.*

1178 §. 4. Mortale est confiteri mortale dubium tanquam certum, vel certum tanquam dubium: item confiteri determinatum numerum mortalium pro dubio, aut dubium pro determinato, aut majorem quàm reipsa putes esse, quia corrumpis judicium in re gravi, quamvis aliquando excusat bona fides & ignorantia, secundùm dicta n.922.

1179 §. 5. Si confitearis mortale, & dicas te illud antehac confessum esse, cùm tamen non sis con-

confessus, aut te non esse confessum, cùm tamen sis confessus, *Dicast.* d. 9. nu. 147. dicit te peccare tantùm venialiter, quia explicas totam malitiam peccati, quòd autem sis vel non sis confessus, non tenet se ex parte peccati, sed tantùm ex parte tua, nec immutat peccatum in se. E contrà *Tamb.* c. 1. n. 6. *Bosco* à n. 183. dicunt esse mortale, quia licèt hoc non immutet peccatum physicè, tamen immutat moraliter, & directè pervertitur judicium Confessarii circa materiam notabilem confessionis, quod enim erat materia necessaria, dicis esse liberam, & quod erat libera, dicis esse necessariam, ergo est aliquid moraliter se tenens ex parte peccati explicandi, ergo sicuti peccat mortaliter secundùm omnes cum *Castrop.* suprà, qui confitens mortale dicit esse veniale, aut confitens veniale dicit esse mortale, ita & hìc. Et quidem si dicas te confessum esse, quando confessus non es, meritò cum *Castrop.* tenet *Illf.* n. 119. ac videntur certò evincere illa, quæ fusè adfert *Moya* d. 1. q. 3. §. 2. ideoque *Leander* apud eundem n. 17. dicit hoc esse certissimum. Si autem mortale aliàs confessum dicas non esse confessum, probabiliter videtur loqui *Dicast.* secundùm dicta n. 1177.

§. 6. Si confitearis peccatum antehac con- 1180
fessum, non est opus hoc exprimere, dummodo non neges te esse confessum, *Suar. Sanch. Côn.* aliique communissimè cum *Moya* n. 18. contra *Turr.* & alios. Ratio est, quia confiteris totam malitiam, quæ est ex parte objecti, prout semper manet materia confessionis. *Nec obstat*, quòd peccatum remissum plùs differat à non remisso quàm veniale à mortali, sit autem obli-

gatio exprimendi, an sit veniale an mortale, *nam* si argumentum valet, ergo etiam in prima confessione exprimere debes, si fueris de illo contritus, tum enim etiam esset remissum, hoc autem nemo dicit: Itaque esse veniale vel mortale, est substantia peccati ex parte objecti, hinc debet exprimi, esse autem confessum vel non confessum est circumstantia ex parte pœnitentis, de qua non necessariò judicare debet Confessarius.

1181 §. 7. Si confitearis mortale antehac non confessum, te teneri hoc exprimere docent *Th. Hurt. Bonæspei, Castrop.* n. 8. & accerrimè *Moya* §. 2. item *Turr.* vocans oppositum pernicioſum & improbabile, tum quia hoc plurimùm facit ad formandum judicium de statu pœnitentis & ad imponendam pœnitentiam, tum quia aliàs confessio non erit verecunda, quæ tamen duo *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 5. requirit ad hoc Sacramentum. Oppositum tenent *Bonac. Homob. Verric. Dian. Lugo, Dicast. Amic. Tamb.* n. 1. *Arr.* n. 19. *Bosco* à n. 173. *Aversa* s. 2. §. *Rursus, Gob.* tr. 7. n. 585. *Ills.* nu. 118. dicentes posse confiteri præscindendo ab hoc, quamvis prævideat Confessarium putaturum esse antehac confessum, dummmodo ex vi confessionis non inducat in illum errorem, sed tantùm permittat: Et *Lugo* dicit *Turr.* sine fundamento excessisse in illa censura, *Arr.* dicit gravissimè errâsse: Addunt *Suar. Côn. Sanch. Dicast.* n. 294. eum, qui confitetur peccatum, de quo dubitat, an antehac sit confessus, non teneri dicere sè dubitare, an sit confessus, uti nec quòd commiserit ante vel post ultimam confessionem: *Ratio* horum omnium est, quia quòd fuerit confessus vel non,

quòd

quòd commiserit ante vel post ultimam Confessionem, non immutat malitiam p ecati, quam totam explicat, nec opus est Confessarium de istis positivè judicare, sed absolvere debet peccatum, ac si nunquam fuisset confessus, & quamvis recenter esset commissum, id enim censetur velle pœnitens, hoc ipso, quòd non dicat se antehac esse confessum, verecundiam autem debitam & sufficientem habet hoc ipso, quòd dicat se tale peccatum commisisse. *Nec obstat*, quòd pœniteus teneretur ista fateri, si Confessarius interrogaret, *nam* teneri negat *Dicast.* n. 147. & idem insinuat *Arr.* n. 21. hoc tamen concesso, non sequitur pœnitentem teneri suâ sponte hoc dicere, sicuti secundùm dicta à n. 968. non teneor ex me dicere, an habeam consuetudinem peccati, quod confiteor, quamvis tenear fateri, si interroger: hinc

§. 8. *Aversa* §. *Similiter. Dian.* p. 11. t. 6. R. 1182
22. *Dicast.* n. 149. *Tamb.* n. 2. *Ills.* suprà aliique Authores secundæ sententiæ inferunt contra *Martinon* & Authores reliquos primæ sententiæ, illum non peccare, qui dicit se velle confiteri generaliter, & peccatis confessis miscet nova nunquam confessa, tacendo nunquam esse confessa, nam per illa verba, *volo confiteri generaliter*, non dicit se velle confiteri sola peccata antehac confessa, sed illa, quæ fecit in vita, sive sint nova, sive antiqua; & hanc sententiam vocat meritò longè communiorem *Lohn.* De conf. p. 2. c. 12. §. 2. q. 10. dicitque securè practicari. In utroque tamen casu excipiunt omnes, 1. Si inter nunquam confessa esset reservatum, à quo absolvere non posset hic Confessarius. 2. Si species peccati nunquam confessi aliter

ter non intelligeretur, v. g. quia recenter emisit votum castitatis, & peccatum contra castitatem intelligeretur, quasi factum ante votum. 3. Si Confessarius alioqui sine alia justa causa esset impositurus pœnitentiam longè minorem & improportionatam, quia malè supponeret omnia antehac expiata esse, tum enim per accidens esset obligatio distinguendi non confessa à confessis, aut saltem petendi majorem pœnitentiam, hinc ordinariè semper expedit distinguere non confessa à confessis, etiam ideo, quia circa nunquam confessa communiter diligentiùs interrogare debent Confessarii, ut bene explicetur species & numerus, quod ordinariè supponitur factum esse circa confessa.

1183 §. 9. Si quis dixisset se velle confiteri generaliter de tota vita, & sponte omitteret aliqua mortalia antehac rite confessa, certum est, inquit *Arr.* n. 23. non ideo peccaturum mortaliter, quia si mentitur, hoc non fit in materia necessaria confessionis: Si autem tantùm dixisset se velle confiteri de tota vita, non ideo nequidem sub veniali teneretur confiteri omnia, tantùm enim significavit, se velle aliqua ex singulis partibus vitæ. Quòd si initio voluisset & dixisset se velle generaliter confiteri omnia de tota vita, postea autem ex rationabili causa superveniente omitteret aliqua, etiam non peccaret nequidem venialiter, quia tantùm mutaret priorem voluntatem, quam non tenebatur retinere, nec tenetur illius mutationem manifestare Confessario, *Diana* p. 3. t. 4. R. 86. Si tamen initio hoc dicens habuisset voluntatem reticendi aliqua mortalia, communior sententia est cum *Lugo* n. 56. fore mendacium, sed veniale

niale tantùm, quamvìs *Tamb.* n. 7. *Stoz* suprà, *Dicast.* n. 163. adhuc excusent ab omni peccato, quia sensus illorum verborum videtur esse accommodus, scilicet quòd vellet confiteri omnia, prout ipsi videretur, vel prout placeret, & ita videntur verba illa intelligere Confessarii, sicuti enim non ideo tenetur confiteri omnia etiam venialia, ità nec mortalia.

§. 10. Dicere unum individuum physicum 1184
peccati pro alio non invalidat confessionem, utì rectè cum aliis *Moya* q. 2., dummodo sit eadem malitia moralis in utroque: hinc dicere se occidisse anno præterito, cùm sciat se occidisse hoc anno, est tantùm veniale mendacium, *Arr.* n. 22. *Bosco* à n. 186. Quod verum est, etiam in sententia identificante actionem cum sua duratione, quidquid contradicat *Dicast.* à n. 150., quia quamvìs duo illa homicidia in esse physico distinguantur, tamen sunt moraliter idem, nec notabiliter ideo immutari debet judicium Confessarii, quod fertur, non secundùm species entis seu naturæ, sed secundùm speciem moris, inquit rectè *Suar.* d. 22. s. 2. n. 3. totam autem moralitatem expressit, quæ erat occidisse, occidisse autem hoc vel præterito anno non erat materia necessaria confessionis. Idem est, si dicat se occidisse Petrum, cùm sciat se occidisse Paulum, inquit *Moya* & *Bosco* suprà contra *Lugo*, *Tamb.* & *Leandrum*, quia solum homicidium erat materia necessaria, quod autem esset Petri aut Pauli, non erat necessarium exprimere. Idem est, si dixerit se occidisse gladio, cùm sciat se occidisse cultro, hoc enim non diversificat peccatum in esse moris, *Cón.* d. 7. dub. 2. Hinc qui dixit se peccâsse

câsse cum Caja, licèt postea recordetur fuisse Titiam, non ideo tenetur quidquam repetere, utì omnes fatentur. Excipe semper, nisi ratione diversitatis physicæ accederet alia species vel malitia moralis, v.g. si Paulus occisus fuisset Sacerdos, non autem Petrus, si Titia corrupta fuisset cognata, non autem Caja, & ita de similibus.

1185 §. 11. Si quis in Confessione mentiatur in re gravi non pertinente ad Confessionem, v. g. si in re falsa graviter detrahat proximo, aliqui putant non addi speciem sacrilegii, cùm non sit in re spectante ad Confessionem, sed certum est ideo esse sacrilegium, quia per actuale mortale absolutio redditur irrita.

1186 §. 12. *Victoria* putavit illum, qui priùs alteri confitetur mortalia, & postea suo ordinario Confessario sola venialia, invalidè confiteri, & eò etiam inclinat *Sylv.*, quia talis videtur in re gravi committere hypocrisin & reale mendacium, dum sic confitendo æquivalenter dicit se ab ultima Confessione illi factâ commisisse sola venialia: sed *Suar. Côn. Laym. Henriq. Raynàud. Lugo* n. 57. *Castrop.* n. 10. *Dicast.* n. 164. *Dian. R.* 133. *Burgh.* cent. 2. casu 79. *Gormaz.* n. 151. & reliqui omnes, teste *Arr.* n. 23. meliùs dicunt, per se loquendo, id esse licitum, utitur enim jure suo, & quòd Confessarius decipiatur, hoc permittit: Imò licèt à suo Confessario interrogatus diceret se ab ultima Confessione ipsi facta non commisisse mortale, *Rayn.* putat nullum fore peccatum, si subintelligat, *ut tibi fateri tenear. Bosco* n. 171. putat saltem fore veniale tantùm, cùm sit circa materiam non necessariam hujus Confessionis: rectè tamen addit melius

lius esse sincerè totam Conscientiam ordinario Confessario aperire: hinc *Lugo* d. 15. nu. 184. dicit regulariter esse vituperabile ita dimidiatè confiteri uni & alteri: *Castrop.* dicit timendum, ne incognitos Confessarios quærendo salutem animæ amittat: putatque cum *Dicast.* d. 8. n. 89. in eo intervenire aliquid vanitatis vel similis affectûs: & communiter signum est animi non satis dispositi ad emendationem, pro qua medium optimum est adire & sequi unum Confessarium. *Dixi*, per se loquendo, nam si pœnitens ideo faceret, quia esset in proxima occasione peccandi ordinario Confessario notâ, quam nollet vel difficillimè vellet deserere; aut quia aliunde timeret sibi ab illo negandam absolutionem; aut si prævideret sibi defuturum consilium necessarium ad cavendos relapsus, invalidè confiteretur, quia non esset paratus præstare id, ad quod justè obligandus esset. Quòd si suo ordinario priùs confiteretur sola venialia, & postea alteri mortalia, patet primam Confessionem fore sacrilegam defectu integritatis. Et occasione hujus casûs monent rectè Authores, Confessarios non debere ita arctare pœnitentes, ut sibi solis confiteantur, de quo plura dicam n. 1772.

§. 13. Si quis nolens confiteri, ingrediatur 1187
Confessionale, simulando formaliter, id est, intendendo, ut videntes judicent illum velle confiteri, est reale mendacium & peccatum veniale, secundùm dicta l. 6. p. 1. n. 151. Si autem faciat volens loqui Confessario, quamvis prævideat alios putaturos, quòd confiteri velit, nullo modo peccat, quia est simulatio materialis tantùm circa rem indifferenter se habenbenbenb

bentem ad Sacramentum, ideoque potest errorem illum in circumstantibus permittere, uti cum *Carden.* & aliis dixi ibidem. n. 158.

1188 *Q. 162. Quid addendum sit circa conditionem illam, ut Confessio sit secreta.* R. seqq. §. 1. *Conc. Lateranense* cap. *Omnis utriusque sexûs.* De pœn. & remiss. sic habet, *Omnis &c. sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur. Trid.* autem sess. 14. De pœn. c. 5. ait, *Cæterùm quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum & suî humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda, unde cùm à sanctissimis & antiquissimis Patribus magno unanimiq; consensu secreta confessio sacramentalis, quâ ab initio Ecclesia sancta usa est & modò etiam utitur, fuerit semper commendata &c.* Et can. 6. sic definit, *Si quis &c. dixerit modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica semper observavit & observat, inventum esse humanum, anathema sit.*

1189 §. 2. Ex relatis locis patet, imprimis contra Hæreticos, Confessionem ordinariè debere esse secretam, pro quo etiam sanctos Patres adducit *Suarez.* d. 21. s. 2. n. 2. Deinde contra *Gabrielem* & alios apud *Escob.* l. 15. n. 306. non esse de necessitate Sacramenti, ut Confessio sit secreta, sed posse esse publicam: in quo non contradicere *Scotum* conatur suadere *Bosco* s. 7. à n. 8. Præterea contra *Henriq.* & *Gran.* apud *Escob.* n. 309. non esse præceptum divinum, ut Confessio sit secreta, hoc enim satis apertè docet

*Trid.*

Trid. suprà, dicuntque etiam S. Tho. aliique communissimè cum *Dicast.* d.8. n.20., qui addit esse certum. Denique licèt *Suar.* n.12. dicat propter Ecclesiæ consuetudinem contrariam non carituram culpâ, qui sine ulla causa rationabili publicè confiteretur, tamen communior sententia est cum *Escob.* n.314. & *Stoz* l. 1. p. 3. n.79. contra *Valent. Gran.* & *Fagund.* non fore mortale, sed ad summum veniale, nulla enim ratio evincit, quòd talis consuetudo graviter obliget, & saltem tum erit veniale, si pœnitens sine justa causa vel prudente motivo ita famam suam prodigat: mortaliter autem peccant illi Confessarii, de quibus *Stoz* n. 80. qui pueros doli capaces faciunt simul publicè confiteri, ut sic se citò ab audiendis singulorum confessionibus expediant, hoc enim est contra sigillum, contra omnem praxin Ecclesiæ, & aptum parere scandala ac causare confessiones sacrilegas per reticentiam aliquorum mortalium in aliquibus ejusmodi pueris, saltem ratione conscientiæ erroneæ. Confessarium autem non posse peccatorem occultum in foro sacramentali cogere ad publicam pœnitentiam, aut ideo illi negare absolutionem, quia publicam pœnitentiam admittere recusat, probabitur num. 1265.

§. 3. Non est obligatio, nequidem semel 1190
in anno, confitendi per interpretem, cùm tantùm præcipiatur confessio secreta, quæ fiat à solo pœnitente vel soli Sacerdoti, uti constat ex relatis verbis Conciliorum, docentque Authores plurimi cum *Scot. Suar. Vasq. Gran. Bon. Fagund Gormaz* nu.37. *Dicast.* d.7. s.14. *Castrop.* tr. 23. p.8. n.12. *Lugo* d.5. n.75. *Stoz* n.77. *Bosco* n.

22. *Busenb.* suprà: quòd *Valent. Arr.* d. 51. n. 53. *Bosco* n. 35. *Busenb.* extendunt etiam ad articulum mortis, si enim scirem Confessarium unico homini revelaturum meam confessionem, non tenerer etiam in articulo mortis ei confiteri, ergo nec tenebor per interpretem. E contrà teneri aliquando, & speciatim in articulo mortis, docent *Con. Lugo* n. 66. *Escob.* n. 323. *Laym.* l. 5. t. 6. c. 6. n. 5. putatque meritò *Castrop.* n. 13. certum esse, si quis non sit certus de contritione, de qua nunquam est aliquis satis certus. Addit *Averja* q. 10. s. 5. quamvis de contritione esset moraliter certus, adhuc pro majori securitate salutis teneri confiteri saltem aliquod veniale, de quo non erubescit, ut sic indirectè ab omnibus absolvatur: Et *Dian.* p. 3. t. 4. R. 29. suadet, ut sic confiteatur etiam omnia mortalia, quia sic magis consulit securitati salutis in extremo periculo, nec certum est non esse obligationem ad hoc etiam ex præcepto divino, uti suadent illa, quæ habet *Escob.* n. 322.

1191. Q. 163. *Quid addendum sit circa conditionem confessionis, ut fiat vocaliter apud Sacerdotem præsentem* R. seqq. §. 1. *Conc. Florent.* in Decreto *Eug. IV.* Ad Armenos, pro materia hujus Sacramenti assignat confessionem oris: Et *Benedictus XI.* in extrav. *Inter cunctas*, De privilegiis, sic habet: *Nisi articulus necessitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris confessio, prout scriptum est: Corde ad justitiam creditur, ore autem fit confessio ad salutem.* & Cap. *Quem pœnitet.* 88. De pœn. Dist. 3. sic habetur: *Præcepit Dominus mundandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentiâ confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda, quia per vos peccastis, per vos eru-*

erubescatis, erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. Ex his patet confessionem, ordinariè saltem, fieri debere voce pœnitentis.

§. 2. Accusatio suî tanquam peccatoris se- 1192.
cundùm omnes, teste *Escob.* l 15. n. 324. potest sufficienter fieri per nutus vel aliqua signa, itemque per scripturam, utì patet in mutis, quos certum est, inquit *Escob.* n. 342. teneri per nutus confiteri, ut præceptum impleant. Et in necessitate sufficienter fieri per quodcunque signum externum doloris, constat ex dictis à n. 1156. de absolutione moribundi: Hinc etiam patet confessionem quandoque fieri posse scripto, nutu vel aliis signis.

§. 3. Nemo tenetur scribere confessionem, 1193.
ne peccata è memoria excidant, utì contra *Vasq.* & alios tenent *Caj. Sot. Valent. Henriq. Tann. Aversa* q. 10. s. 4. §. *Quartò*, *Castrop.* tr. 23. p. 10. n. 3. *Dicast.* d. 8. n. 244. *Sporer* nu. 487. tum quia non teneor adhibere nisi moralem diligentiam, ne peccata memoriâ excidant, quam adhibere possum sine scriptione; tum maximè quia confessio petit esse secreta, omnis autem scriptura ex suî natura nata est esse publica, inquit *Scotus* in 4. dist. 17. in fine, præsertim si debeat diu asservari.

§. 4. *Ledesm. Victor. Sot. Nav. Valent. Barb.* 1194.
*Dian.* apud *Escob.* n. 346. & *Aversam* suprà, item alii cum *Laym.* n. 4. *Castrop.* p. 8. n. 11. *Stoz* n. 81. absolutè dicunt nequidem mutum teneri confiteri scripto, quia modus ille confitendi est secundùm se publicus. E contrà *Suar. Vasq. Lug.* n. 87. *Escob.* n. 341. & 347. *Aversa* suprà *Arr.* n. 60. *Dicast.* n. 239. *Gorm.* nu. 38. probabiliùs dicunt, si quis loqui non possit, aut prævideat se

non posse integre confiteri, nisi ex scripto, & prudenter non timeatur manifestatio confessionis apud alios, quia nempe statim postquam scripserit, poterit Sacerdoti ostendere vel confiteri, & comburere, tùm fore obligationem scribendi, qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media licita de se facilia: & cùm absit morale periculum manifestationis, scriptura in his circumstantiis non magìs censetur aliquid publicum, quàm nutus vel voces, quas audire vel observare etiam posset alius latens in insidiis.

1195. §. 5. Confessio ordinariè fieri non debet scripto, maximè ad Sacerdotem absentem, uti patet ex dictis, hinc *S. Th.* in suppl. q. 9. a. 3. ad 3. dicit potiùs laico quàm Sacerdoti absenti per scriptum faciendam esse confessionem. Idem videtur declarâsse *Clemens VIII.* per constitutionem 87. apud *Cherubinum*, ubi damnat hanc propositionem ad minùs ùt falsam, temerariam & scandalosam, nimirum *licere per literas seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, prohibetque sub excommunicatione doceri vel practicari tanquam aliquo casu probabilem. Declaravit autem idem *Clemens*, uti ostendit *Dicast.* d. 9. à n. 831. docentque gravissimi Authores cum *Platel.* n. 756. quòd confessio absenti facta non sit invalida, si fuerit ordinata ad absolutionem à præsente Sacerdote accipiendam, unde *Suar.* & alii apud *Castrop.* nu. 9. qui putârunt propositionem illam non esse damnatam divisivè, id est, quoad singulas partes, sed complexivè propter partem posteriorem falsam, ideo excusantur, quia putârunt *Clementem* loqui De confessione ordinata ad

abso-

absolutionem à præsente Sacerdote accipiendam; sed nunc satis certum est *Clementem* esse locutum de confessione non ordinata ad absolutionem à præsente Sacerdote accipiendam, sed propositio illa volebat confessionem esse sacramentalem, quamvis ordinaretur ad absolutionem accipiendam ab absente, hinc certum est propositionem illam esse damnatam etiam divisivè, uti rectè probat *Gonet* d. 12. à num. 58. Qui autem longiorem voluerit historiam controversiæ olim habitæ inter Dominicanos & Jesuitas circa confessionem inter absentes, legat *Gormaz* à n. 232 ubi fusè contendit, ex hoc quòd sacra Inquisitio voluerit ex tractatu Patris *Suar.* De Pœn. d. 21. amoveri sect. 4. in qua quærebatur, an liceret confiteri absenti, non ideo esse factum, quia confessio nunquam valeret inter absentes, sed quia tò *Confessio* sæpe significat totum Sacramentum Pœnitentiæ, quod certum est inter absentes confici non posse, unde sententia *Suar.*, qui tantùm volebat confessionem scripto factam ad absentem ex intentione absolutionis à præsente, non est passa per Decretum *Clementis* VIII. vel *Pauli* V. Videri potest etiam *Viva* in append. ad propos. damnatas §. 10.

§. 6. Si per literas peccata miseris Sacerdoti, qui ea legerit, & huic factus præsens dicas, *accuso me de peccatis illis, quæ scripsi, & peto absolvi*, communis sententia est cum *Arr.* n. 57. *Gonet* n. 47. *Steph.* tr. 5. d 5. n. 194. *Stoz.* l. 2. n. 99. confessionem illam sufficere, quia in præsentia moraliter repetitur, & sic ratificare illud scriptum idem est ac se accusare de illis, quæ scripta sunt: Unde à potiori si præsens peccata 1196.

scripta des Confessario legenda, & postmodum dicas, *de his me accuso petoque absolvi*, Lugo n.80. & 84. *Castrop.* n.8. *Gob.* tr.6. n.523. *Arr.* suprà, *Gormaz.* n. 148. *Bosco* n. 36. aliique dicunt esse satis, sed rectè monent hoc non esse faciendum absque rationabili causa, quia est contra communem praxin Ecclesiæ, ideoque *Illsf.* n. 63. *Platel.* n. 748. aliique dicunt hoc, per se loquendo, esse illicitum: & *Viva* § ult. putat esse mortale.

1197. §. 7. *Sot. Dian. Regin. Bonac.* aliique cum *Escob.* n.331. & 338. dicunt peccari venialiter tantùm, si quis absque rationabili causa solo scripto confiteatur, quod *Arr.* n. 59. dicit esse certum: E contrà *Suar. Con. Fill. Castrop.* n. 8. *Gormaz.* n. 147. *Viva* aliique dicunt peccari mortaliter, quia videtur in re gravi prætermitti consuetudo Ecclesiæ. Causæ tamen rationabiles sunt secundùm *Rayn.* in Heter. tom. 16. s. 1. p. 8. n. 28. rationabile pœnitentis commodum: secundùm *Laym.* n. 3., si ægrotus difficulter loquatur: secundùm *Sporer* num. 490. si Confessarius sit surdaster, aut pœnitens ipse, quia surdaster est, nimis altè legat: secundùm *Castrop.*, si pœnitens sic peccata sua faciliùs & apertiùs faciat intelligi à Confessario: secundùm *Tamb.* si pœnitens scrupuletur, quòd peccata sua aliter non rectè explicet: secundùm *Suar.* & alios cum *Averja* l. 4. si puella præmaxima verecundia peccatum suum ore explicare non posset; sed *Escob.* n. 338. *Gormaz.* suprà & alii rectè dicunt hunc ultimum casum esse metaphysicum, verecundia enim nunquam impediet, quin postea dicere possit, *accuso me de his, quæ legisti.*

§. 8.

§. 8. Putant *J. Pontius, Dicast.* d. 8. nu. 13. 1198.
*Hermx* d. 3. n. 87. satis esse, si pœnitens dans descripta peccata dicat, *accuso me de illis peccatis*, quamvis Sacerdos ea necdum legerit, quia illa accusatio censetur moraliter manere etiam post lecta peccata, sed contradicunt *Lugo* n. 82. & *Escob.* n. 335. quia accusatio non fieret per sola verba sed simul per scriptum, postea priùs afferens cognitionem peccatorum, quod secundùm dicta n. 1195., per se loquendo, fieri non debet. Putat tamen *Arr.* n. 58. fore satis, si in uno moraliter momento simul det scriptum, & dicat *accuso me de his*, ac ibi exspectet donec Sacerdos legat, sed *Bosco* n. 44. adhuc dicit debere postea addere saltem hæc verba, *peto absolutionem ab illis*.

§. 9. Si Confessarius viderit vel aliunde ex- 1199.
tra confessionem cognoverit tuum peccatum, satis erit, si dicas, *accuso me de illo peccato, quod nôsti*, uti habet communis cum *Vasq.* & *Gorm.* suprà, de quo *Suar.* d. 22. s. 6. n. 5. dicit inter Authores convenire.

§ 10. Ex dictis n. 1195. certum est nunc 1200.
nunquam posse sacramentaliter absolvi absentem, quamvis multi apud *Aversam* q. 12. s. 6. & apud *Dicast.* d. 5. dub. 4. id antehac tenuerint, etiam Thomistæ, hinc *Gonet* id negans meritò arguitur à *Gorm.* n. 235. Ratio autem est, quia si talis absolutio posset unquam esse valida, Pontifex non potuisset eam prohibere tanquam illicitam pro omni casu, nam jure divino & naturali fuisset licita pro casu extremæ necessitatis, nec pro casu illo prohiberi potuisset, uti rectè cum aliis *Lugo* d. 17. n. 64. Colligimus autem esse pro omni casu invalidam etiam ex

*Trid.* seſſ. 14. De pœn. c. 2. ubi dicit Chriſtum voluiſſe ante hoc tribunal ſiſti reos, qui ſint ſuî accuſatores & teſtes, quibus poſtea detur abſolutio verbis formalibus, uti dictum eſt n. 628. nemo autem ad abſentem utitur verbis formalibus, & ideo etiam abſolutio à cenſuris dari poteſt abſenti, quia hæc fieri poteſt ſcripto, & non requirit verba formalia; plures congruentias affert *Lugo* d. 13. à n. 149.

1201 §. 11. Ad abſolutionem dandam ſufficit Confeſſarium eſſe moraliter præſentem pœnitenti, tum autem eſt moralis præſentia, ſi Sacerdos & pœnitens non longiùs diſtent, quàm ut adhuc poſſint, per ſe loquendo, ſe mutuò audire, utentes eâ voce, quâ homines in communi colloquio ordinariè uti ſolent, *Stoz.* l. 2. n. 100. Addunt aliqui cum *Tamb.* De pœn. c. 2. nu. 11. ſufficere, ſi non ſit major diſtantia, quàm ut ſe audire poſſint utentes voce communi colloquentium etiam aliquantò altiore, unde quamvis pœnitens jam è confeſſionali abeat, & aliis vicinis immixtus non ampliùs videatur, putant *Bonac. Lugo, Tamb. Gob.* adhuc abſolvi poſſe, eò quòd retineat voluntatem habendi abſolutionem, ſi fortè non habeat & maneat moraliter præſens, quod *Sporer* à n. 610. pluribus exemplis declarat. Addunt aliqui cum *Moya* n. 32. ſufficere, ſi Confeſſarius adhuc videat pœnitentem, quamvis aliquouſque abſit, quamdiu enim poſſunt ſe aliquo ſenſu percipere, non videntur ſimpliciter abeſſe moraliter ab invicem; hoc tamen videtur nimis extenſum, nam certum eſt me poſſe videre ſimpliciter abſentem, neque tamen poſſum ſimpliciter abſentem abſolvere, ideoque *Tamb.* meritò dubitat, an cenſeatur

featur moraliter præsens, si ad 20. passus distet. Itaque videtur requiri, ut possint, prout ordinariè fit, mutuum inter se sermonem communicare: Unde omnino rejiciendi sunt illi, qui dixerunt sufficere, dummodo Sacerdos videat domum, in qua est pœnitens absolvendus, quod licèt probabile dicat *Leander*, tamen meritò dicit *Moya* oppositum sibi videri certum, pœnitens enim, qui ipsemet nullo sensu percipi potest, non potest dici simpliciter & humano modo esse præsens.

*Q. 164. An inter conditiones confessionis etiam non sit, ut sit sacramentalis.* 1202 R. Affirmativè: quandonam autem sit sacramentalis, dicam n. 1939. De variis vitiis Confessionis videri potest *Rayn.* in Heter. tom. 16. s. 1. p. 8. ubi n. 33. ex S. *Bernardo* sem. 3. in festo S. *Andreæ* dicit, aliquorum confessionem esse *confusionem*, quia timore extorquetur: aliorum esse *offensionem*, quia fit de aliorum peccatis: aliorum esse *defensionem*, quia fit ad se excusandum: aliorum esse *illusionem*, quia fit ad se jactandum.

## ARTICULUS IV.

### *Quando Confessio sit invalida & quomodo iteranda.*

RESP. I. Id contingit ex duplici capite. *Primò*, ex parte Confessarii, si jurisdictionem non habuit, vel certè impeditam per censuram; vel si formam substantialiter vitiavit; vel non intendit absolvere, vel peccatum nullum intellexit. 1203

Dico, *nullum*: quia si ob surditatem, somnum,

»mnum, vel distractionem, aliqua licèt mortalia
»non intellexerit, sine culpa pœnitentis, proba-
»bilius est, valuisse absolutionem, ac postea tan-
»tùm repetenda esse non audita, ut contra *Sylv.*
»*Anton. Nav.* & *alios docet Henriq. Lay. l. 5 tract 6.*
»*cap. 9. Dian. p. 3. tr. 4 resol 109.* & *p. 4. t. 4. R. 198.*
»Addo, *sine culpa*, quia si semidormienti malâ
»fide confitearis, peccas, & confessio est invali-
»da, ideoque repetenda, *Tamb. l. 2. cap. 10 § 3.*
»Denique addunt aliqui cum *Tol.* si Confessa-
»rius indoctus non potuit discernere mortale
»& veniale, invalidam esse, verùm id *Suar. Lay.*
»& alii passim rejiciunt, & quidem, etiamsi
»Confessarius putâsset esse veniale, quod fuit
»mortale, ideoque confessionem bonâ fide tali
»factam, non esse opus repetere, *Henriq. Sanch.*
»*l. mor. c 10. n. 69. Dian. p. 3. t. 4. R. 121.* contra *Vasq.*
»Dixi, *bonâ fide*, quia si malâ fide, v. g. quia quæ-
»sivisti talem Confessarium, qui tibi mederi
»non possit, debes repetere, cùm enim actu pec-
»caveris, dum confitereris, non fuisti rite dispo-
»situs, ideoque nec absolutus, *Tamb* § 3. Deni-
»que si finitâ confessione intelligas Confessa-
»rium aliqua non percepisse (sive propter
»somnum, sive distractionem,) nescias autem
»quæ sint illa, teneris repetere confessionem, si
»brevis fuerit, quia de singulis prudenter potes
»dubitare: si autem longa fuerit, ait *Tamb. l. c.*
»non teneri, ob rationem contrariam; & satis
»esse confiteri, quòd dubites, an aliquod ex tuis
»peccatis Confessor perceperit.

» *Secundò*. Invalida est ex parte pœnitentis, si
»fuit excommunicatus, de quo infrà; si mortale
»tacuit; vel de eo se falsò accusavit; si mortali-
»ter negligens fuit in examinanda conscientia;

item

tem si non fuit attritus ( quod patere solet in- »
de, si sponte quæsierit Confessarium surdum, »
indoctum, cœcum, &c. *Vide Sanch. l. c.* si nolit »
tollere occasionem &c. *v. Dian. p. 4. t. 4. R. 201.* ) »
quibus addi potest ùt plurimùm, si peccatum »
carnale confessus sit suo complici. »

Resp. II. Si confessio apud eundem Con- »
fessarium iteretur, sufficit uno verbo in com- »
muni se accusare de peccatis antè illi cognitis, »
dummodo is eorum recordetur, saltem in »
confuso, aut statûs ac vitæ hominis in com- »
muni, aut pœnitentiæ à se impositæ, ùt docet »
*Vasq. Tol. Lay. Sa, Dia. p. 3. t. 4. res. 123.* Imò si ni- »
hil horum, sed tantùm, quòd sibi confessus »
fuerit, recordetur, validè, etsi illicitè, absolu- »
tum putat Lay. & *Dian. l. c.* Idem absolutè do- »
cet *Gran.* & *Mercerus in 3. p. q. 9. n. 1.* cum quibus »
*Dian. p. 5. t. 14. R. 51.* se retractans, probabile »
censet, quòd etiam licitè possit absolvere. »

Resp. III. Rarò obest defectus ex parte Con- »
fessarii, si pœnitens eum inculpabiliter igno- »
rat, quia in confessione sequenti absolvetur »
etiam ab iis, à quibus se bonâ fide absolutum »
putabat: *Unde resolves*, »

Is, qui à puero peccatum aliquod grave, v. » g. mollitiem, inculpabiliter omisit, ùt quia pu- » tavit leve esse, vel nullum, non ideo tenetur » repetere alia peccata, ( vel confessiones inter- » medias ) sed hoc tantùm, ùt docet *Bon. Sanch.* » *c. 16. Vasq in 1. p. to. 4. q. 92. Sancius*, Lay. *hìc c. 9.* » addēs, si simplex rusticus, qui totâ vitâ tantùm » fecit confessiones generales, nihil confitens » in specie, nec aliter instructus sit, etsi is validè » sit absolutus, cum onere, ut cùm meliùs co- » gnoverit, omnia subjiciat clavibus, si tamen, »

»veniat, quando ingens est copia pœniten-
»tium, ut tunc disponi non possit ad omnia re-
»petenda, posse eum absolvi, auditis tamen
»peccatis ab ultima confessione factis, cum ob-
»ligatione, ut melius faciat. Ita *Lay. n. 4. v Dian.*
»*p. 3. t. 4. R. 108.* ubi addit ex *Nav. Sylv. Beca. Vasq.*
»*Reg. tom. 1. l. 6. cap. 5. s. 4. n. 153.* & *J. Sancio*, etsi ex
»errore culpabili mortaliter, peccatum tale v.
»g. mollitiei (vel numerum, aliamve circum-
»stantiam necessariam,) omiseris, non ideo te-
»neri repetere confessiones intermedias, bonâ
»fide, & legitimè factas, (in quibus ex naturali
»oblivione defectum illum non fueris confes-
»sus) cùm validæ fuerint, & maneant validæ.

## ADDENDA.

1204 QUæst. 165. *An ille, qui cum Confessario peccavit, eidem validè confiteatur istud peccatum.* R. Per se loquendo validè confiteur, quia nulla lex universalis hoc prohibet, potestque fieri ut uterque sincerè doleat de peccato, & alter non possit vel non audeat alteri manifestare crimen, neque adsit ex alterutra parte periculum novi consensûs, *Lugo* d. 16. n. 362. *Sylv.* p. 2. v. *Confessio* casu 2. *Bonæspei* De act. huma. d. 5. n. 29. aliique communiter cum *Dicast.* d. 9. n. 610. & *Gob.* tr. 7. à n. 581 qui putat causam sufficientem esse, si puella sit sanguine juncta & præ pudore non audeat alteri manifestare suum incestum, sed pudor ille vix excusabit, secundùm dicta n. 1142. Posset esse causa, si alteri confiteri non posset nisi cum manifestatione complicis. *Dixi*, per se loquendo, quia in quibusdam Diœcesibus prohibetur, speciatim in

in Leodiensi fuisse aliquando prohibitum testatur Sylv. suprà & adhuc in Mediolanensi prohibitum esse dicit *Bonac.* q. 7. p. 5. §. 5. à n. 10. ubi addit hoc intelligi de complice in quocunque peccato etiam non carnali. Similiter in hac Colonienſi, ultima Synodus Anno 1662. habita ita statuit pag. 74. *Ut animarum periculis, quantum in domino possumus, occurramus, sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda prohibemus omnibus Confessariis, ne quis confessionem mulieris, cum qua in materia carnis peccavit, aut complicis aut fautoris peccati (nisi in necessitate extrema) excipiat.* Ratio autem est, quia plerumque est periculum novi consensûs saltem in alterutro, si audiat reperi peccatum, cujus delectationem antè sensit. Accedit, quòd in talibus sæpè deficiat dolor vel propositum, faciunt enim frequenter, ne cogantur deserere occasiones proximas, hinc etiam S. *Th.* in suppl. q. 20. a. 2. ad 1. ait: *Sacerdos non debet audire confessionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato, sed debet ad alium mittere.... tum propter periculum, tum quia est minor verecundia.* *Fagund* in 2. præcep. Eccl. l. 4. c. 3. n. 35. dicit Sacerdotem peccare mortaliter, si pro confessione concubinam suam audiat. Similiter *Pontius* De Matr. l. 7. c. 38. num. 3. dicit rem illam esse periculis plenam & occasionem committendi non pauca sacrilegia. Addit *Verjus* tr. 9 a. 5. longâ experientiâ compertum esse ferè omnes similes confessiones tandem factas esse sacrilegas, novis carnis titillationibus & pollutionibus fuisse fœdatas &c. quæ illis præcipuè Sacerdotibus vult dicta, qui mulieribus cohabitant.

Q. 166. *An Confessiones, quæ fiunt Religiosis,* 1205.

*com-*

*communiter censeri debeant invalidæ.* R. Negativè, nam *Alex.* VIII. die 7 Dec. 1690. damnavit hanc 20. prop. *Confessiones apud Religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt vel invalidæ*: quæ propositio formata erat ex principiis Jansenistarum, qui docent plerumque differri debere absolutionem, usque dum impleta sit pœnitentia ex vita emendata, quod quia Religiosi plerumque non requirunt, hinc inferebant confessiones apud eos factas plerumque esse sacrilegas vel invalidas, non requiri autem, ut absolutionem præcedat satisfactio vel vitæ emendatio, probabitur à n. 1230.

1206 *Q. 167. Quid præterea sit notandum circa obligationem repetendi confessionem.* R. seqq. §. 1. Universaliter loquendo repeti debet confessio mortalis peccati nondum directè absoluti, quia Christus, secundùm dicta n. 595. sic præcepit confessionem omnium mortalium, ut voluerit singula directè subjici clavibus & directè remitti per absolutionem, quandonam autem peccatum dicatur directè aut indirectè absolvi, dixi n. 597.

1207 §. 2. Qui confessus est sed invalide, undecunque provenerit invaliditas, item qui confessus est validè quidem, sed omisit aliqua mortalia, vel Confessarius aliqua non intellexit ob surditatem aut aliam quamcunque causam, tenetur adhuc confiteri invalidè confessa, omissa, vel non intellecta à Confessario, uti pluribus ostendit *Moya* tr. 3. d. 1. q. 8. & Ratio est, quia à nullo illorum est directè absolutus: debetque simul addere numerum confessionum, quæ sacrilegæ fuerunt, non tamen illarum, quæ fuerunt tantùm invalidæ, si nempe bonâ fide

fide sint factæ. Pluribus autem ostendi n. 679. confessionem ex defectu solius doloris interni esse invalidam.

§. 3. Qui confessus est validè sed informiter, 1208
id est, sine effectu gratiæ (quod aliquando contingere posse dixi à n. 672.) non tenetur peccata sic confessa iterum confiteri, sed tantùm illa, quæ bonâ fide omisit, uti contra *Adrianum* tenet tanquam certum *Suar.* d. 22. s. 7. n. 2. quia non peccavit, & super confessa directè cadebat absolutio, quæ secundùm dicta l. 6. p. 1. n. 201. etiam remittentur ex vi illius absolutionis, quando fictio fuerit remota. Neque damnata est praxis hujus sententiæ, uti rectè notat *Carden.* d. 2. n 53. quia etiamsi omittat peccatum sic confessum, non ideo exponet sequens Sacramentum periculo nullitatis, quia secundùm dicta à n. 1140. certum est confessionem formaliter integram sufficere, & peccatum, quod omittitur propter opinionem certò probabilem, habet se sicuti peccatum per ignorantiam invincibilem omissum, consequenter illæ confessiones etiam non sunt necessariò repetendæ, quæ bonâ fide sunt factæ secundùm quamcunque aliam sententiam verè probabilem relictâ tutiore, quamvis tum ageretur de valore Sacramenti, quia quamvis illicitum sit, adeoque confessiones futuræ essent invalidæ, si antecedenter cum advertentia sic fierent, tamen supposito, quòd quis bonâ fide ita fecerit, non peccavit, & nunc prudenter judicat illa peccata esse directè remissa, nec sequens confessio exponetur periculo nullitatis, ob rationem antè datam, ergo potest supersedere ulteriore confessione istorum peccatorum, *Carden.* n. 456.

§. 4.

1209 §. 4. Si inculpabiliter omissa sit aliqua circumstantia, etiam mutans speciem, quæ seorsim sufficienter declarari possit, non est opus repetere totum peccatum, multò minùs totam Confessionem præteritam, utì cum communi dixi n. 1135.

1210 §. 5. Si scias Confessarium ob somnolentiam, distractionem, vel quamcunque aliam causam non intellexisse aliquod tuum mortale, nescias tamen quodnam illud fuerit, *Tamb.* quem refert & non improbat *Busenb.* suprà, dicit esse quidem obligationem repetendi, si confessio fuerit brevis, si autem fuerit longa, non esse obligationem, sed satis esse confiteri, quòd dubites, an Confessarius aliquod tuum mortale rectè intellexerit, quod pluribus probare conatur *Lugo* d. 16. à n. 607. & magis adhuc *Ill.* n. 149. hinc, inquit *Tamb.*, sicuti si non recordareris peccati in specie, satis esset te accusare de mortali in genere, ita & hìc. Sed contra hoc est, nam quòd ibi non tenearis confiteri in specie, facit impotentia sic confitendi, cùm non recorderis speciei, è contra recordaris omnium priùs confessorum, utì suppono, ergo non est paritas. Itaque in praxi & ordinariè loquendo, ut excuseris, debet adesse aliqua impotentia moralis, vel nimia difficultas repetendi totam ejusmodi confessionem, quam difficultatem si tenereris subire, confessio meritò redderetur odiosa, & hoc ipsum vult *Aversa* q. 10. s. 19. §. *Quòd si.* item *Dicast.* d. 8. n 100. quamvis antè videatur favere *Lugoni.* Ratio autem est, quia certus es te ab aliquo non esse directè absolutum, & non est ratio dubitandi de uno magis quàm de altero, ergo obligatio directè iterum

subji-

subjiciendi clavibus afficit æqualiter singula, nisi aliunde excuseris, uti dictum est. Et idem ordinariè videtur dicendum, si quis, qui multa fecit mortalia, sciat se in vita aliquoties saltem esse sacrilegè vel invalidè confessum mortalia, nesciat autem qualia, tum enim, per se loquendo, induci debebit ad confessionem generalem, quæ non semper est ita difficilis, ut censeri debeat moraliter impossibilis.

*Obj.* Quando probabile est de singulis determinatè peccatis, quòd sint rectè confessa & intellecta, tunc non est obligatio ullum repetendi, secundùm dicta n. 602. sed quando confessio est longa, probabile est de singulis, quòd sint rectè confessa & intellecta; nam si à Deo revelatum esset in hac urbe esse unicum hominem non baptizatum, & nesciretur, quis esset, maneret probabile, imò moraliter certum, de singulis determinatè, quòd essent baptizati, quia nemo posset prudenter dubitare de hoc vel illo determinatè, alioquin singuli essent sub conditione rebaptizandi, maximè si vellent suscipere sacrum Ordinem: E contrà si esset revelatum unum ex hac domo non esse baptizatum, non maneret positivè probabile, sed prudenter dubitaretur de singulis, ideoque singuli essent rebaptizandi, ergo idem dicendum est in nostro casu, quando vel multa vel pauca peccata sunt confessa. R. n. min. & quoad illud dubium de Baptismo, de quo videri potest *Dicast.* suprà, est disparitas, quia maximus numerus istorum hominum, qui putantur baptizati, non potest redigi ad partes minores, in quarum una prudenter judicare possem esse illum non baptizatum, è contrà numerus peccato- 1211

rum confessorum, ordinariè vel non est tantus, vel potest redigi ad partem minorem, in qua prudenter judicem esse illud non rectè confessum, nam vel Confessarius vel pœnitens, ordinariè loquendo, rescìet, an illud peccatum non intellectum fuerit dictum circa initium, an circa medium, an circa finem confessionis, ergo practicè loquendo manebit obligatio partem illam, vel primam, vel mediam, vel postremam repetendi, quia talis pars habebit se tanquam brevis confessio : unde consequenter fatetur *Illsf.* suprà, si multa non fuissent intellecta à Confessario, totam confessionem fore repetendam, quantumvis esset longa. Unum hìc addit *Aversa* §. ult. si quis in senectute post longam annorum & confessionum seriem recordetur, se in pueritia tacuisse aliquod mortale, nesciens tamen quo anno, & in qua confessione, & quæ alia peccata tunc confessus fuerit, eum satisfacere recolendo ac dicendo, quænam peccata circa illud tempus committere soleret, sic enim prudenter præsumit, quòd inter peccata illius temporis etiam attinget illud omissum.

1212 §. 6. Si certus sis de mortali in confessione omisso, & dubites negativè, an omiseris ex verecundia, an ex justa causa, teneris confiteri, imprimis illud mortale omissum, uti certum est, quia nunquam directè es absolutus ab illo, deinde etiam reliqua mortalia tum confessa, quia certus es de præcepto confitendi hæc, & dubitas de adimpletione, cùm dubites de valore confessionis, per quam remitterentur directè, debito autem certo non satisfit per solutionem ita incertam, *Moya* d. 1. q. 8. n. 17. contra *Baunium* & alios.

§. 7.

§. 7. *Tamb.* De conf. l. 2. c. 1. num. 29. dicit 1213
rusticos, mulierculas & pueros, qui bonâ fide grossiore modo coram Parocho etiam indocto confessi sunt, licèt adulti videant se in multis defeciisse, dicendo dubia pro certis vel contrà, aut unum numerum pro alio, non esse obligandos ad repetendas ejusmodi confessiones vel peccata in eis dicta, tum quia non est praxis apud fideles, ut ejusmodi confessiones repetantur, tum quia Confessarius satìs saltem in confuso peccata eorum perceperit: *Lugo* num. 588. id faciliùs admittit circa numerum quàm circa speciem, quia secundùm dicta n. 936. & à n. 952. est major obligatio exprimendi determinatam speciem quàm determinatum numerum, hinc putat remanere obligationem suo tempore exprimendi speciem, si meliùs occurrat, & addit nu. 589. Confessarium teneri etiam ab illis magìs distinctè elicere numerum, si facilè possit: Sed quod numerum attinet, *Sa*, v. *Confessio*. nu. 40. dicit ejusmodi homines non esse cogendos ad repetendum numerum omissum, si facilè deprehendi possit, quid soleant facere, ideoque *Moya* d 4. q. 2. n. 3. citans plures alios dicit, non esse cogendos ad repetendam speciem vel numerum, quia cùm ejusmodi homines uno fermè tenore vivant, si sciam in quibus & quoties soleant peccare intrà unum annum, facilè deducam, quoties intrà duos, & ita porrò, unde si se accusent de peccatis totius vitæ, ego meliùs inibo rationes, quoties in hac vel illa materia peccaverint, saltem per annos non multos, quàm ipsi dicere possent. Addunt tamen rectè *Moya*, *Laym.* l. 5. t. 6. c. 9. n. 4. *Sporer* nu. 499. si ex confessione unius

anni non possit prudenter judicari de antè acta vita, eò quòd in diversis statibus & difformiter vixissent, obligandos sub mortali, ut quantùm moraliter possunt, repetant confessiones non rectè factas secundùm speciem & numerum, nihil enim est, quod illos potiùs deobliget quàm alios, quò minùs à singulis mortalibus commissis directè absolvi debeant.

1214 §. 8. Si quis inculpabiliter omiserit mortale, *S. Th.* in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. quæstiu. 2. ad 3. videtur requirere, non quidem ut repetat mortalia priùs confessa, cùm sint directè absoluta, attamen ut addat se hoc mortale inter alia nuper fuisse oblitum, quia aliàs non explicabitur gravitas illius, resultans ex conjunctione aliorum. Sed sententia communis hoc non requirit, utì rectè *Aversa* §. *Refert*, non enim apparet, quænam gravitas tanti ponderis inde resulter, ut opus sit hoc addi.

1215 §. 9. Licèt aliquis etiam per culpam oblitus sit pœnitentiæ sibi injunctæ, non ideo tenetur iterum confiteri peccata, ob quæ injuncta erat illa pœnitentia, utì habet certa sententia cum *Suar.* n. 5. *Lugo* n. 600. *Dicast.* d. 14. dub. 7. *Illsf.* n. 148. essentia enim Sacramenti ab initio completè posita fuit, nec suspendebatur effectus, sed absolutio directè remittebat peccata tùm confessa; per hoc tamen peccari potest mortaliter, si pœnitentia gravis pro mortalibus imposita negligatur, utì dicetur n. 1277.

1216 *Q. 168. Si confessiones repeti debeant, an omnia mortalia in illis confessionibus dicta, iterum distinctè & singulatim debeant recenseri.* R. §. 1. Si repetantur apud Confessarium diversum à primo, debent omnia distinctè & singulatim apud hunc

hunc repeti, utì si nunquam fuissent confessa, quod meritò dicit apud omnes certum esse *Moya* d. 4. q. 1. n. 3. quia hic Confessarius debet esse Judex respectu horum omnium peccatorum, ergo cùm nec habeat nec habuerit unquam distinctam notitiam illorum, debet illi nunc dari per hanc confessionem, nam ad prudenter judicandum de gravitate delictorum & ad debitè taxandam pœnitentiam, debet saltem aliquando habuisse ejusmodi distinctam notitiam, utì constat ex *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 5. E contrà si confessiones invalidæ repetantur apud eundem Confessarium, diversimodè loquuntur Authores, utì videri potest apud *Moyam* à n. 3. & *Aversam* q. 10. s. 20. Omnes dicunt, si confessiones priores fuerint verè sacramentales, & Confessarius adhuc habeat distinctam memoriam confessorum peccatorum, satis esse, si pœnitens defectum confessionis dicat, & in genere addat, *etiam me accuso de omnibus peccatis antehac tibi confessis.* Idem dicunt pleriq; cum *Nav.* in Man. c. 19. dummodo Confessarius habeat confusam adhuc memoriam peccatorum, & aliquo modo recordetur statûs conscientiæ pœnitentis, vel saltem pœnitentiæ injunctæ. S. *Anton. Palud. Sylv.* & alii cum *Suar.* d. 22. s. 6. n. 7. dicunt, si jam imposuerit pœnitentiam, quamvis nec peccatorum nec pœnitentiæ impositæ meminerit, hoc sufficere. Et quidem si confusè meminerit peccatorum, & pœnitentiam imposuerit, omnes communiter admittunt sufficere, si pœnitens ita in communi se accuset, dummodo defectus tenuerit se ex parte solius absolutionis, v.g. quia Confessarius antea malè pronunciaverat formam. *Nav.*

suprà, *Valent. Bonac. Lugo* d. 16. à n. 638. *Laym.* l. 5. t. 6. c. 9. num. 6. *Tamb.* De conf. l. 3. c. 2 n. 9. aliique multi, quos citat & sequitur *Aversa* suprà, dicunt undecunque defectus se tenuerit, satis esse, si in communi se accuset. E contrà *Suar.* supra & *Con.* volunt, si Confessiones ratione suî fuerint invalidæ, v.g. quia pœnitens caruit debito dolore vel proposito, tum omnia peccata esse distinctè repetenda, quod saltem tum fieri volunt *Palud. Adrian. Moya* nu. 10. *Ills.* nu. 153. quando fuerunt invalidæ defectu jurisdictionis in Confessario, quia tales Confessiones non videntur fuisse sacramentales, cùm sint factæ non Judici; sed ratio aliorum est, quòd priores Confessiones fuerint sufficienter sacramentales per voluntatem confitentis ex intentione legitimæ absolutionis accipiendæ, posteriori autem facta in communi est certò sacramentalis, & moraliter repetit priores Confessiones, facitque nunc per utramque simul esse unam distinctam & sacramentalem istorum peccatorum Confessionem, cùm sufficienter reducat istorum peccatorum notitiam, sufficit enim aliquando fuisse in Confessario distinctam cognitionem peccatorum, quamvis nunc, quando datur absolutio, sit tantùm confusa, utì patet in illo, qui per plures dies continuavit Confessionem generalem, in fine enim, quando absolvitur, satis est, Confessarium in confuso sic meminisse statûs pœnitentis, ut possit proportionatam pœnitentiam imponere.

1217 §. 2. Si prior Confessio nullo modo fuisset sacramentalis, utì si quis purè historicè, sine intentione absolutionis tibi narrâsset sua peccata, quamvis postea, dum confusè tantùm recordaris

daris istorum peccatorum, ipse tibi diceret, *accuso me de peccatis, quæ tibi tunc dixi,* probabiliùs videtur contra *Aversam* suprà hoc non fore satis, quia distincta illa narratio peccatorum nullo modo fuit sacramentalis : Neque plùs evincunt argumenta, quæ adducit *Ill.* suprà, nego autem Confessiones distinctè factas ex intentione absolutionis non posse dici sufficienter sacramentales, cùm etiam obligent ad sigillum sacramentale, quamvis fuerint invalidæ, uti dicetur n. 1940.

1218 §. 3. Si Confessarius nequidem confusam ampliùs haberet notitiam de statu pœnitentis antea sacramentaliter sed invalidè confessi, nec pœnitentiam imposuisset, pœnitens teneretur in tantùm saltem distinctè repetere peccata antehac confessa, quantùm necesse esset ad hoc, ut ex vi Confessionis partim præteritæ, partim præsentis Confessarius iterum posset formare judicium saltem confusum de statu conscientiæ pœnitentis, & injungere pœnitentiam congruam, uti rectè *Lugo* n. 642. & *Aversa* suprà, partim contra *Medinam*, qui dicit etiam tum satis esse, si in genere se accuset de antehac confessis, partim contra *S. Anton. Valent. Silv.* qui dicunt omnia peccata debere tùm distinctè repeti, sed ratio nostra est, quia sine tali repetitione non posset Confessarius prudenter formare judicium de statu pœnitentis, nec statuere de quantitate pœnitentiæ; factâ autem tali repetitione poterit hæc præstare, ergo talis repetitio requiretur & sufficiet. Si tamen Confessarius post repetitam à pœnitente accusationē communem sine distincta repetitione ullius peccati illum absolveret, & pœnitens bonâ fide proceſſiſ-

cessisset, absolutio esset valida, uti habent *Laym.* & *Aversa* suprà, *Diana* p. 3. t. 4. R. 123. aliique cum *Ills.* n. 149. quia ad valorem absolutionis sufficit accusare se de peccatis in communi, quamvis hoc sit illicitum, per se loquendo, secundùm dicta à n. 620.

1219 §. 4. Quod *Busenb.* n. 1203. relatus paulò ante finem habet, nempe dimidiari posse confessionem hominis rudis non integrè confessi in juventute, si veniat, quando est ingens numerus pœnitentium, limitari debet secundùm dicta à n. 1148.

1220 *Q. 169. Quomodo Confessarius practicè procedet cum pœnitente, qui timet, vel putat se per longum tempus sacrilegè aut invalidè esse confessum.* R. Videtur posse prudenter sic procedere. §. 1. Si pœnitens tuus sit de cætero scrupulosus, ordinariè non permitte quidquam repetere, nisi certum sit non esse, vel esse malè confessum, uti dictum est l. 1. n. 542.

1221 §. 2. Quamvis scrupulosus non sit, tamen non obliga ad confessionem repetendam, nisi moraliter certum sit antehac invalidè esse confessum, quia possessio est pro confessione, cujus valor præsumi debet, cùm inesse debuerit, & è contrà non præsumitur delictum, *Fill. Gob.* t. 7. n. 275. Unde quamdiu probabile est, quòd antehac sit validè confessus, non tenetur confessionem repetere; est autem probabile, hoc ipso, quòd aliquando cum morali diligentia præteritam vitam recogitârit & confessus sit, uti dicetur n. 1883.

1222 §. 3. Si antehac semper fuerit timoratæ conscientiæ, & solitus se debitè præparare nec aliquid voluntariè omittere, prudenter præsumit se

se rectè semper confessum, adeoque non teneatur aliquid repetere, quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio: è contrà si antehac non fuit timoratæ conscientiæ, sed solitus se negligenter præparare, aut omittere aliqua, præsumptio est contra ipsum, adeoque obligandus est, ut reiteret confessiones, de quarum valore prudenter dubitat.

§. 4. Si peccatum reticuit, pete, quale illud 1223.
fuerit, & an tunc temporis, quando fecit, putaverit esse mortale, item an putaverit esse mortale sic illud reticere in confessione, rectè enim notat *Averja* q. 10. c. 19 §. *secundò*, quamvis sæpe peccatum fiat ex ignorantia mortaliter culpabili, tamen sæpe postea esse ignorantiam inculpabilem confitendi. Quòd si in genere tantùm apprehendisset esse malum tale quid facere vel non confiteri, nec cogitâsset, an esset mortale an veniale, probabile est non peccâsse mortaliter, adeoque non fore opus repetere eas confessiones, utì dictum est l. 1. n. 3. quamvis in praxi rarò futurus sit iste casus, secundùm dicta ibidem n. 2.

§. 5. Si reticuit, satìs advertens malitiam 1224.
gravem, quod tunc censeri debet, quando reticuit ex verecundia, vel cum gravi remorsu conscientiæ ante confessionem vel Communionem, pete, an, quoties confessus est intermedio tempore, semper fuerit memor obligationis confitendi, & nihilominus perrexerit tacere, si enim bonâ fide & cum debita dispositione fecisset has confessiones intermedias, fuissent validæ, nec opus esset has vel peccata in his confessa repetere, utì cum communi

*Vasq. Dian. Pelliz. Lohn. Lugo* n. 599. *Moya* suprà, *Gob.* t. 6. n. 571.

1225. §. 6. Si semper memor fuerit, ideoque ab eo tempore semper sacrilegè sit confessus, pete, quoties confessus sit & communicârit in eo statu. Et si tibi semper est confessus, & es adhuc utcunque memor reliquorum mortalium, secundùm dicta n. 1216., satis erit, si in genere dicat, *accuso me de illis peccatis, quæ tibi ab illo tempore confessus sum, à quo tempore etiam bis ordinariè omni mense sacrilegè confessus sum & communicavi, quia reticueram istud peccatum*, atque ita habebis plenam ejus confessionem.

1226. §. 7. Si tibi non est semper confessus, vel per multos annos sic perrexit, ita ut nec confusè recordari possis reliquorum peccatorum, communiter differendus est pro absolutione, usquedum se examinârit, si capax sit ad se examinandum, & hoc antea non fecerit, fieri enim vix potest, ut tam subitò omnium recordetur, *Gob. t.* 7. n. 261. *Sporer* n. 514. Quia tamen jam bene dispositus est, ne dimissus relabatur in priorem verecundiam, exquire ab eo graviora peccata, quæ illum maximè remordent, tumque examina circa magis obvia, ut sic aperto ulcere & depositâ parte verecundiæ faciliùs redeat, tumque plenum fiduciâ dimitte cum benedictione, sed admone non esse absolutum, ideoque designa ei tempus, quo procomplenda confessione & accipienda absolutione redeat.

1227. §. 8. Si non esset futura occasio redeundi, nec putaretur alteri facilè aperturus conscientiam, jube edicere, quæ occurunt, ut sic videas, circa quæ magis peccaverit, & juvare possis inter-

interrogando ordine per præcepta decalogi & Ecclesiæ, conjiciendo, quæ ipse spectatâ ætate, statu, conditione, negotiis, occasionibus probabiliter feciſſe potuerit, quod cùm feceris, quantùm locus & tempus ferent, pro pœnitentia injunge, ut proximâ occasione, quæ dabitur, confiteatur præmisso diligente examine circa vitam præteritam, & tum addat, si quæ plura occurrent antehac non rite confessa, nunc autem per actus fidei, spei & contritionis bene dispositum sic absolve.

§. 9. Ut ejusmodi pœnitentem, nec fatiges 1228.
nimiùm, nec relinquas expositum plurimis posthac molestiis, debes accuratè scire, quænam peccata sint ejusdem, quænam diversæ speciei, ut nec nimiùm nec nimis parùm interroges. Numerum autem peccatorum internorum conjicies ex consuetudine uno die vel septimanâ iterandi, & diuturnitate temporis, quo hæsit in his vel illis peccatis. Et ut deprehendas numerum peccatorum externorum, primò propone magnum numerum; & si dicat, non toties, propone parvum; si dicat, sæpius, paulatim convenieris ad medium & verisimiliorem numerum. Videri possunt *Gob.* t. 7. à nu. 259. & *Sporer* à n. 505.

## DUBIUM IV. 1229.

### *De Satisfactione.*

### ARTICULUS I.

*Quæ ejus necessitas & quantitas.*

RESP. I. Satisfactio, seu pœnitentia à Confessario data, est necessaria necessitate, non»

Sacra-

»Sacramenti sed præcepti; ideoque à Confessa-
»rio regulariter imponenda est, ( secundùm
»*Suar.* & *Regin. tom.* 1. *l.* 7. *nu.* 12. sub mortali: *Card.*
»tamen *Lugo* concedit, ex parvitate materiæ
»posse venialiter peccari, ùt *v. d.* 25. *num* 47. v. g.
»si ob peccata venialia levis pœnitentia esset
»injungenda; ejus enim voluntariam omissio-
»nem venialem tantùm esse. Ita etiam *Dia. p.* 6.
»*t.* 6. *R.* 44. ) Et quidem proportionata, tum
»peccatis, tum facultati pœnitentis. Ratio prio-
»ris est, quia est pars Sacramenti, non essen-
»tialis, sed integralis tantùm, habens effectum
»ex opere operato, & majorem vi Sacramenti,
»quàm sine eo. Ratio posterioris, tum ex *Trid.*
»*sess.* 14. *c.* 8. tum quia Sacerdos tenetur cura-
»re integritatem Sacramenti, & tam vindica-
»re, quàm mederi. *Bon. t.* 1. *d.* 5. q. 5. §. 3. *p.* 2. *Un-*
»*de resolves.*

» I. Excusatur aliquando Confessarius, si le-
»vissimam ( vel etiam nullam ) pœnitentiam
»injungat, v. g. 1. Si pœnitentem vehementissi-
»mè contritum, aut aliter satisfeciisse advertat,
»*Caj. Nav. Suar. Reg. Bon. d.* 5. *q.* 5 *s.* 3. *p.* 2. *n.* 1. *&* 2.
»*Escob. c.* 6. *n.* 41. Cùm verò id rarò vel nunquam
»constare satis possit, tutius est aliquam sem-
»per injungere; ùt rectè monet *Lug. num.* 48.
»2. Si pœnitens sit mentis impos, aut aliter im-
»potens, aut morti proximus, aut valde debilis:
»cui tamen prudenter injungi levem saltem
»pœnitentiam, v. g. percussionem pecto-
»ris, invocationem nominis JESU ( saltem
»cordei) alioqve pios motus, vel ut per hære-
»des sacrificia, eleëmosynas, & similia opera
»pia curet, monet *Lay.* & *Bon. l. c.* & *Nav.* qui
»addit, posse injungi, ut patienter ferat infirmi-

tatem,

tatem, quod tamen *Bon.* non probat, cùm» fieri possit, ut id valde angat infirmum, ti-» mentem se non ritè satisfacere. 2. Quando» scrupulosus sæpius intra eandem horam redit» cum novis culpis, quia supponitur satis im-» posita in præcedentibus, *Tamb. l. 4. c. 1.* ex» *Fagund.* »

II. Etsi Confessarius peccet ex communi,» si pro magnis peccatis valde parvam pœni-» tentiam imponat, excusari tamen eum posse,» putat *Dia. p. 3. t. 4. res. 92.* si addat illud: *quid-» quid boni feceris, &c.* Verùm hæc regula uni-» versaliter admitti non potest, ùt bene notat» *Lug. n. 57. Kon. Tann. Palaus tr. 23. p. 21. §. 3. n. 13.» &c.* (contra quos *Diana* pro se citat. *Bauni &» Leand. p. 6. t. 7. R. 5. & p. 9 t. 9. R. 54.*) & ab aliis non» immeritò rejicitur, eò quòd verba, utpote me-» rè deprecatoria, non habeant vim elevandi o-» mnia opera bona ad efficaciam sacramenta-» lem, *Aversa q. 13. s. 7.* »

III. Minor justo licitè datur ex causa, qualis» v. g. est, 1. magna contritio. 2. Fragilitas animi» vel corporis, ob quam timetur majorem non» impleturus. 3. Tempus Jubilæi vel Indulgen-» tiæ plenariæ, *Suar. Henriq. Lay.* »

IV. Non potest injungi. 1. Ingressus Reli-» gionis, ùt docet *Sa V. Satisfactio*: quia id nimis» durum videtur. 2. Pœnitentia publica, si sit pe-» riculum revelandæ confessionis: aliàs inter-» dum pro publico peccato potest & expedit. »

V. Etsi possit, & aliquando ob fragilitatem» pœnitentis etiam expediat, injungi opus aliàs» debitum seu præceptum, v. g. Missæ auditio-» nem die festo, &c. ùt docet *Suar. Vasq. Laym.» l. 5. t. 6. cap. 15.* & alii. Unde si scrupulosus sæpius»

redeat

»redeat ad Confessarium, intra breve tempus »semper nova confitendo, non semper necesse »est imponere pœnitentiam novam, cùm opus »antè debitum possit injungi, *Bon. Henriq. Lug.* »*Dian. p. 6. t. 7. R 6.* contra *Suar. Reg. & Bauny.* Si »tamen Confessarius non exprimat, censetur »imperâsse opus liberum, ût docent iidem, & »*Dia. p. 3. tr. 4. R. 84. v. Kon. d. 10. dub 8.* & *Dia. part.* »*4. tr. 4. R. 241.*

» VI. Etsi etiam possit injungi opus internum, »utì contra *Mærat.* & *alios* docet *Kon. Hurt.* & »*Dia. R.* 241. communiter tamen debet esse ex»ternum, & afflictivum, v. g. oratio, jejunium, »eleëmosyna; Nam avaris eleëmosyna, luxu»riosis afflictio corporis convenit. Utrùm verò »licitè imponantur preces recitandæ pro de»functis, dubitari potest, *Vega tom. 2. c. 64.* & *Jo.* »*Sancius d. 16. n. 1.* negant. Affirmant probabi»liùs *Turrian. de pœn. d. 37. dub. 4. Lug. d. 25. n. 62.* »*v. Dian. p. 3. tr. 4. R. 54.*

» VII. Potest etiam aliquando injungi cessa»tio ab aliquo bono opere, v. g. nimia corporis »afflictione, vel abstinentia aliquâ vice à Com»munione, ad promovendum majus bonum »pœnitentis, si prudens Confessarius ad eum »finem expedire judicet, *Salas*, *Lug. Diana &c.* »cum *Aversa q. 13. s. 3.* contra *Joannem Sancium.*

» VIII. Etsi possit immediatè post absolutio»nem adhuc injungi, debet tamen fieri ante, ut »servetur ordo judicii, *vid. Dian. R. 136.* & *p. 5. t. 13.* »*R. 36.* ubi ex *Cap. Finali*, & *Ochag.* docet etsi »consuetudo habeat, ut ita fiat, illam tamen »non induxisse obligationem.

» Resp. II. Pœnitens communiter tenetur sub »gravi obligatione pœnitentiam, si rationabilis sit

sit, acceptare & implere, ùt habet communis» contra *Cajet. Silv. Navar.*. Quorum sententia» ad hoc saltem serviet, ut neminem non absolutum dimittas, si vel leviſſimam subire velit,» ut notat *Sotus* & *Regin. l. 7. cap. 2. vid. Dian. p.* 3. *t. 4. R. 51.* & *p. 2. t. 15. R. 52.* »

Dixi I. *communiter*: quia probabile est, quod» docet *Laym. c. 15. Suar.* & *Dian. p. 3. t. 4. R.* 136. contrà *Kon. Henr. & alios*, pœnitentiam» sub veniali tantùm obligare sequentibus casibus: I. Si imposita sit pro solis venialibus. Ita» citati contra *Henr.* & *Fag.* II. Si pro mortalibus» aliàs confessis. III. Omissionem partis non» gravis, in confessione mortalium, vel etiam» omissionem totius, si levis sit, v.g. unum Miserere, *Kon. Regin. Fag.* cum *Dian. R. 102.* & *p.* 6. *t. 8. R. 45.* IV. Si Confessarius noluit obligare sub mortali; quia cùm possiit imponere» pœnitentiam liberè, & sine omni obligatione, ùt probat *Suar.* hìc *d. 38. s. 7 Henr. Fil. Fagund. Tan. Kon. de sacram. d. 10. dub. 8. n. 65.*» contra *Turr.* & *Vasq.* potest etiam sub levi tantùm imponere. *v. Dia. p. 3. t. 4. R. 241.* & *p. 4. t.* 4. *R. 82.* V. Eum, qui lucratur indulgentiam» plenariam, liberari ab onere pœnitentiæ (nisi sit medicinalis) docet *Dia. p. 5. t. 12. R. 3.* &» *p. 9. t. 6. R. 36.* ex *Tan. Gran. Lug. &c.* contra» *Val. March.* & *Averſ.* »

Dixi II. *Si rationabilis sit*: quia si justo sit gravior, ac difficilior, nec Confessarius eam moderari velit, non peccabit graviter pœnitens,» si sine absolutione discedens, alterius Sacerdotis judicio peccata submittat, ùt docet *Suar.*» *Kon. Lay.* Imò ad eam non obligatur, si omnino injustam esse constet, aut si pœnitens» eam

»eam non possit implere, vel illius sit oblitus.
»Nec tunc ad aliud quidquam tenetur, etsi ex-
»pediat, ut is, qui sive culpabiliter, sive sine cul-
»pa oblitus est, in sequenti confessione similem
»sibi injungi petat. Ita *Kon. Lay. Dia. p. 4. t. 4. R.*
»*241.* contra *Richar.* & *Sylv.* qui putant talem
»confessionem esse repetendam: quod præter
»citatos negat etiam *Lug. n. 87.* ex *Vasq.* docens
»talem satisfacere, si confiteatur illud pecca-
»tum oblivionis culpabilis. *Unde resolves,*
» I. Is qui pœnitentiam implet in statu pecca-
»ti mortalis, probabiliter quidē satisfacit præ-
»cepto, cùm impleat ejus substantiam, peccat
»tamen, sed venialiter, ùt docet *Suar. Laym.*
»*Dian. l. c.* quia Sacramenti partem suscipit in-
»dignè; & obicem ponit effectui, scilicet remis-
»sioni pœnæ, (quem tamen, obice remoto, re-
»cuperari, docet *Nav. Tol. Caj. Dia. p. 3. t. 4. R 85.*
»*Fag. Suar. &c.*) unde quamprimum est im-
»plenda, potestque graviter etiam peccari ni-
»miùm differendo; quod ex variis circum-
»stantiis judicandum. *v. Dia. p. 2. t. 15. R. 53. p. 6.*
»*t. 13. R.* 38. Non esse autem grave seu mortale,
»si non differat ultra octiduum, docet *Hurt.*
»apud *Dian.* Imò posse differri per annum,
»(hoc est, quamdiu non tenetur ad novum Sa-
»cramentum Pœnitentiæ) vult ipse *Dia. p. 9. t.*
»*7. R. 57.* ex *Amico, Leand. &c.* nisi tamen pœ-
»nitens dubitet, an postea possit implere: eo
»enim casu teneri quamprimùm commodè
»potest. Similiter non esse mortale, si obligatus
»jejunare feriâ 6. differat in diem sequentem:
»vel obligatus communicare singulis mensi-
»bus, differat ad 6. vel 8. dies, affirmat *Dian. l. c.*
»ex *Palao*, præsertim ex causa aliqua, tametsi
»levi. II.

II. Pœnitentiam (etiam medicinalem) im-»
positam sub conditione hac, *si iterum labatur*,»
nec teneri acceptare, nec implere, eò quòd»
Confessarius nec Judex sit, nec Medicus pecca-»
torum committendorum, docet *Dian. p. 6. t. 7.*»
*R. 49.* ex *Palao, Trull. &c.* Sed contrarium pro-»
babiliùs cum *Suar.* tenet *Aversa q. 13. s. 4.* quia»
non imponit eam pro peccatis committen-»
dis, sed commissis, sub conditione reinci-»
dentiæ. »

III. Qui non implevit intra tempus præ-»
scriptum, non ideo deobligatur. »

IV. Potest satisfacere per alium, cui Con-»
fessor id concedit; vel qui per se non potest,»
ùt docet *Reg. Fill. Fag. Dian. p. 4. t. 4. Res.* 141.»
Hic tamen non tenetur, nisi Confessor id vo-»
luerit: An verò satisfaciens pro alio, simul pro»
se possit, alii ajunt, alii probabiliùs negant, ùt»
habet *Sa.* »

V. Non necessariò impletur ante Commu-»
nionem. »

*Quæres.* Quis pœnitentiam possit commu-»
tare, & quomodo? »

*Resp.* I. Ex justa causa quivis Sacerdos id»
potest, si de novo ei confiteatur, ùt habet»
communis sententia contra *Sotum* & *Vasq.* sal-»
tem si peccata non sint reservata; imò etiam»
probabiliter, etiamsi talia fuerint, ùt habet»
*Fernand.* »

*Resp.* II. Sine nova Sacramenti adminis-»
tratione, potest id solus Sacerdos, qui injunxit,»
si adhuc recordetur statum pœnitentis, & hic»
ad eum recurrat tempore tam brevi, ut mora-»
liter idem judicium censeri possit, v. g. intrà»
hebdomadam, *Hen.* & *alii* 4. imò etsi post lon-»

»gius intervallum. *Lug. Averſa & Dia. p. 6. t. 6. R.*
»*46. & p 9 t. 6. R. 57.* contra *Palaum &c.* Ratio,
»quia judex incognitâ causâ non poteſt ferre
»ſententiam. Ita *Syl. Suar. Kon. Lay. Fill. Reg. Fag.*
»&c. *Lug.* contra *Nav. Henr. Tol. Sa, Rodri. Be-*
»*jam, Valer. Dian. p. 3. t 4 Reſ. 53. & p. 2. t. 1. miſc.*
»*R.* 53. qui dicunt, etiam alium poſſe, non repe-
»titis peccatis. Quæ ſententia, etſi non ex ratio-
»ne, ex principio tamen extrinſeco videtur eſſe
»in praxi probabilis, (*Diana* enim *loc. cit.* pro
»ea adduxit 14. Auctores, dicitque eſſe uſum,
»ſive praxin Confeſſariorum) & Confeſſariis
»poſſe ſervire, quando pœnitens difficulter ad-
»duci poteſt ad repetenda peccata, vel tempus
»id non fert; præſertim ſi ex confeſſione (nam
»in ea & non extra, debet fieri) aliorum pecca-
»torum, & ex præſenti ſtatu pœnitentis, ipſi-
»uſque teſtimonio, habeant aliquam confuſam
»notitiam peccatorum præteritæ confeſſionis.
»Ita *Fag. p. 2. lib. 9. c 4. n. 22. Lug. d. 25. à n.* 107.
» *Reſp.* III. Ipſe pœnitens non poteſt com-
»mutare pœnitentiam, etiam in evidenter me-
»liorem, ùt docent *Sanch. 4. mor Kon. d.* 10. *d.* 12.
»*n.* 13. *Regin.* & alii: etſi contrarium probabile
»dicat *Dia. p. 3. t. 4 Reſ. 53. & p. 5. tr. 14. R. 73.* ex
»*Portell.* & *Villalob.* Sed hoc *Turr.* temerarium:
»communi Theologorum & fidelium ſenſui
»repugnare dicit *Lugo n.* 95.

## ADDENDA.

1230. Quæſt. 170. *An ſatisfactio ſacramentalis vel probata vitæ emendatio ſit præmittenda abſolutioni.* R. §. 1. Satisfactionem ſacramentalem eſſe præmittendam abſolutioni docuit *Petrus*

*De*

De Osma, cujus propositionem hanc, *non peractâ pœnitentiâ confitentes absolvi non debere*, damnavit an. 1479. *Sixtus IV.* Bullâ, *Liceat ea.* 17. tom. 1. Bullarii. Opinionem illam postea renovârunt *Anton. De Dominis* De Rep. c. 7. à n. 29. *Arnaldus* De freq. comm. p. 2. à c. 7. usque ad 19. *Gabrielis* in speciminibus p. 2. §. 35. *Huyghens* in thesibus 29. Nov. 1685. *Opstraet* De convers. peccat. q. 2. c. 2. & c. 3. §. 1. & q. 3. c. 4. §. 2. aliique Rigoristæ apud *Hilarium à S. Sepulchro* ad propositiones ab *Alex.* VIII. damnatas, qui dixerunt praxin illam non absolvendi nisi peractâ priùs pœnitentiâ viguisse in Ecclesia per 12. prima sæcula, ideoque nunc esse reducendâ. *Joannes Episcopus Castorienſis* in Amore pœnitente pag. 196, dixit morem absolvendi ante peractam satisfactionem cœpisse invalescere post tempora S. *Bernardi. Sed contra est*, nam praxin mox absolvendi fuisse in 12. primis sæculis ostendunt *Morinus* De administr. pœn. l. 9. c. 14. n, 8. *Alex. à S. Teresia* in tempest. noviss. art. 15. & 16. *Nicolaus Du Bois* in Apologia contra Synodum racematoriam, probans per Canones à 2. sæculo usque ad 12., quòd facientibus etiam publicam pœnitentiam data fuerit Eucharistia, etiam per decursum pœnitentiæ necdum expletæ, ergo jam antè erant absoluti: absolutio autem, quæ dabatur in fine post expletam pœnitentiam, non erat sacramentalis, sed pro foro externo reconciliativa cum communitate, & attestativa pœnitentiæ fideliter expletæ. Atque etiam ideo liber *Episcopi Castoriensis* Romæ suspensus est 20. Junii 1690., donec corrigatur. Et quòd praxis, quæ nunc est, absolvendi ante peractam pœnitentiam, non sit contra

præceptum Christi, neque contra naturam rei, sed absolutè retinenda sit, cõstat inde, quia *Alex. VIII.* die 7. Dec. 1690. damnavit sequentes propositiones: 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei idipsum quodammodo dictante.* 17. *Per illam praxin mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu sed abusu.* 22. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Constant hæc omnia etiam ex *Catechismo Romano*, De Pœn. Sacram. c. 12. n. 1. *Antiquissimæ Ecclesiæ usu receptum est, ut cum pœnitentes à peccatis solvuntur, pœna aliqua eis irrogetur, cujus pœnæ solutio satisfactio vocari consuevit.* Nec desunt rationes, nam imprimis ita semper præmittendo satisfactionem, pœnitens sæpe exponetur periculo æternæ damnationis, si nempe non habens perfectam contritionem sine absolutione moriatur. Deinde pœnitentia, quæ impletur ante absolutionem, fortè non est ex opere operato remissiva pœnarum, uti dicetur n. 1236., aut quamvis sit accedente absolutione, tamen ex opere operantis, qui sæpe remanet in statu peccati habitualis, nihil de condigno meretur, ergo nocetur pœnitenti.

1231. §. 2. Ex dictis sequitur non prærequiri probationem vitæ emendatæ, quidquid putaverint similes Rigoristæ dicentes per emendationem explorandum esse, an pœnitens habuerit verum

rum dolorem nec ne, dicunt enim probationem veri doloris esse exhibitionem boni operis, secundùm illud Christi: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, Matth. 7. ℣. 20. *Sed contrà est*, quòd aliundè satis colligi possit, an adsit verus dolor nec ne. Deinde universalis praxis Ecclesiæ est contraria, ergo planè imprudenter hoc requireretur. Denique hoc ipsum est specialiter contra finem Sacramenti, cujus gratia per absolutionem causata debet juvare ad emendationem vitæ, ergo malè prærequireretur emendatio ante absolutionem. His omnibus non obstantibus dicam postea à nu. 1764. absolutionem aliquando differri posse & debere.

*Q. 171. Quid præterea sit notandum circa satisfactionem sive pœnitentiam, quæ in Confessione injungitur.* R. seqq. §. 1. 1232

Est conforme institutioni Christi, ut satisfactiones à Confessariis imponantur pœnitentibus, nam *Trid.* sess. 14. can. 14. De pœn. ait: *Si quis dixerit satisfactiones, quibus pœnitentes per JESUM Christum peccata redimunt, non esse cultus Dei sed traditiones hominum, doctrinam de gratia & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit.* Can. 15. *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnitentias confitentibus, agere contra finem clavium & contra institutionem Christi, & fictionem esse, quòd virtute clavium sublatâ pœnâ æternâ, pœna temporalis pleraque exsolvenda remaneat, anathema sit.* Ratio autem est, quia satisfactio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, ergo est ex institutione Christi, cùm enim omnia Sacramenta sint instituta à

Christo, nihil potest esse pars Sacramenti, nisi propter institutionem Christi.

1233. §. 2. Satisfactiones sacramentales aliæ sunt *vindicativæ*, quæ imponuntur ad tollendas pœnas temporales adhuc debitas peccatis: aliæ *medicinales*, per quas præservamur à relapsu: & de his dicit *Trid.* suprà c. 8. *A peccato revocant & quasi fræno quodam coërcent, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.* Iterum aliæ sunt *publicæ*, aliæ *privatæ*: Et publicæ, aliæ sunt *solennes*, aliæ non *solennes*, de quibus videri potest *Bellarm.* l. 1. c. 21. & 22.

1234. § 3. Probabilius videtur, quòd satisfactio pœnitentis non causet gratiam habitualem ex opere operato, *Vasq. Præp. Con. Raynaud. Lugo* d. 25. s. 1. *Aversa* q 14. s. 3. *Arr.* d. 47. s. 1. *Dicast.* d. 14. n. 156. *Gorm.* p. 2. n. 315. contra *Caj. Sot. Suar. Turr. De la Crux* apud *Dianam* p. 3. t. 4. R. 70. & alios. Ratio est, quia non debet virtus attribui Sacramento aut parti Sacramenti, nisi fundamentum habeamus ex Conciliis aut Patribus, hi autem, quando agunt de satisfactione, ei tantùm attribuunt virtutem remittendi pœnas temporales, quod fieri potest sine infusione gratiæ, uti patet in Indulgentiis & Sacrificio Missæ defunctis applicato, ergo.

1235. §. 4. Ob eandem rationem probabilius videtur contra eosdem AA. & contra *Con.* & *Averf.*, quòd satisfactio pœnitentis etiam non causet gratias actuales ex opere operato, sive, non conferat jus ad specialia auxilia pro emendandis peccatis, quamvis enim *Trid.* suprà c. 8. dicat revocare à peccato & cautiorem reddere,

hoc

hoc tamen facit ex se, & quantùm opus operantis valet ad coërcendum hominem & ad impetranda à Deo auxilia. Ratio autem est, quia jus ad specialia auxilia ratione Sacramentorum fundatur in gratia habituali sacramentali, quæ postea exigit ista specialia auxilia, ergo cùm satisfactio non causet ex opere operato gratiam habitualem, etiam non confert ex opere operato jus ad specialia ejusmodi auxilia.

*Obji.* 1. Si confitear peccatum mortale & veniale, dolor de veniali, licèt sit pars integralis tantùm, causat gratiam, ergo etiam satisfactio, scimus enim Sacramentum Pœnitentiæ esse à Christo elevatum ad causandam gratiam, & pariter scimus satisfactionem esse æquè partem integralem Sacramenti, ac dolorem de veniali, ergo. R. Concilia & PP. dicunt gratiam causari per confessionem & dolorem, quæ vel sunt vel ponuntur cũ partibus essentialibus causantibus gratiam; è contrà per satisfactionem, quæ diu post partes essentiales Sacramenti gratiam causantes poni potest, tantùm dicunt causari remissionem pœnæ, ergo non est paritas.

*Obji.* 2. Absolvens sæpè addit hæc verba: *Quidquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in augmentum gratiæ &c.* ergo absolutio elevat satisfactionem ad augendam gratiam. R. n. conseq., nam Sacerdos etiam orat, ut per merita B. Virginis & omnium SS., item per quæcumque opera pœnitentis augeatur illi gratia, neque tamen illa omnia sunt satisfactio sacramentalis, multò minùs elevantur ad causandam ex opere operato gratiam. Quoad illa tamen verba vide dicenda n. 1250.

§. 5. Satisfactio sacramentalis, si persolva- 1236.

tur post absolutionem, quæ ipsam adhuc afficiat, causat remissionem pœnæ temporalis ex opere operato, *Suar. Vasq. Lugo* d. 25. n. 16. *Dicast.* d. 14. n. 151. & communiter omnes, teste *Arr.* d. 47. n. 9. Probatur ex *Trid.* suprà c. 8. & Can. 15. nam dicit esse ex institutione Christi, ut pœna condonetur, nempe temporalis, quia docet c. 8. & definit Can. 12. non semper totam remitti cum culpa & cum pœna æterna, ergo. *Dixi*, si persolvatur post absolutionem, nam licèt possit saltem quoad partem persolvi ante absolutionem, tamen nihil ad Sacramentum pertinens causat gratiam ex opere operato, antequam compleatur Sacramentum & ponatur forma, in qua secundùm *Trid.* c. 3. est præcipua vis & efficacia hujus Sacramenti, ergo si ita anticipetur, ut super eam cadere non possit, forma nihil efficiet ex opere operato, *Suar. Lugo* n. 28. *Arr.* n. 20. *Aversa* q. 14. s. 4. §. *Quartò. Amic.* d. 16. n. 87. *Dicast.* nu. 165. *Sporer* n. 576. *Confirmatur*, nam non remittit pœnam, nisi supponendo culpam ex vi hujus absolutionis remissam, cùm subordinetur absolutioni ad remittendas reliquias pœnarum peccatis debitarum, sed tum culpa non supponitur remissa ex vi hujus absolutionis, ergo. *Dixi* 2. si ita anticipetur &c. nam docent *Præpos.* De satisf. q. 12. n. 93. *Merat.* d. 41. s. 2. & insinuat *Lugo* d. 25. n. 28. satisfactionem, quæ præcedit, operari remissionem pœnæ accedente absolutione, quod verum est, si illam adhuc moraliter præsentem censeatur afficere absolutio.

1237 §. 6. Incertum manet, quantùm de pœna peccatis confessis debita remittat satisfactio; nam si imponatur minor, quàm reipsa respon-

deat

deat pœnæ à Deo commensuratæ, certum est tantùm aliquid illius remittere. Et licèt Confessarius judicet pœnitentiam impositam esse æqualem, si talis non sit, non ideo, si hanc pœnitentiam expleat, remittetur tota pœna, quia opinio Confessarii non præjudicat juri Dei, nec facit partem Sacramenti esse magis operativam, quàm in se sit secundùm institutionem Christi, uti pluribus probant *Lugo* à n. 19. *Dicast.* in. 175. *Gorm.* à n. 318. Aliud est in Indulgentiis, quia Papa aliunde ex thesauro Ecclesiæ supplet. Est tamen probabile cum *Lugo* num. 26., quòd melior dispositio pœnitentis, etiam tum, quando pœnitentiam implet, plùs etiam conferat ad remissionem pœnæ. Cur autem vi Baptismi remittatur omnis pœna & non vi Sacramenti Pœnitentiæ, rationem dat S. *Th.* in supplem. q. 18. a. 2. tum quia *non debet alicui imputari ad pœnam, nisi quod ipsemet fecit*, homo autem non fecit ipsemet originale peccatum, sed tantùm personale: tum etiam, quia homo *fit per gratiam baptismalem novus homo.... sed in pœnitentia homo non mutatur in aliam vitam, quia non est regeneratio, sed sanatio quædam.... Attamen de illa pœna, quæ in Purgatorio debetur, aliquid remittitur, ut minùs in Purgatorio puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quàm si ante absolutionem decederet.*

§ 7. Probabilius videtur Confessarium pec- 1238
care, si nullam injungat pœnitentiam, etiamsi pœnitens velit lucrari Jubilæum seu Indulgentias, aut videatur valde contritus, nam adhuc integrandum est Sacramentum saltem per parvam pœnitentiam, aut per ipsasmet preces pro lucrandis Indulgentiis recitandas, maximè cùm

valdè incertum sit, an quis Indulgentias plenè lucretur, & an contritio illa deleat omnem pœnam. Quòd si supponamus obtineri Indulgentias, aut per hanc contritionem deleri pœnas, posset pœnitentia vindicativa minor imponi, uti dicetur n. 1258. Quæ omnia confirmabuntur ex dicendis n. 1273. Si tamen pœnitens paulò pòst esset subiturus martyrium, putat *Dicast.* n. 16. posse non injungi pœnitentiam, *sed* si commodè peragi possit, dicendum est injungendam esse, saltem ut integretur Sacramentum: & si homini illi nulla pœna superfuerit solvenda, satisfactio ejus vel manebit in thesauro Ecclesiæ, vel poterit servire alteri, secundùm dicenda n. 1330.

1239. §. 8. Si pœnitens statim post absolutionem addat novum peccatum, cujus nova detur absolutio, si hoc peccatum statum pœnitentis non notabiliter immutet, dicunt aliqui cum *Amic.* num. 114. non esse opus imponi novam pœnitentiam, quia licèt peccatum illud fuisset primò additum, potuisset eadem esse pœnitentia: sed dicendum est, cùm sit novum judicium, esse saltem aliquid leve addendum, vel eandem pœnitentiam, quæ antè data erat, nunc esse injungendam pro utraque confessione

1240. §. 9. Pro pœnitentia injungi quidem potest, secundùm *J. Sanch.* d. 13. & *Aversam* q. 13. s. 3., si id censeatur utile futurum, ut pœnitens eadem peccata eidem Confessario iterum confiteatur, non obstantibus illis, quæ dixi nu. 589., attamen cavendum, si Confessio per hoc redderetur odiosa: nec absolutè expedit fieri, si sint peccata carnalia, ut in specie infima ea confiteatur sæpiùs, bene tamen in genere aut in specie sub-

ibalterna, v. g. accusando se de turpibus tactibus vel pollutionibus antehac commissis. Putat *Sanch.* injungi non posse, ut statim iterum confiteatur, si in tale peccatum fuerit relapsus, quia si non relabatur, nunquam integraret Sacramentum, sed meliùs contradicunt alii cum *Aversa* s. 4., quia per hoc simul injungitur specialis cautela & conatus non relabendi, ergo licèt non relabatur, per hanc ipsam specialem caurelam & conatum integrat Sacramentum: aut saltem potest illi simul imponi aliquid leve, quod jam impleat.

§. 10. Præter citatos à *Busenb.*, rectè dicunt *Suar. Lug. Lohn. Dicast.* d. 14. nu. 85. & alii posse pro pœnitentia imponi opus merè internum, v. g. meditationem de morte. *Nec obstat*, quòd Ecclesia non videatur posse præcipere actus merè internos, *nam* hoc posse Ecclesiam, ostendi l. 1. à n. 648. Et dato, quòd de se non posset Ecclesia, Confessarius id præcipit nomine Christi instituentis hoc Sacramentum cum potestate ligandi non restricta ad actus tantùm externos satisfactionis. 1241

§. 11. Præter citatos à *Busenb.*, etiam rectè dicunt *Aversa* s. 4. *Amic.* n. 62. *Bosco* d. 7. s. 12. à n. 110. *Dicast.* n. 94. *Rayn.* in Heter. tom. 15. p. 2. l. 3. p. 2. n. 31. posse injungi orationes pro Defunctis, quia sic imperatur actus charitatis, & omnis oratio etiam est actio bona de se molesta: atque ideo etiam *Catech. Rom.* De pœn. c. 13. monet injungendas orationes, *præsertim pro iis, qui ex hac vita in Domino excesserunt*, est enim, inquit *Lugo* d. 25. n. 61. eleëmosyna acceptissima, & illi rursus pro pœnitente orabunt. 1242

§. 12. Opus perpetuum non debet pro pœniten- 1243

nitentia imponi, unde si Confessarius tibi imponat, ut quotidie totâ vitâ ores *Pater* & *Ave*, *Castrop.* t. 23. p. 21. §. 4. n. 3. & §. 5. n. 16. *Burgh.* cent. 2. cas. 77. *Steph.* t. 5. d. 5. n. 175. dicunt te non teneri acceptare vel acceptatam exequi, quia immoderatè durat. Aliud est, si præter opus aliquod, quod jam fieret, imponeretur aliud obligatorium, sine majore tamen obligatione: & sic legimus, quòd S. *Bernardus* videns magnam contritionem *Arnulphi* cujusdam, ei injunxerit, ut oraret ter *Pater* & *Ave*, ac in religioso statu usque ad finem permaneret, ut̀ refert *Dionysius Werlensis Capucinus*, in Pseudopœnitente c. 2. a. 2 §. 5. Reg. 11., ille enim jam antecedenter tenebatur ad statum illum. Posse autem opus aliunde præceptum esse saltem partem pœnitentiæ, rectè docent *Suar. Vasq. Dian. Lug. Dicast.* & alii multi cum *Escob.* probl. 32. contra *Maj. Palud.* & alios, sic enim imponitur secunda obligatio, ideoque duplicem specie malitiam contrahit pœnitens, si omittat, ut̀ dictum est l. 5. n. 135.

1244 §. 13. Si Sacramentum Pœnitentiæ fuerit validum & informe (quale posse esse dixi àn. 672.) & satisfactio persolvatur in mortali, antequam Sacramentum reviviscat, tum quidem non habet suum effectum, quia pœna non remittitur, nisi prius remissa sit culpa, postea tamen reviviscente Sacramento etiam reviviscet satisfactio in ordine ad delendam pœnam ex opere operato, ut̀ cum communi *Diana* p. 3. t. 4. R. 85. *Arr.* d. 15. n. 20. *Aversa* q. 14. s. 8. & sequitur ex dictis l. 6. p. 1. à n. 197.

1245 §. 14 Si Sacramentum Pœnitentiæ fuerit formatum & causaverit gratiam, satisfactio autem

autem persolvatur post relapsum in mortale, *Mag. sentent. S. Th. Adr. Led. Valent. Hurt. Turr. Præpos. Ochag.* & alii cum *Dicast.* d. 14. n. 170. dicunt nunquam prodesse. E contrà *Caj. Vict. Vivald. Suar. Henriq. Con. Arr. Lug. Fagund. Laym. Diana* & alii dicunt semper prodesse: sed quamvis prima sententia videatur esse probabilior, tamen potest sic distingui, nam nunquam habet effectum ex opere operantis, quia prout ab homine ponitur, deberet sumere valorem ex dignitate personæ operantis, quæ dignitas hìc non est, cùm operans sit in mortali, ergo talis satisfactio, prout est actio operantis, est opus planè mortuum: & hoc fortè vult prima sententia. E contrà prout est actio sacramentalis ex institutione & quasi nomine Christi posita, probabiliter dicit secunda sententia habere effectum ex opere operato, vel tum, quando ponitur etiam in peccato mortali, eò quòd Deus non respiciat actionem, prout est hominis sed prout est moraliter Christi, utì tenent plerique cum *Bosco* s. 13. à n. 46., ad eum modum, quo Missa ab impio Sacerdote lecta valet ad effectus suos ex opere operato; vel saltem postea, quando removetur obex, quod erat mortale, utì cum aliis putant *Aversa* & *Viva* ad prop. 18. *Alex.* VIII. n. 14.

§. 15. Eum nequidem venialiter peccare, 1246.
qui persolvit pœnitentiam in mortali, docent *Sot. Tann.* Lugo d. 25. n. 32. *Arr.* d. 47. n. 23. *Dicast.* d. 14. n. 160. & alii contra *Suar. Castrop. Laym. Busenb. Sporer* n. 541. *Viva* n. 13. & alios: Rationem dant, tum quia Confessarii ipsi sæpe imponunt pœnitentiam explendam, antequam absolvant à mortalibus, tum etiam quia nulli

nulli pœnitentes faciunt sibi scrupulum, licèt persolvant post relapsum, creduntque meliùs esse, quàm diutiùs differre, ergo ex sensu communi non est peccatum. *Nec obstat*, quòd satisfactio sit pars Sacramenti, ideoque videatur irreverentia, si in statu peccati mortalis ponatur, *nam* etiam dolor & confessio sunt partes Sacramenti, & quidem essentiales, & tamen sine peccato veniali poni possunt à pœnitente constituto in mortali; unde sicuti non peccat, qui alia sacramentalia, v. g. benedictionem Episcopi vel aquam benedictam accipit in mortali, ita nec hìc.

1247. §. 16. Qui implet pœnitentiam per actionem ex circumstantia venialiter peccaminosam, non privatur fructu satisfactionis ex opere operato, quia veniale non impedit effectum remissionis pœnæ aliis peccatis remissis debitæ, cùm veniale sit compossibile cum gratia talium peccatorum remissiva. Imò putat *Lugo* n. 33. non impediri fructum satisfactionis, licèt interveniret mortale, dummodo pœnitentia quoad substantiam impleatur.

1248. §. 17. Pœnitentia imponi potest sub conditione v. g. si convalescat, si fiat dives &c. Rectè tamen notat *Aversa* q. 13. s. 4. addendum simul, ut jam aliquid aliud fiat, quo integretur Sacramentum.

1249. §. 18. Probabilius videtur pœnitentiam non debere injungi sub consilio tantùm, sed sub obligatione aliqua, utì tenent *Vasq. Túrr. Con. Lug. Arr.* d. 47. s. 5. *Amic.* d. 16. n. 79. *Bosco* d. 7. s. 13. à n. 149. *Gorm* n. 332. contra multos, quos citat & sequitur *Busenb.* suprà. Ratio nostra est, quia Confessarius, secundùm *Trid.* sess. 14. De

pœn.

pœn. c. 8., injungit ex potestate ligandi, quam habet, sed non ligat, nisi obliget : Deinde injungit tanquam Judex , sed Judex obligat ad pœnam promeritam , ergo. Probabilia tamen sunt, quæ addit *Aversa* s. 7., nempe 1. posse Confessarium, præter pœnitentiam obligatoriam, alia opera imponere pro libertate agendâ, quæ tamen vi absolutionis etiam elevantur ad satisfaciendum ex opere operato : ideoque *Dicast.* d. 14. dub. 3. dicit imponi posse partim sub præcepto partim sub consilio. 2. Etiam posse pœnitentiam de se gravem & pro mortalibus debitam , imponere sub obligatione tantùm levi, si expressè dicat se ita imponere , ad eum modum , quo cum sententia communi dixi l. 1. n. 668 materiam de se gravem posse imperari sub obligatione tantùm levi.

§. 19. Quamvis probabilius sit, quod cum aliis multis docet *Busenb.* suprà, per illa verba, *Quidquid boni feceris &c.* non elevari omnia opera secutura pœnitentis ad satisfaciendum ex opere operato, tamen videtur probabile, quòd verba illa aliquid operentur, uti præter citatos à *Busenb.* docent *Steph.* t. 5. d. 5. n. 173. *Sporer* n. 569. aliique apud *Werlensem* Reg. 12. quia licèt non à Christo, tamen sunt instituta ab Ecclesia, quæ potest concedere indulgentias ; neque sunt merè deprecativa, sed possunt per modum auctoritativæ sententiæ à Confessario proferri. Et hæc videtur esse mens *S. Th.* quodlib. 3. a. 13. ubi dicit opera hominis per hoc accipere vim expiandi peccata : item *S. Antonini*, & *S. Thomæ à Villa nova*, quorum verba referam n. 1256. 1250.

Q. 172. *Quantæ pœnitentiæ sint injungendæ.* 1251.

R. §. 1. Universaliter loquendo, injungi debent proportionatæ peccatis, si tamen sint accommodatæ pœnitentibus, nam *Trid.* sess. 14. De Pœn. c. 8. ait, *debent ergo Sacerdotes, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

1252. §. 2. Quantæ olim injungi debuerint, colligitur ex canonibus pœnitentialibus Decreto Gratiani adjectis, juxtà quos regulariter pro quovis mortali erat injungenda septennis pœnitentia, jejunando omni septimanâ in pane & aqua, diebus Lunæ, & Mercurii & Veneris. Similem pœnitentiam septennem etiam pro occultis peccatis statuerunt, S. *Bonifacius* Archi-Episcopus Moguntinus, S. *Raymundus*, S. *Vincentius Ferrer*. S. *Bonav.* utì refert *Werlensis* c. 2. a. 2. Tota quæstio hìc est, an etiam hoc tempore imponi debeant tantæ pœnitentiæ.

1253. §. 3. Aliqui affirmant: Hinc *Werlensis* citans *Guillermum* & S. *Carolum Borrom.* dicit illas pœnitentias jam esse falsas, quæ non imponuntur pro qualitate criminum, secundùm dictos canones, consideratis tamen circumstantiis, quatenus & fragilitati nostrorum temporum & qualitati pœnitentium congruunt. Idem *Werlensis* c. 1. a. 5. docet ex variis Authoribus, eum verè non dolere de peccatis, qui commensura-

tam

tum ejusmodi pœnitentiam admittere non vult, quia *qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret*, inquit S. *Bernard.* De grad. Humil. c. 78. *Si in correctione minor est afflictio, quàm in culpa fuit delectatio, non est dignus pœnitentiæ tuæ fructus*, inquit *Hugo de S. Victore* l. 2. de Sacram. p. 14. c. 2. Hinc *Werlensis* num. 14. innuit nimis parvam fore pœnitentiam, si quis pro una fornicatione injungat solos 7. psalmos pœnitentiales aut aliquot Rosaria.

§. 4. Certum est pro his temporibus remissse rigorem antiquorum canonum, nam S. *Leo* Papa Epist. 90. ait: *Multa sunt, quæ pro necessitate temporum aut pro consideratione ætatum oportet temperare*: Et S. *Greg.* relatus in decreto Gratiani dist. 29. c. 2. ait: *Regulæ SS. PP. pro tempore, loco, & persona & negotio, instante necessitate tradita sunt. Petrus Pictaviensis* s. 9. p. 2. ait: *Sicut moderni Physici temperant antiquarum violentiam potionum, sic & nos plerumque antiquorum rigorem Canonum pœnitentialium, quia non possumus sustinere censuram illius temporis, quando & corpora defecerunt.* Cardinalis *Bona* l. 1. Ver. Liturg. c. 18. ait: *Moribus immutatis sacros quoque ritus variari consequens fuit, & multa quidem sapientissimè œcumenicis Conciliis & à summis Pontificibus innovata fuerunt, id exigente temporum conditione, quæ pristinæ consuetudinis districtionem semper in eodẽ statu manere non patitur.* Similiter loquuntur S. *Th.* & *Hugo Victor.*, quos referam n. 1742. Ratio jam est insinuata, quia Ecclesia, velut prudens Medicus, considerat ægrorum temperamenta, qualitates temporum, dispositionem corporum, & ea præscribit remedia, quæ hìc & nunc judicantur fore utiliora. 1254

1255 §. 5. Rigoristæ dicunt causam relaxandi disciplinam quoad pœnitentias, esse refrigescentem charitatem fidelium, sed *contra* est, nam potiùs inter causas fuit, 1. Ne Confessio ab hæreticis impugnata velut impossibilis, per duras pœnitentias magis redderetur odiosa. 2. Quia successu temporis plures fuêre Sacerdotes, apud quos frequentarentur Confessiones ad emendationem utilissimæ, & qui in hoc foro interno aliter mederentur peccatis per medicinas benigniores. 3. Quia animadversum est, benignas pœnitentias plùs prodesse quàm rigidas, eò quòd per benignas magis allicerentur fideles ad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ. 4. Quia occasione belli sacri contra Turcas inductus est usus Indulgentiarum, qui secundùm dicenda à n. 1314. est modus satisfaciendi pro peccatis utilior ac certior quàm observatio Canonum poenitentialium. 5. Quia successu temporis instituti sunt Ordines Religiosi, qui sunt status poenitentium utilissimi. Vide *Francol.* Cler. Rom. p. 2. c. 1., quod enim ibi dicit de mutatione poenitentiæ publicæ in privatam, valet de mutatione poenitentiæ rigidæ in benignam: Et de hoc iterum plura habet l. 3. De discipl. poen. c. 6. §. 6.

1256 §. 6. Etiam præscindendo ab his causis, plures antiqui PP. ac viri sapientissimi meritò suaserunt benignitatem in injungendis poenitentiis. S. *Chrysost.* l. 2. De Sacerd. Dialog. 2. ait: *Equidem complures recensere possim, quos constat in extrema mala adactos, non ob aliud, nisi quòd digna ab iis poena, & quæ peccatis perpetratis par esset, exigeretur, neque enim temerè ad delictorum modum oportet & mulctam ipsam adhibere, sed tanquam con-*

*jectu-*

jecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, ne qua fiat, ut dum consuere vis, quod interruptum est, scissuram deteriorem facias, ac dum eum qui lapsus est, erigere atque emendare studes, casus ipse major per te reddatur: nam qui infirmi sunt ac remissi & magna ex parte mundi hujus deliciis illecebrisque illaqueati, quique à generis claritate, à potentia & opibus habere se credunt, unde animos magnopere tollant, ii, si sensim ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, possunt utiq; si non penitus attamen parte aliquâ eximere se atque liberare malis peccatisq;, quibus occupantur, quos si justâ statim animadversione emendes, fiet, ut minori etiam illâ correctione, quam sustinere poterant, prives. S. Bern. ser. 3. De S. Andrea dicit Confessarium debere esse instructum scientiâ, ut sciat, quid injungat, cui parcat, quando parcere debeat. Et infrà, Habeat in voluntate compati & liberare eum & nitatur aliquid detrahere severitati imitans dulcedinem Domini sui. Addit serm. 42. in Cant. Mallem aliquando tacuisse & dissimulâsse, quod agi perperam deprehendi, quàm ad tantam reprehendisse perniciem. Et de nimia S. Bern. severitate sub initium adhibita testatur S. Francis. Salesius in introd. ad vitam devotam p. 3. c. 2. Et idem S. Salesius in instr. Confess. c. 8. docet benignum debere esse Confessarium, qui condescendat infirmitati pœnitentis, si gravem pœnitentiam nolit admittere. S. Th. opusc. 65. §. 4. ait: Sit Sacerdos ita cautus, ut non imponat pœnitentiam ita gravem & austeram pœnitenti, ut pœnitens totum dimittat .... sed nec ita levem imponat, ut peccator contemnat peccatum.... faciat temperamentum ex misericordia & severitate, ut pœnitentia non sit nimis dissoluta nec nimis rigida.... tamen tutius est imponere minorem debito quàm majo-

*majorem, quia meliùs excusamur apud Deum propter multam misericordiam quam per nimiam severitatem, quia talis defectus in Purgatorio supplebitur.* Auctor operis imperfecti Hom. 43. in Matth. utì refertur in decreto *Gratiani*, causâ 26. q. 7. c. 12. ait: *Etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes, ne me melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? ... si Deus benignus, ùt quid Sacerdos ejus austerus est? Vis apparere sanctus, circa tuam vitam esto austerus, circa alienam autem benignus* &c. S. Bernardinus De Confess. ait: *Potiùs imponat unum Pater noster, vel quòd semel de septimana vadat ad ecclesiam, vel aliquid levius.* Rationē dat *Catechismus Romanus*, quia si dimittantur sine absolutione, *summopere Sacerdotibus timendum est, ne semel dimissi amplius non redeant.* *Gerson* p. 2. opusc. in Reg. mor. ait: *Tutius est cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & verosimiliter adimpletur, ducere confessos ad Purgatorium, quàm cum magna non implenda præcipitare in infernum.* Et hanc *Gersonis* sententiam laudat S. *Salesius*, ac iisdem ferè verbis habet *Trittemius* De vita Sacerdotum c. 6. nu. 17. S. *Raym.* De *Pennafort* & B. *Humbertus* apud *Francol.* De discipl. l. 3. c. 2. §. 2. Similiter S. *Antonin.* p. 7. tit. 17. c. 20. ait: *Debet Confessor dare pœnitentiam, quam credat verisimiliter illum impleturum. Quòd si magna peccata commisit & dicit se pœnitere, sed non posse aliquam duram pœnitentiam agere, animet eum ad hoc Confessor, ostendendo ei gravitatem peccatorum, & per consequens pœnarum & pœnitentiarum sibi propterea debitarum, & sic tandem ei injungat pœnitentiam, quam libenter suscipiat. Et si Sacerdos non possit gaudere de omnimoda purgatione ejus, saltē gaudeat, quòd liberatum à gehenna*

nna transmittat ad Purgatoriam. Itaque nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere à se, sed potiùs imponat ei unum pater noster vel aliud leve, & quòd alia bona opera, quæ fecerit, & mala, quæ toleraverit, sint ei in pœnitentia. S. Thomas de Villa Nova feria 6. post Dominicam Lætare, ait, Sic rigorem pœnitentiæ temperato, ut neque levitas delicti contemptum, nec gravitas omittendi periculum creet: hoc judicio meo ita perficies, si facilem unam injunxeris, acriorem alteram peccatori consulueris, ita tamen, ut ad omnem ejus voluntariam & spontaneam pœnitentiam Sacramenti applices efficaciam, nonnihil enim ex hac applicatione illi accrescit. Petrus Blesensis l. De pœn. & satisf. ait, Quantò frater infirmior est, tantò ei mansuetior & indulgentior esse debes: infirmior quidem filius teneriùs à matre diligitur.

§. 7. Tantò minor potest imponi pœnitentia, quantò advertitur esse major contritio & verecundia de peccatis. Guido de monte Rocherii in Libello dicto, Manipulus Curatorum, De Pœn. c. 5. sic scribit: Clemens Papa IV. cùm equitaret quâdam die per Romam, quædam mulier, quæ de remotis partibus venerat, accessit ad eum, portans unum parvulum puerum in brachiis, & voce magnâ cum lachrymis clamavit, Pater sancte miserere meî peccatricis & da mihi pœnitentiam, quia habui filium meum, quem hic porto, à filio meo. Et Papa coram omnibus absolvit eam à peccato, & imposuit ei pœnitentiam, ut jejunaret sextas ferias per annum in pane & aqua. Et mulier recedens & revolvens secum gravitatem peccati & parvitatem pœnitentiæ, credidit, quòd Papa non bene intellexisset eam, & in crastinum accessit ad Papam, & confessa est sicut priùs, & Papa absolvit eam, impositâ pœnitentiâ, 1257.

*quòd diceret tria pater noster. Mulier itaque recedens & secum, ùt priùs, peccatum pœnitentiamque volvens iteratò ad Papam rediit, & coram omnibus, ùt priùs, confessa est, quam Papa absolvit imponens ei pœnitentiam, quòd diceret unum pater noster. Et cùm interrogaretur Papa, quare ita modicam pœnitentiam sibi imponeret, respondit, quòd plùs ascendit contritio, dolor, verecundia, quam passa est ità publicè confitendo peccatum suum, quàm si omnibus diebus vitæ suæ jejunâsset cum pane & aqua.* Simile exemplum narrant *Werlensis* c. 2. a. 2. Reg. 11. & *Rayn.* in Heter. tom. 16. f. 1. pu. 9. n. 28.

1258. §. 8. Quamvis secundùm dicta n. 1238. & iterum dicenda n. 1273. debeat etiam tempore Jubilæi & Indulgentiæ imponi pœnitentia, tamen communis sententia est contra *Werlensem* c. 6, quòd possit tum imponi minor pœnitentia vindicativa, quia per Indulgentias remittuntur pœnæ peccatis debitæ. Attamen pœnitentiæ medicinales non videntur ideo minuendæ, utì probabiliùs tenent *Suar.* & alii apud *Bosco* d. 7. f. 13. n. 386. contra multos, qui cum *Lugo, Bonæsp. Lohn. Steph. Spor.* num. 545. putant non esse opus nequidem medicinalem imponere, eò quòd accessorium sequatur principale: sed contrà est, quòd æquè ac aliàs debeat impediri relapsus, ergo non est causa minuendi pœnitentias. V. dicenda n. 1273.

1259. §. 9. Aliæ causæ minuendi pœnitentias sunt, 1. secundùm *Vasq. Bonac. Gob.* tr. 7. n. 578. si sic alliciatur pœnitens ad frequentiorem utilemque confessionem. 2. In dubio, an plùs obfutura sit quàm profutura major pœnitentia. 3. Quando Confessarius scit pœnitentem ex se solere præstare multa opera bona & satisfactoria.

ria. 4. Quando Confessarius causâ diminuendi pœnitentiam reflexè dicit, *Quidquid boni feceris &c.* probabile enim est, secundùm dicta n. 1250. id prodesse ad satisfactionem.

§. 10. Si Confessarius ostenderit pœnitenti 1260.
obligationes restituendi, se reconciliandi offensis vel inimicis, vitandi occasiones peccatorum, opera quotidiana bene peragendi &c. non multùm debet esse anxius cum gravi peccatore non ita disposito ad subeundam gravem pœnitentiam, hæ enim obligationes per se sunt satis graves, quas pro parte pœnitentiæ injungere potest. Quòd si Confessarius in rigore semper procederet cum talibus, esset certum periculum, ne aut graves pœnitentias non implerent, aut Sacramentum eis exosum fieret, aut denique ne in desperationem laberentur: Imò notat *Busenb.* cum aliis apud *Lohner* non esse dimittendum pœnitentem, qui admittere vult pœnitentiam saltem levem. Addit *Werlensis* c. 2. a. 2. §. 5. Reg. 7. à variis Conc. & PP. statui, si pœnitens se excuset, & adduci nequeat ad pœnitentiam proportionatam, imponendam esse, quam posset & velit portare, ne fortè postea deteriùs peccet poenitentiam infringendo. E contrà si poenitens petat aut libenter admittat poenitentias majores & suo modo proportionatas, tales injungendæ sunt, hinc *Gob.* n. 472. dicit integrum Rosarium utiliter injungi illis, qui quotidie illud orare solent, quamvis confiteantur sola venialia: & idem est, si soleant Missam quotidie audire, & Missæ auditio injungatur, quia sic opera ista elevantur ad majorem satisfactionem. Aliquam tamen saltem levem pœnitentiam tenetur admittere poenitens,

alioquin censeri non debet esse dispositus, *Viva* ad prop. 15. *Alex. VII.*

1261. §. 11. Si Confessarius sine justa causa minimas injungat pœnitentias, nec liberè pro officio suo admoneat pœnitentẽ, imprimis dat ipsi pœnitenti scandalum, qui satis advertet talem Confessarium ex humano respectu remittere de obligatione sui officii. Deinde est causa novorum relapsuum, quia pœnitens sic minùs apprehendit gravitatem sui peccati minúsque deterretur. Præterea causa est, cur postea diutiùs ardeat in purgatorio, si enim plura & majora opera injungeret, hæc vi Sacramenti elevarentur ad delendas magis pœnas.

1262. §. 12. Ex dictis constat cavendum esse excessum in alterutram partem, & pœnitentiam injungendam esse, quæ sit proportionata peccatis, non absolutè, sed spectatâ simul pœnitentis dispositione, facultate, utilitate, hoc enim spectare debet Confessarius, ut neque nimiâ indulgentiâ peccatis conniveat, nec nimio rigore peccatores absterreat, neque per desperationis præcipitia impellat, neque ad vitæ dissolutionem frena relaxet: *sicuti enim*, inquit *Petrus Blesensis* suprà, *confitenti necessaria est humilis & sincera devotio, sic Sacerdoti necessaria est circumspecta discretio: bonus Samaritanus oleum affundit & vinum.* In dubio autem, quid magis profuturum sit, inclinandum est in partem benigniorẽ, quia in ea minùs est periculi, utì dictum est, & iterum dicetur à n. 1737. *Sapientis Medici est*, inquit S. *Th.* in 4. dist. 18. q. 2. a. 1. quæstiu. 3. *à levioribus medicinis incipere & minùs periculosis*: Et d. 19. q. 2. a. 3. quæstiu. 2. *paulatim procedendum est, ut quàm minùs potest fieri, gravetur ille, cui medicari volumus.*

Q.

Q. 173. *An pœnitentiæ debeant ideo esse suspectæ,* 1263.
*quod a Religiosis Mendicantibus imponantur.* R. Ita cavillatos esse quosdam, atque si Mendicantes non dent pœnitentias proportionatas, sed *Alexand. VIII.* damnavit hanc 31. prop. *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleëmosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi & incongrua pœnitentia seu satisfactione ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.* Propositionem illam è Gallia in Belgium transvexit Libellus, cui Titulus, *Theophilus parochialis*, editus sub ementito nomine *Ludovici De Pippre.* Idem olim objecerat *S. Bonaventuræ, Guilhelmus à S. amore,* cui respondet, si ideo adulatores sunt Mendicantes Religiosi, etiam tales fuisse Christum & Apostolos, qui communiter vivebant eleëmosynis: imò tales esse Pastores multos, qui sine patrimoniis ad Beneficia vocati, brevi ditescunt per oblata à fidelibus. Vide *S. Bonav.* in apolog. pauperum Resp. 4. c. 3. Et *Viva* ad prop. 21. ab *Alex. VII.* damnatam, ubi à n. 7. ostendit, quòd rigor antiquus in pœnis infligendis ante adventum Mendicantium exoleverit.

Q. 174. *An aliquando debeat, aut saltem possit imponi pœnitentia publica.* R. 1. Si id necesse foret ad tollendum scandalum, quod per peccatum datum esset, deberet imponi, secundùm *Trid.* sess. 24. c. 4. De Reform. quia jam aliunde esset obligatio, & per hoc non censeretur manifestari peccatum, utpote jam antecedenter notum, sed tantùm resipiscentia & remotio scandali. Aliàs rarò expedit imponere pœnitentiam publicam. 1264.

§. 2. Peccatoribus etiam occultis posse negari absolutionem, si pœnitentiam publicam 1265.

recusent, docent cum aliis *Morinus* De adminis. Sacram. Pœnit. l. 5. c. 17. n. 7. Et *Bosco* d. 7. sect. 13. n. 296. aliique plures cum *Dicast.* d. 14. n. 86. idem dicunt, si hic & nunc judicaretur expedire ad terrendum & corrigendum pœnitentem: & ita *Catechis. Rom.* De Pœn. c. 12. dicit, quòd etiam pro peccatis occultis gravioribus olim imponerentur poenitentiæ publicæ. Sed pro hoc tempore contradicunt alii communissimè cum *Francol.* in Cler. Rom. p. 1. d. 7. nu. 11. & 20. Hinc *Castrop.* tr. 23. p 21. § 2. n. 5. ait, *Omnes conveniunt injustissimè cogi pœnitentem ad pœnitentiam publicam pro peccato occulto*: ideoque Concilia, imò & Imperatores sanxerunt, ut peccatis occultis occultæ tantùm imponerentur poenitentiæ. Consonat *Gerson* p. 2. nu. 32. opusc. De præceptis decal. c. 19. *Hoc*, inquit, *pro regula certa & documento salubri teneatur, ut nunquam pro peccato secreto vel occulto pœnitentia publica pœnitentibus injungatur.* Ratio est: quia est contra modernam consuetudinem Ecclesiæ, modus autem administrandi Sacramentum poenitentiæ, quem jam tenet Ecclesia, non est abusus sed laudabilis usus, uti constat ex prop. 18. damnata, quam num. 1330. retuli. Deinde *S. Th. Nav. Suar. Vasq. Côn. Chapeav.* De cas. Reserv. p. 1. c. 12. q. 4. *Avers.* q. 13. s. 3. docent per hoc revelari sigillum saltem indirectè & in genere, quisquis enim de tali pœnitentia audiret, meritò judicaret impositam esse ob grave peccatum occultum, atque sic ad minimùm confessio fieret odiosa.

*Objicies.* Non ideo manifestatur delictum, quia homines credent ex devotione talem pœnitentiam publicam à pœnitente assumi. R. Si

ita

ita esset, non frangeretur quidem sigillum, attamen facilè orietur saltem suspicio prudens, quòd hoc pro poenitentia sit impositum, & sic manifestabitur graviter deliquisse: hinc *Concilium Colonienſe* apud *Francolinum* n. 22. ait, *Quâ poenitentiâ, etsi, qui deliquit, non proderet speciatim crimen suum, tamen ipso facto confitebatur & declarabat Ecclesiæ, se graviter peccâsse*: est autem contra sigillum, si manifestetur poenitentem graviter peccasse, ergo.

§. 3. Docuerunt aliqui salvo sigillo potuisse aliquando Confessarios deferre ad Episcopum enormia crimina, sed id absolutè illicitum esse, dicetur n. 1975. Imò *Rayn.* in Heter. tom. 16. s. 1. pu. 9. n. 33. non omnino approbat factum S. *Alberti* Monachi, qui poenitentes suos priùs juramento adstringebat, ut ad Episcopos irent, & eadem flagitia eis confiterentur, est enim durum nimis & alienum à consuetudine Ecclesiæ ita cogi bis eadem confiteri. 1266.

Q. 175. *Quænam pœnitentiæ sint utiliores.* Re. 1267.

§. 1. Universim illæ sunt utiliores, quæ sunt magis accommodatæ ad hunc vel illum poenitentem discretè affligendum & efficaciter emendandum: Hinc vix prodest longas orationes imponere illis, qui vix tempus habent orandi, aut aliunde obligati sunt ad multùm orandum, aut se accusant de omissis sæpe longis orationibus pro poenitentia injunctis. Magis quoque conducunt pauca opera cum fervore & in gratia facta, quàm multa tepidè & in statu peccati mortalis. Itaque talibus injungendæ sunt aliæ poenitentiæ parvæ & efficaces, v. g. ut certâ die aut certis festis confiteatur & communicet. Ut de mysterio, ad quod maximè afficitur,

tur, vel de materia, quâ maximè terretur, per aliquod tempus quotidie meditetur aliquid. Ut librum aliquem legat efficacem pro suggerendis motivis ad hoc vel illud faciendum aut emendandum. Ut usque ad proximam confessionem manè proponat cavere hoc vel illud peccatum: vesperi autem examen instituat; & si in eo deliquerit, conteratur; si non, proponat in crastinum similiter cavere, petens ad id gratiam Dei. Ut vesperi lecto incumbens cogitet se aliquando moriturum & è lecto non surrecturum: manè evigilans omnium primò cogitet se aliquando à morte evocandum ad judicium & de tota vita redditurum rationem. Ut usque ad proximam confessionem, quoties hanc vel illam tentationem sentiet, cogitet Deum sibi præsentem, qui judicabit & severè puniet, si labatur. Ut quoties lapsus fuerit, statim certam aliquam pœnam subeat, aut intra diem à lapsu confiteatur &c.

1268. §. 2. Eleëmosyna est divitibus, avaris, injustis efficaciſſimum opus satisfactionis, quia pecunia est illis quodammodo sanguis & anima effectûs inordinati: cavere tamen debet Confessarius, ne eleëmosynas velit sibi vel suis applicari. Contra peccata carnis, ebrietatis, gulæ, valent macerationes corporis per jejunia, cilicia, castigationes, subtractiones commoditatum, sic enim igni ligna subtrahuntur. Contra peccata odii, invidiæ, iracundiæ, maximè valent opera humiliationis aut charitatis erga proximum, à quo est quasi naturalis aversio. Denique cùm omnia peccata ex amore proprio vel nimio appetitu delectationum suarum nascantur, generale & utile remedium est, ut qui commisit

misit illicita in aliqua materia, in eadem etiam illicitis abstineat.

§. 3. Opus, cæteris paribus, est tantò magis satisfactorium, quantò magis est meritorium, secundùm dicenda n. 1306. nam etiam meremur aliquam remissionem pœnæ : hinc cùm actus fidei, spei, charitatis sint maximè meritorii & plurimùm conferant ad emendationem vitæ, utilissimè pœnitentibus injungentur recitandi ex certis formulis. Putat *Anton. Sucquet* in via vitæ l. 3. c. 1. fontem omnis peccati & relapsuum esse defectum fidei , non enim vivè credimus, quæ fides Catholica proponit, sed tantùm cognoscimus humano aliquo & veluti mortuo modo, atque ideo vel non supernaturaliter, vel non satis efficaciter emovetur voluntas nostra ad detestanda peccata & emendandam vitam ; quomodo enim possibile est, si homo supernaturaliter & firmè crederet Deum esse summum bonum, ut ita facilè eum offenderet ? si crederet peccatis destinatas esse pœnas æternas inferni, quomodo propter momentaneam voluptatem se illis addiceret ? &c. 1269

§. 4. Monet S. *Salesius* in Instruct. confess. c. 8. non expedire dare pœnitentias conflatas ex rebus diversis, v. g. ut varias orationes recitet, tum jejunet, tum se flagellet &c. eò quòd pœnitens facilè eorum obliviscatur aut peragat sine fervore. 1270

§. 5. *Rayn.* suprà ait , pars longè maxima pœnitentiæ est increpatio , quam Confessarius adhibet post audita peccata, perfundens pœnitentem utili rubore & optabili confusione , ea quippe confusio est admodum onerosa pœnitenti , qui non potest tergiversari , quia tenetur 1271

suâ-

ſuâmet confeſſione. Impoſita igitur à Confeſſario, ſi à poenitente excipiatur patienter, habet rationem ſatisfactionis maximè efficacis ad abſtergendum reatum poenæ etiam ex opere operato, ſecundùm dicta n. 1236. Et videndum, ut increpatio ſit juſta, quando nempe cadit in gravia delicta : imò etiam cum gravibus peccatoribus increpatio debet eſſe prudens & abſque convitio.

1272 §. 6. Notat *Rayn.* à n. 30. inutilem ac imprudentem fore poenitentiam, ſi Confeſſarius conſuetudinario imponat non ampliùs relabi in peccatum conſuetudinis, hoc enim eſt illum de ſe nimis fragilem exponere periculis novæ mortalis malitiæ; & deberet ipſi imponi medicina pro emendando peccato, non ipſa peccati omiſſio, ad quam aliunde tenetur. Fatendum tamen eſt, poſſe, ſed rarò, quaſi in poenam admitti votum poenitentis de non relabendo, ſi ſpes ſit ex occaſione voti efficaciorem cautelam eſſe adhibendam, ſed expedit non permittere votum niſi ad tempus, ut exploretur, an profit nec ne.

1273 *Q. 176. Quid addendum circa obligationem pœnitentis in implenda pœnitentia.* R. ſeqq. § 1. Quamvis *S. Th.* in 4. Diſt. 20. q. 1. a. 3. quæſtiu. 1. tantùm dicat eſſe *conſulendum eis, qui indulgentiam conſequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abſtineant*, ideoque *Mendo*, *Beja*, *Lugo* d. 27. ſ. 2. aliique multi apud *Averſ.* q. 13. ſ. 9. & cum *Vindice Gob.* ad prop. 26. n. 20. dicant lucrantem pro ſe Indulgentias liberari à poenitentia per Confeſſarium injuncta. Oppoſitum tamen in praxi eſt tenendum, tum quia poenitentia pertinet ad integritatem Sacramenti, tum quia

quia nimis incertum est, an quis plenè lucretur Indulgentias, & quamvis certò lucraretur, tamen hoc non impedit, quò minùs teneatur ad poenitentiam, in quantùm ordinariè semper est simul medicinalis seu præservativa à relapsu, Confessarius enim obligare potest non tantùm ùt Judex ad vindictam peccati, sed etiam ùt Medicus ad emendationem, uti rectè *Rodriq. Fill. Dicast.* d.14. n.149. *Viva* De Jubil. q.5. a.2. contra *Vasq. Con. Lugo, Vindicem Gob.* ad prop. 27. & alios.

*Objicies. Bonifacius* VIII. dicitur in Extrav. *Antiquorum* De pœn. & remiss. noluisse per Confessarios in Jubilæo imponi pœnitentias vindicativas, ac insuper declarâsse pœnitentes faciendo opera injuncta pro Jubilæo, liberari omnibus antecedentibus pœnitentiis &c. De his nihil habet dicta Extravagans, sed Glossator in illam dicit *Bonifacium* postea interrogatum ita respondisse, quod tantùm addit authoritatem privati Doctoris: imò ex verbis ipsiusmet glossatoris intelligitur, imprimis quòd *Bonifacius* voluerit pro pœnitentia vindicativa injungi opera à se præscripta, nempe visitationes Ecclesiarum per 30. vel 15. dies continuos &c. nam dicit ex mente *Bonifacii, nihil debent injungere ultra injunctionem hìc positam.* Item *Papa declaravit consistorialiter, quòd poenitentiæ injunctæ etiam tolluntur per commutationem operis satisfactorii hìc positi*, ergo ex mente *Bonifacii* hæ visitationes debebant injungi pro pœnitentia, & in eas fieri per hunc Confessarium commutatio prioris pœnitentiæ. Deinde ex ejusdem Glossatoris verbis constat contra *Lugo* & alios, saltem ex mente *Bonifacii* nihil debere remitti de pœnitentia medi-

medicinali, nam expressè dicit, *Pœnitentia nedum est & ad remissionem pœnarum pro commissis & omissis debitarum, sed etiam ad cautelam futurorum, & quoad istud forsan potest pœnitentia injungi.* Denique quidquid sit de *Bonifacio*, reliqui Pontifices nunc in Bullis Jubilæi addunt communiter, ut pœnitentia salutaris injungatur, ergo explenda est à pœnitente.

1274 §. 2. Quando Confessio fuit invalida, non est opus persolvere pœnitentiam, cùm nullum sit Sacramentum, quod compleri possit, & aliàs teneretur pœnitens persolvere duas pro eisdem peccatis, *Escob. Fagund. Bosco* d. 7. s. 13. n. 367.

1275 §. 3. Si pœnitentia injuncta fiat impossibilis, non obligat: nec opus est aliud subrogare, quia id non potest propriâ authoritate, nec teneris eadem peccata de novo confiteri, *Aversa* s. 6. §. *Quartò*. Et idem est, si oblitus sis, uti præter citatos à *Busenb.* docent *Sot. Nav. Amic.* d. 16. n. 96. *Aversa* §. *Quintò*. *Arr.* d. 48. n. 33. *Sporer* n. 552. contra multos antiquos, qui volunt, si per culpam sit oblitus, debere Confessionem repeti. *Nec obstat*, quòd priùs Sacramentum non integrè compleatur, *nam* sufficiens excusatio est, ne bis cogaris confiteri eadem peccata, à quibus directè absolutus es. In utroque tamen casu, si conveniri posset idem Confessarius, qui esset saltem confusè memor statûs pœnitentis, petenda esset ab eo commutatio, ut sic integraretur Sacramentum: imò etiam expedit apud alium Confessarium se accusare postea de omnibus peccatis in genere, & petere tantò majorem pœnitentiam, ut quantùm fieri potest, hæc pœnitentia extendatur etiam ad peccata prioris Confessionis, pro quibus imposita erat

erat pœnitentia, quæ nunc è memoria excidit.

§. 4. Si quis eadem peccata bis confiteatur, 1276
multi dicunt satisfacere, si persolvat alterutram pœnitentiam: *Bosco* n. 362. putat ex vi secundæ liberari à prima; & num. 357. probabiliter dixerat secundam esse complementum utriusque Sacramenti: Hinc etiam si quis sine sufficiente causa eadem peccata confiteretur secundo Confessario, ut ita se liberaret à pœnitentia injuncta à primo, *Suar. Côn. Lug. Avers.* s. 5. dicunt non peccaturum nisi venialiter, si autem justam causam habeat, nullo modo peccat.

§. 5. Omittere materiam gravem injunctam 1277
pro mortali primâ vice confesso, est mortale: materia autem gravis est una confessio vel Communio, quia utraque sub mortali præcipitur semel in anno vel in Paschate. Et idem videtur esse, si quis omittat Rosarium. Si tamen aliquis unam ex decem v. g. Communionibus sibi injunctis omitteret, probabile est peccaturum tantùm venialiter, quia una respectu 10. videtur quid leve, maximè cùm per reliquas novem possit obtineri propè idem finis. Ita *Gob.* & *Stephan.* d. 5. t. 5. n. 176.

§. 6. Omittere materiam levem injunctam 1278
pro mortalibus est veniale tantùm, uti cum communi *Aversa* s. 6. §. *Tertiò*. contra *J. Sanch.* d. 15. n. 17., quia secundùm dicta l. 1. n. 667. materia levis non est capax obligationis gravis. *Nec obstat*, quòd Sacramentum maneat incompletum, *nam* est completum essentialiter, completio autem integralis per materiam levem non obligat nisi leviter secundùm materiam

§ 7. Si quis omittat pœnitentiam gravem 1279
injunctam pro venialibus vel pro mortalibus

antehac confessis, docent *Nugn. Côn. Fagund. Lugo* & alii esse mortale, quia pœnitentia est de se gravis, & Confessarius potest illam injungere; ergo sicuti mortaliter peccat, qui materiam gravem voti non implet, quamvis voverit ex causa, item qui violat jejunium à Superiore præceptum ex fine de se non magno, ita & hic. E contrà *Navar. Sot. Palud. Ledesm. Suar. Laym. Fill.* aliique, quos citant & sequuntur *Avers.* q. 13. s. 6. §. *Secundò. Dian.* p. 3. t. 4. R. 102. & 136. dicunt esse veniale tantùm, quia hæc materia, in quantùm est gravis, non est necessaria; cùm Confessarius neque sub gravi peccato neque materiam gravem teneatur pro talibus peccatis imponere, ergo materia, quæ necessaria est respectu peccatorum pœnitentis, est tantùm levis, ergo hanc omittere erit tantùm veniale. Ad exempla opposita de voto & præcepto, dant disparitatem, quòd vovens sine ulla causa possit sibi imponere obligationem gravem, uti & Superior subdito, non habitâ occasione ullius culpæ: E contrà Confessarius non possit imponere obligationem pœnitenti, nisi adsit culpa, nec imponere possit obligationem gravem, nisi materia necessaria hujus absolutionis sit gravis, cùm debeat obligare ùt Judex proportionatè ad materiam necessariam gravem vel levem. Utraque sententia est probabilis.

1280 §. 8. Cui injunctum est, ut oret v. g. septem psalmos pœnitentiales, potest orare stando vel ambulando. Si injunctum sit, ut oret flexis genibus, *Diana* R. 55. *Dicast.* d. 14. n. 81. *Avers.* s. 3. §. *Septimò. Tamb.* De conf. l. 4, c. 2. n. 14. putant fore mortale omittere genuflexionem, quia hæc videtur esse res gravis spectans ad substan-

tiam

tiam molestiæ: Sed de hoc vehementer dubito, nam flectere ad tempus, quo recitantur illi psalmi, non videtur esse molestia tanta, ut si quis negligat, peccet mortaliter. E contrà tamen putarem esse molestiam gravem, si deberet orare expansis brachiis. Similiter si injungeretur alicui jejunium in pane & aqua, videtur peccaturus mortaliter, si jejunaret tantùm more Ecclesiastico, quia illa circumstantia addit notabilem difficultatem.

§. 9. Si Confessarius injunxerit pœnitenti, 1281
ut per 15. dies quotidie duas Missas audiat, non ideo tenetur die festivo tres audire. Si injunxerit omni die per mensem Missam, satisfacit die festivo audiendo unicam, *Dian. Avers.* §. *Unde. Amic.* d. 16. n. 90. Si injunxerit eodem die duas Missas, quamvis *Maj. Ledes. Sanch.* putent eum satisfacere, si audiat duas simul, quod *Amicus* n. 112. vocat probabile, tamen ordinariè præsumi debet voluisse eas audiri successivè. Si injunxerit eleëmosynam, satisfacit, si det extremè indigenti, *Laym. Lugo, Gob. Spor.* n. 544. Non tamen si det parenti vel alteri propinquo, cui tenetur ex justitia succurrere, quia tum non censetur eleëmosyna, *Lug. Amic.* n. 90.

§. 10. Si materia pœnitentiæ injunctæ sit di- 1282
visibilis, quamvis pars ejus major adimpleri non possit, debet adimpleri pars licèt minor, uti colligitur ex paritate de Horis Canonicis, nam *Inn. XI.* damnavit hanc 54. prop. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Ratio generalis est, quia licèt quis non possit solvere totum, tamen tenetur ad partem, quam solvere potest. Et ratio à

priori est, quia quando materia est divisibilis, mens præcipientis tendit divisibiliter, secundùm naturam materiæ, cujus singulæ partes faciunt ad finem intentum. Hinc videtur probabilius contra *Dian.* p. 9. t. 9. R. 54. *J. Sanch.* d. 15. n. 3. si alicui sit injunctum, ut jejunet in pane & aqua, si sic non possit, teneri more Ecclesiastico, quia manet substantia jejunii, separabilis ab illa circumstantia.

1283 §. 11. Pœnitentia, per se loquendo, debet persolvi per ipsum pœnitentem, nam *Alex.* VII. damnavit hanc 15. prop. *Pœnitens propriâ authoritate substituere alium sibi potest, qui loco illius pœnitentiam adimpleat.* Unde audiri jam non debent *Palud.* & alii apud *Lugo* d. 25. n. 79. qui putârunt posse tum saltem persolvi per alium, si pœnitens tempore illo velit occupari in actione Deo magis grata, aut si mandet fieri per alium sanctiorem, cujus opus erit magis satisfactorium, nam rectè contradicunt *Mendo* d. 10. nu. 105. *Viva* ad prop. istam damnatam, quia obligatio adimplendi pœnitentiam, utì & audiendi Missam ac legendi Horas, est personalis: & ideo etiam *Florent.* & *Trid.* dixerunt actus pœnitentis esse materiam hujus Sacramenti.

1284 §. 12. Confessarius potest concedere, ut pœnitentia per alium persolvatur, *S. Th. S. Bonav. Sot. Silv. Ang. Suar. Tann. Aver.* s. 4. §. *Denique.* In quo casu *Suar. Fagund. Præp. Fill.* & alii cum *Arr.* d. 48. n. 12. putant actionem alterius persolventis posse dici satisfactionem & prodesse pœnitenti ex opere operato, licèt fieret in peccato mortali, sicuti Missa ex opere operato prodest procuranti illam, licèt celebretur ab impio Sacerdote: Sed contradicunt *Vasq. Côn. Laym.*

Bonac.

Bonac. Amic. Lug. Dicast. Averſ. dicentes nos aliunde ſcire, quòd Miſſa pro alio oblata habeat hunc effectum, quale fundamentum non eſt dicendi, quòd actio aliena tanquam pars Sacramenti Pœnitentiæ, quod ſuſcipio, poſſit mihi applicari ad effectum ex opere operato. Et ideo videtur probabiliùs dici, quòd pars materialis integrans Sacramentum ſit ipſa procuratio, quâ pœnitens facit, ut alter ſecundùm voluntatem Confeſſarii peragat illud opus pro ipſo, hoc autem alterius opus non ſit pars Sacramenti, nec aliquid cauſet ex opere operato.

§. 13. Multò magis poteſt pœnitentia perſolvi per alium, ſi opus ab alio factum cenſeatur fieri ab ipſo pœnitente, utì eleëmoſyna, perinde enim eſt, ſive det ſuâ ſive alienâ manu, cùm præcipuè intendatur, ut privet ſe re ſuâ ad ſublevationem pauperis. Et idem eſt, ſi ipſi impoſita ſit reſtitutio, poteſt enim æquè per alium fieri. 1285.

§. 14. Probabilius eſt, quòd pœnitentia ſacramentalis perſolvi debeat ex aliqua intentione ſatisfaciendi pro illa, quia ut ex opere operato aliquid efficiat, debet eſſe aliquid pertinens ad Sacramentum, & ratione illius ſuſcepti cauſare ſuum effectum, non videtur autem eſſe aliquid pertinens ad Sacramentum, niſi expleatur cùm aliqua intentione ſaltem virtuali reflectente ad Sacramentum vel ad impoſitionem Confeſſarii, *Vaſq. Dicaſt.* n. 189. *Palav.* à n. 280. *Mendo* q. 4 *Averſa* q. 3. ſ. 6. §. *Nonò*. contra *Sanch. Lugo* à n. 37. *Boſco* d. 7. ſ. 13. à nu. 237. & alios. *Nec obſtat*, quòd aliis præceptis ſatisfiat, v. g. die feſtivo, ſi Miſſam audias, licèt ignarus aut immemor feſti, *nam* ejuſmodi præcepta tan- 1286.

tùm postulant poni opus ex quacunque intentione : imò licèt adesset intentio per talem actionem non satisfaciendi, adhuc satisfaceres, uti dictum est l. 1. num. 693. Oppositum est in actionibus sacramentalibus, nam si antehac voveras semel audire Missam , & etiam antehac pro pœnitentiâ unam Missam tibi injunxerat Confessarius, si hoc die festo audias Missam immemor voti, pœnitentiæ & festi, omnes dicent te satisfeciſſe præcepto de Missa die festo audienda, non item pro obligatione voti vel pœnitentiæ sacramentalis, nam non poteras per unicam Missam satisfacere utrique huic obligationi, uti suppono ex declarata tibi voluntate Confessarii, nec ratio est dicendi, quòd pro hac obligatione potiùs satisfeceris quàm pro illa, nisi adfuerit intentio determinans ad hunc vel illum finem, ergo. Hinc videtur dicendum esse contra *Suar.* & *Mendo* nequidem sufficere, si postea intra tempus, quo tale opus fieri debebat, velis per illud satisfeciſſe pro pœnitentia, nam hæc voluntas sequens habet se per accidens, nec potest facere, ut opus præteritum fuerit aut nunc fiat aliquid pertinens ad Sacramentum.

1287 §. 15. Si Confessarius non determinaret tempus, quo persolvi deberet pœnitentia, mens ejus præsumitur esse, ut persolvatur primo tempore, quo commodè fieri poterit, quia secundùm dicta l. 1. n. 587 *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*, Reg. 14. ff. De Regulis juris: ubi per *Tò præsenti die* intelligitur primo quoque tempore.

1288 §. 16. Diu differre pœnitentiam sine causa, v. g. ad medium annum, communiter censetur

mor-

mortale, maximè si pœnitentia fuerit medicinalis, quia cùm Confessarius præceperit ad præservationem à relapsu, voluit nunc adhiberi, quando erat periculum. E contrà si fuerit pœnitentia vindicativa tantùm, non videtur esse mortale ad mensem differre.

§. 17. Cui injunctum est, ut per annum omni mense confiteatur, putat *Lugo* d. 25. n. 97. peccare mortaliter, si vel per diem differat ultra talem mensem; sed rectè contradicit *Aversa* q. 13. s. 6. præsumitur enim mens Confessarii esse, ut tum sequente mense bis confiteatur. Unde si occasione festi, Indulgentiæ vel Jubilæi differret ad octo dies in alterum mensem, docent *Dian. Castrop. J. Sanch.* d. 13. n. 9. nullo modo peccaturum; quod magis valet, si anticipet, uti notat *Aversa.* 1289.

§. 18. Qui jussus est jejunare pro pœnitentia hac die Veneris, & jejunat priùs sequente; aut communicare proximâ Dominica, & differt ad octiduum, ordinariè peccat tantùm venialiter, quia plerumque præceptum Confessarii cadit magis in rem ipsam præstandam quàm in tempus præfixum, *Dian.* p. 9. t. 7. R. 57. *Sporer* n. 577. Ideoque rectè notant Authores cum *Aversa* suprà & *Mendo* d. 10. n. 97. non cessare obligationem jejunandi, quamvis transierit illa dies Veneris, quæ statuta erat, non ad terminandam sed urgendam obligationem. Si tamen alicui injunctum sit, ut jejunet omni die Sabbathi in honorem B. Virginis, aut ut communicet omni festo B. Virginis, putant *Cón. Gob. Sporer* suprà, si talem diem negligat, non teneri aliâ die, quia mens Confessarii videtur fuisse, alligare opus tali diei: Sed rectè notat 1290.

*Mendo*, si Confessarius unicum tale opus pro una vice injunxerit, non esse præsumendum, quòd voluerit alligare dici, nisi substituerit aliud opus exequendum in casu, quo alterum tempore præfixo non fieret, quia præsumi non debet, quòd Confessarius voluerit Sacramentum manere incompletum, quod fieret, si tum desineret obligatio ad omnem pœnitentiam; hinc debebit aliâ die explere. Et in plerisque horum consentiunt etiam *Lugo* & *Dicast.* d. 14. à num. 55.

1291 §. 19. Potest satisfieri pœnitentiæ eodem tempore, quo satisfit alteri præcepto vel obligationi, dummodo unum opus non excludat aut impediat alterum, sic qui pro pœnitentia tenetur orare Rosarium, satisfacit orando sub Missa, ad quam tenetur die festo, vel ex voto, quia oratio Rosarii non tollit sed maximè convenit attentioni ad Missam.

1292 *Q. 177. Quid addendum sit circa commutationem pœnitentiarum in Confessione injunctarum.* R. seqq. §. 1. Pœnitens non potest suâ authoritate pœnitentiam permutare in aliquid melius, uti habent Auctores cum *Busenb.* suprà, & idem docent *Aversa* q. 13. s. 8. *Arr.* d. 48. s. 5. *Amic.* d. 16. n. 54. *Tamb.* De conf. l. 4. c. 3 §. 1 n. 15. *Gorm.* p. 2. n. 339 *Dicast.* tamen d. 14. n. 134. non audet oppositam sententiam appellare parum probabilem: sed rationes nostræ videntur claræ, 1. Quia reus non potest ferre circa se sententiam, nec mutare pœnam sibi à Judice injunctam, uti nec subditus opus sibi injunctum à Superiore, alioquin posset quis similiter loco Missæ audiendæ velle communicare, loco jejunii velle confiteri &c. 2. Id, in quod commu-

tabit,

tabit, non erit satisfactio integrans Sacramentum, nec erit sacramentalis, nec remittet pœnas ex opere operato, quia non veniet à potestate clavium, ergo. *Nec obstat*, quòd aliquis possit suum votum commutare in melius, *quia* obligatio voti erat ab ipsomet vovente, qui etiam ab initio per votum intendebat id, quod est melius, ideoque potest illud sibi substituere.

§. 2. Communissima sententia est cum *Arr.* 1293.
n. 25. contra *Valent. & Tann.*, quòd alius Confessarius non possit extra Confessionem mutare pœnitentiam à priore Confessario injunctam, & secundùm *Lugo* n. 110. oppositum non est probabile, quia extra Confessionem & respectu Confessionis, quam non audivit, non habet plùs potestatis quàm laicus.

§. 3. *Sot. Vasq.* & alii docent pœnitentiam ab 1294.
uno Confessario impositam non posse minui aut mutari per alium, etiamsi pœnitens apud hunc repetat peccata, ob quæ fuit imposita, quod *J. Sanch.* d. 14. n. 19. defendit tanquam absolutè verum speculativè, tum quia unus Judex, qui superior non est, non potest ultimam & definitivam alterius sententiam mutare aut reformare, cùm par in parem non habeat jurisdictionem, in hoc autem foro omnes sint pares; tum etiam quia primum Sacramentum nunquam integrè compleretur. E contrà posse, si peccata repetat, tenet sententia communis cum *Silv. Suar. Lugo, Fagund. Arr.* n. 26. *Dicast.* àn. 116. *Aversa* suprà, dicitque *Becanus* esse in praxi securum: Quod tenent *Bonac.* & alii communiter cum *Dian.* p. 3 t. 4. R. 137. *Dicast.* n. 148. *Lugo* n. 114. *Arr.* n. 29. contra *Zerolam*, quamvis injuncta pœnitentia fuisset medicina-

lis, si non sit absolutè necessaria, aut si substituatur similiter medicinalis. Hoc ipsum dicunt, licèt pœnitentia à Confessario superiore imposita esset, quia præscindendo à reservatione peccatorum, habent Confessarii æqualem potestatem ad ligandum & solvendum, ergo etiam ad mutandam pœnitentiam, utì rectè *Beja* p. 1. casu 15. & *Gorm.* n. 341., posterior enim Confessarius est velut successor primi, ergo sicut posset primus mutare, ita & posterior: ideoque earum postremâ impletâ censebitur compleri utrumque Sacramentum, quia prior quasi transit in secundam. Hoc ipsum fieri posse tenent *Henriq. Bonac. J. Sanch.* à n. 13. *Dicast.* n. 120., etiamsi pœnitentia fuisset à superiore imposita propter peccata reservata, quòd probabile esse fatetur *Amic.* n, 49. Contradicunt tamen *Suar. Lugo* n. 105. *Arr.* n. 30. *Beja* suprà, *Gorm.* n. 349. *Aversa*, quia inferior non potest mutare præceptum superioris; sed *Dicast.* respondet, cùm semel sublata sit reservatio, æqualem esse in omnibus Confessariis potestatem.

1295. §. 4. Si pœnitens non repetat priora peccata apud secundum Confessarium, *Suar. Vasq. Côn.* aliique multi cum *Lugo* n. 107. & *Aversa* negant hunc etiam in confessione posse mutare pœnitentiam, quia nullus Judex potest agere circa aliquid, quod ad suum tribunal delatum non est, ergo tantùm poterit declarare pœnitentiam fuisse aut esse irrationabilem vel impossibilem, quod etiam quivis alius prudens facere posset: è contrà si petatur commutatio, etiam ideo quia prior nunc nimis difficilis est, docent *Nav. Tolet. Henriq. Rodriq. Sa, Laym. Dian. Cob. Marchant. Beja, Sporer* suprà n. 589. aliique mul-

multi apud *Bosco* d. 7. s. 13. n. 352. & 359. posse nunc alium Confessarium in Confessione eam mutare, quia licèt judicare non possit de peccatis præteritis sibi incognitis, tamen cùm pœnitens se etiam ipsi subjiciat, videtur habere potestatem judicandi, an nunc expediat ipsi ea pœnitentia necne. Prima sententia est longè probabilior, hinc secundam esse improbabilem dicunt *J. Sanch.* d. 14. & *Arr.* n. 28., quamvis *Lugo* n. 109. fateatur esse in praxi probabilem saltem per principia extrinseca.

§. 5. Ut alius Confessarius possit mutare pœnitentiam, fatentur omnes communiter non requiri omnino exactam repetitionem peccatorum, sed sufficere aperire præcipua, ob quæ talis pœnitentia injuncta erat: & fortasse sufficiet, inquit *Aversa*, dicere, quòd ob similia, qualia nunc confitetur, talem acceperit pœnitentiam. 1296

§. 6. Idem Confessarius potest in alia Confessione pœnitentiam mutare quocunque postea tempore, dummodo recordetur statûs pœnitentis, & in confuso peccatorum, ob quæ impositа fuit, utì tenent omnes communiter; sicuti Judex potest moderari pœnam à se dictatam, quamdiu executioni non est data. 1297

§. 7. *Suar. Côn. Aversa, Amic.* n. 46. *J. Sanch.* n. 10. *Dicast.* n. 128. dicunt nequidem eundem Confessarium posse extra Confessionem mutare pœnitentiam, licèt recordetur statûs pœnitentis, quia nullam habet potestatem clavium, nisi dum sedet in suo tribunali & agit partes Confessarii, quas non agit, nisi quando tractat de absolutione danda, aut post hanc intra tam breve tempus, ut adhuc censeatur durare actus judi- 1298

judicialis, utì limitant multi apud *Lugo* n. 111. qui n. 112. cum *Salas* probabiliter concludit posse etiam quocunque alio postea tempore, dummodo adhuc habeat memoriam confusam peccatorum, quæ sufficeret ad imponendam pœnitentiam; & consentiunt *Arr.* n. 31. *Haun.* l. 4. n. 1045. quia quamdiu pœna imposita non est impleta, Judex habet jus agendi circa ejus impletionem, ergo etiam circa immutationem, si reus petiverit.

1299. § 8. Ut commutatio fiat, sive ab eodem sive à diverso Confessario, debet hic scire de hoc, & velle commutare, quia quamdiu non revocatur obligatio ad priorem pœnitentiam, illa manet in possessione, *Lug.* n. 103. *Averf.* suprà, *Arr.* n. 33. tamen *Dicast.* n. 119. putat non esse improbabile, quòd confitens eadem peccata possit tacere, & postea peragere pœnitentiam, quam voluerit, primam aut secundam tantùm: Et tum saltem, quando Confessarius scienter commutavit, v. g. jejunium in orationem, docent *Suar. Regin. Less. Dicast.* n. 131. *Bosco* n. 360. contra *Lugo*, liberum esse pœnitenti alterutram facere, quia commutatio erat in favorem, & posterior materia non est substituta absolutè sed sub conditione, si nolit priorem.

1300. § 9. Causa sufficiens in commutatione minuendi pœnitentiam est, secundùm *Lohner*, si pœnitens à tempore impositæ pœnitentiæ lucratus sit aliquas Indulgentias, item si interea multa bona opera fecerit, si cum majore fervore aut cùm minore periculo peccandi executurus est hanc novam materiam &c.

ARTI-

# ARTICULUS II.

## De satisfactione per Indulgentias.

### §. I.

### Quid sit Indulgentia, & quid ad eam requiratur.

REsp. I. Indulgentia est gratia, quâ certo» 1301
aliquo opere quod concedens præscribit,»
præstito, debita Deo pœna temporalis, (non»
autem culpa) extra Sacramentum, Sacrificium»
& Martyrium, per applicationem satisfactio-»
num Christi & Sanctorum, remittitur: idque»
vel per modum absolutionis, erga subditos»
Ecclesiæ; vel nudæ solutionis, erga non sub-»
ditos, ùt defunctos & catechumenos, quibus»
proinde tantùm dantur Indulgentiæ per mo-»
dum suffragii. *Suar. Kon. Fill. Sanctarel. Bon. d.*»
*6. q. 1. p. 1.* »

Resp. II. Ad valorem Indulgentiæ requiri-»
tur causa pia & rationabilis, eaque, ùt habet»
sententia communior *Suar*, & *aliorum*, propor-»
tionata effectui & quantitati Indulgentiæ, sal-»
tem secundùm concedentis prudentem æsti-»
mationem, petendam non ex operis tantùm»
difficultate, sed fine intento, & operis ad eum»
utilitate. Ratio desumitur ex natura dispensa-»
tionis bonorum, quæ sine causa ab inferiore»
facta non valet, & est dissipatio. *Auth. cit.* »

Resp. III. Ad lucrandas Indulgentias re-»
quiruntur hæ conditiones. 1. Ut sit baptizatus.»
2. Ut sit subditus concedentis. 3. Ut non sit»
liga-

»ligatus excommunicatione majore, ùt habet »communis: quia hæc privat communione bo»norum ſpiritualium. 4. Ut ſit in gratia, ſaltem »tunc, quando opus præſcriptum completur; »quia pœna non remittitur ante culpam. 5. Ut »opus injunctum moraliter totum & integrè »impleatur. 6. Ut opus præſcriptum ſit hone»ſtum, ſaltem ex objecto: nam ſufficit vitiatum »ex fine inhoneſto veniali, vel ex alia circum»ſtantia prava, (ùt docet *Suar.* & alii *communi»ter* contra *Kon.*) ſaltem ſi nihilominus condu»cat ad finem Pontifici propoſitum, ùt limitat »*Lay.* Ratio prioris eſt, quia illud opus plerum»que complet cauſam Indulgentiæ, quæ debet »eſſe pia. Ratio poſterioris: quia ratio injuncti »operis eſt aſſecutio finis intenti à Pontifice, *v.* »*Lay. Bon. d. 6. q. 1. p. 5. Unde reſolves,*

» I. Indulgentiis etiam frui poteſt, qui eas »concéſſit.

» II. Non exſpirant morte concedentis, cùm »ſint gratiæ; nec, ùt habet *Sa*, ante notitiam re»vocationis.

» III. Etſi intelligendæ ſint, ùt ſonant; cùm »tamen ſint gratiæ, largè ſunt interpretandæ »(niſi ſint de pœnitentiis injunctis, ùt ex *Henr. &c.* notat *Amicus d. 20. num. 77.*) ſervatâ ta»men verborum proprietate. Unde cenſendæ »ſunt perpetuæ, ſi datæ ſunt ſine temporis re»ſtrictione.

» IV. Etſi data pro articulo mortis, ſecundùm »*Sa* exſpiret, quando ſemel eſt accepta, contra»rium tamen eſt probabile, ob rationem da»tam. Illa autem non requirit applicationem »Confeſſarii aut alterius miniſterium, *Quint. in* »*append. t. 9. d. 3.* Expediet tamen moribundos

ad

adinvocationem nominis JESU & MARIÆ» sæpius excitare, simulque in memoriam revo-» care intentionem lucrandi istas Indulgentias.» *Ib. d. 4.* probabile enim est, si habet plures ima-» gines, grana, rosaria, &c. benedicta, posse (sive» intuitu ejusdem concessionis, sive diversarum)» toties lucrari, quoties nomen JESU repetierit,» vel præstiterit opus requisitum. *Ibid. d. 6.* ex» *Suar. Gran. &c.* Sufficit autem ad eas lucran-» das quodvis tempus, in quo verificatur mortis» articulus, etsi pluribus diebus ab ipsa morte» absit. *Ibid. d. 5.* »

V. Possunt moribundi plures indulgentias» plenarias, ob plures titulos concessas simul lu-» crari; v. g. qui habent plura rosaria, vel grana,» cruces, imagines que, quibus sint applicatæ, vel» titulo suæ Religionis, Confraternitatis, &c.» dummodo non requirant certa opera pro spe-» ciali necessitate applicanda, *Quintan. d. 4.* Idque» etiamsi eas, vel earum aliquas ignoret, aut non» recordetur. *Ibid.* ex *Lug. Dian.* & *aliis 6.* contra» *Rodriq. Trull. &c.* »

VI. Requiritur autem, ut moribundus cru-» cem, granum, imaginem, &c. secum habeat» in articulo mortis, ut ratione illius lucretur:» & quidem ut tutiùs ac certiùs obtineat, ejus» habeat dominium seu possessionem, & apud» se teneat. Non tamen est necesse, ut collo ap-» pensa, brachio obvoluta, manuve appre-» hensa sint, (etsi aliquo horum modorum ha-» bere sit tutius) sed sufficit esse in lecto, vel» juxta moribundum; licèt ipse nec videat, nec» tangat, nec sciat, aut recordetur se habere» (nisi aliud exprimatur) sufficiet etiam habere» commodata, seu quoad usum (præsertim si id»

in

»in ipso Indulto exprimatur, ùt in Caroli Bor-
»romæi, & quinque Sanctorum fit.) Neque ne-
»cesse est retinere, donec exspiret, (etsi & hoc
»sit tutius) sed sufficit in aliquo mortis articulo
»habere, in eoque nomen JESU (si hoc requi-
»ritur) invocare. *ibid. d. 6.*

» VII. Concessæ vivis, non possunt applica-
»ri defunctis, nisi id exprimatur, quia pendent
»à voluntate concedentis.

» VIII. Probabile est, concessam pro certo
»tempore posse sæpius obtineri, repetendo
»opera præscripta, v. g. eodem die, nisi addita
»sit restrictio, quia favores sunt ampliandi Ita
»*Henriq.* & *Rodriq.* Contrarium tamen videtur
»probabilius, ob voluntatem concedentis con-
»trariam rationabiliter præsumptam. *v. Lug. d.*
»*27. à n. 95.*

» IX. Etsi consultum sit, ut opera omnia fiant
»in gratia, id tamen non videtur simpliciter ne-
»cessarium: Laborandum tamen est Concio-
»natoribus & Confessariis, ut cùm Indulgen-
»tiæ promulgantur, populum ad seriam Con-
»fessionem excitent.

» X. Ut quis lucretur pro defunctis, proba-
»biliter non requiritur, ut sit in gratia, quia tan-
»tùm ponit opus tanquam condirionem, quo
»posito, Pontifex applicat defuncto Indulgen-
»tiam, sive satisfactiones Christi, & Sanctorum.
»Ita *Escob. t. 7. E. 5. c. 7. n. 45.* ex *Suar.* & *Præp. n. 3.*
»*p. q. 14. dub. 10. n 93.* Contrarium tamen docet
»*Lug. num.* 75. requirens statum gratiæ saltem
»saltem in fine operis; quæ sententia tutior est.

» XI. Opus præscriptum dum fit, debet esse
»utile ad finem à concedente intentum; qualis
»est, v. g. eleëmosyna præscripta pro redem-

ptione

ptione captivorum, etsi fiat cum aut in pecca-» to, (modò aliud opus ei injunctum, & præ-» scriptum, in gratia fiat. *v. Lug. n.* 84.) non au-» tem oratio, præscripta ad placandum Deum, » si ipsamet sit peccatum ex mala circumstantia; » uti nec jejunium si te inebries, item nec visita » tio ecclesiarum sine devotione, Ita *Laym. Bon.* » *& alii.* »

XII. Possunt uno & eodem opere plures In-» dulgentiæ, diversis viis concessæ, lucrifieri, si » opus sit æquè utile ad finem utriusque Indul-» gentiæ, nec sit iterabile intra idem tempus, uti » jejunium vel Communio, Ita *Præp.* & *Lay.* »

XIII. Non lucrantur Indulgentias, I. Qui » ex impotentia vel ignorantia, sive totum opus » præscriptum, sive notabilem ejus partem o-» mittunt, v. g. si puer vel senex non jejunet, nisi » tamen ob gravem difficultatem hoc opus ei in » aliud est commutatum *Henr. Cajet. Bon. p. 5.* » *n.* 16. II. Qui opera injuncta alio loco, tem-» pore, vel ordine perficit, quàm præscriptum » est; vel per alium, qui fuerit causa principalis, » ùt si per alium jejunârit, ecclesias visitârit. » *Nav. Regin. l. 7. Bon. l. c.* III. Qui famulo tradi-» dit eleëmosynam erogandam, quam is reti-» nuit, ùt habet *Bon.* ex *multis*, contra *Sa.* IV. Qui » aliquid omittit, quod secundùm sententiam » probabilem, vel etiam probabiliorem, non est » necessarium, si tamen sit necessarium reipsâ, » quia communis error non supplet defectum, » Ita *Bon.* ex *Suar. Sanch.* & *aliis.* »

XIV. Non obstat effectui indulgentiæ. I. Etsi » ex opere requisito modicum quid omittatur, » v. g. cæremonia in sacro, vel si parùm come-» das in jejunio; quia opus ponitur moraliter in-»

»tegrum. II. Si opus requisitum præstet per a-
»lium, habentem se ùt instrumentum, v. g. in
»eleëmosyna danda. *Bon. l. c.* III. Si eleëmosy-
»nam des exiguam; nisi tamen in Bulla expri-
»matur, dandam esse pro cujusque facultate,
»tunc enim major danda est à divite, quàm alio.
»Ita *Fill. Suar. Sa & alii.* IV. Si Ecclesiam visitan-
»dam non possis ingredi, ob hominum multi-
»tudinem, dummodo oratio fiat ante fores, vel
»in cœmeterio, *Bon.* V. Etsi in opere præstito
»non habueris intentionem consequendi in-
»dulgentias, ùt docet *Salas, Bon.* & *alii* contra
»*Suar.* Et videtur certum, saltem si habueris in-
»terpretativam, ùt habet *Laym.* VI. Etsi opera
»fuerint aliunde debita, v. g. ex præcepto Ec-
»clesiæ, Ita *Layman.*

» XV. Quando datur potestas commutandi
»opera præscripta in alia, id non necessariò fit in
»Confessione, & à Confessario, qui audit confi-
»tentem; sed potest fieri extra, & ab alio idoneo:
»ita enim declarat Gregorius XIII. (ubi & in
»Bulla indulgentiæ, nomine Confessarii, intel-
»ligi quemvis approbatum) apud *Henriq. l. 7. c.*
»*10. n. 8. & Præpos. q. 14. dub. 10. n. 88.*

» XVI. Probabilius est eum, qui tantùm par-
»tem operis præscripti facit, non lucrari partem
»Indulgentiæ, nisi tam parum desit, ut censea-
»tur moraliter integrum, Ita *Bon. p. 5.* ex *Nav.*
»*Suar. Kon &c.*

» XVII. Cùm præscribitur, ut visitentur ali-
»quot altaria, sufficit ad illa se orando conver-
»tere ex eodem loco, ùt habet *Sa, Bon. p. 1. Suar.*
»*Rodriq. Dian.* Limitat autem *Lug. n. 98.* si sit
»tali loco & situ, ut moraliter censeri possit ora-
»re ad illa altaria.

XVIII.

XVIII. Cùm confeſſio præſcribitur, niſi in» Bulla exprimatur, venialium, probabilius eſt,» non requiri ùt conditionem, ſine qua non, ſed» ùt diſpoſitionem ad ſtatum gratiæ, *Bon. l. c.* »

XIX. Nemo conſequitur plenariam Indul-» gentiam peccatorum omnium, niſi omni cul-» pâ, etiam veniali, liber ſit, quando ultimum» opus explet: Unde conſultum eſt, ut Commu-» nio ſit ultimum. *v. Laym.* »

## ADDENDA.

Quæſt. 178. *Quid notandum ſit in genere circa ſatisfactiones in hac vita pro peccatis.* R. ſeqq. 1302.

§. 1. Certum eſt, quòd præſcindendo à Sacramentis & Indulgentiis, quas dat Eccleſia, poſſit homo ex opere operantis ſaltem aliqua ex parte ſatisfacere in hac vita pro pœna temporali debita peccatis ſuis remiſſis, nam ita docet *Trid.* ſeſſ. 14. De Pœnit. c. 8 & 9. item can. 12. & 14. Suntque opera noſtra non tantùm conditio, ad cujus præſentiam nobis applicentur merita Chriſti, ſed vera cauſa meritoria, poſſuntque eſſe de condigno ſatisfactio pro pœna illa: hinc damnatæ ſunt hæ Propoſitiones Bajanæ: 59. *Quando per eleëmoſynas aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant (nam alioqui eſſemus ſaltem aliqua ex parte redemptores) ſed aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur & communicatur.* 77. *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.*

1303. §. 2. Per satisfactionem pro pœna hìc intelligitur compensatio aliqua honoris & authoritatis Dei per peccatum læsæ, quando nempe in hac vita vel toleratur pœna debita Deo in vindictam peccati, vel loco pœnæ alioqui subeundæ in vindictam, aliquid redditur Deo: & siquidem sit redditio boni in æstimatione morali æquivalentis, dicitur satisfactio condigna: E contrà est congrua tantùm, si non habeat omnimodam proportionem, attamen ex quadam convenientia censeatur esse admittenda à Deo offenso.

1304. §. 3. Opus in quantùm satisfactorium debet esse pœnale, quia æquitas exigit, ut culpa, quæ fuit appetitus boni delectabilis indebiti, compensetur per subtractionem boni delectabilis, ergo per pœnam: ita *S. Th. S. Bonav.* aliique communiter cum *Suar.* tom. 4. in 3. p. d. 37. s. 6. contra *Victor. Sot.* & alios.

1305. §. 4. Sicuti vis meritoria præcipuè respondet libertati, honestati & intensioni operis, ita vis satisfactoria pœnositati, hinc tenet communis sententia cum *Suar.* s. 5. n. 3. quamvis actus externus non augeat vim meritoriam actûs interni, attamen augere vim satisfactoriam, quia hæc consistit in pœna voluntariè assumpta, sed in actu externo est distincta pœna voluntariè assumpta, ergo.

1306. §. 5. Omne opus meritorium etiam est satisfactorium, quia est actus virtutis, quæ difficilis est, & procedit à voluntate sustinendi difficultatem & pœnam illam propter Deum, *Suar.* s. 6. n. 8. Et ideo actus virtutum Theologicarum sunt multùm satisfactorii, quia sunt in se meliores & difficiliores, ac maximè actus charitatis

tatis, qui quasi virtute continet aliarum virtutum laborem, *Suar.* n. 9.

§. 6. Ad satisfaciendum requiritur ex parte 1307
operantis, imprimis status viæ : deinde status gratiæ: hinc S. *Th. Sot. Fagund. Suar.* s. 2. n. 3. *Rayn.* in Heter. tom. 15. p. 2. s. 3. pu. 2. & 9. q. 1. probabiliùs docent contra *Scot. Maj. Gabr. Rubion.* & alios, hominem in mortali constitutum non posse satisfacere nequidem de congruo pro reatu alicujus peccati sui vel alieni quoad culpam remissi, nam *Trid.* sess. 14. De pœn. c. 8. vim satisfaciendi per opera propria fundat in unione cum Christo, *in quo*, inquit, *vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus*, ergo sicuti non meremur, nisi in gratia uniti Christo, ita nec satisfacimus. Potest tamen peccator aliquid impetrare de congruo, quia pro impetratione, quæ non fundatur in dignitate orantis, habemus benignam promissionem Dei, non item pro satisfactione: hinc dicendum est opera in mortali facta postea non reviviscere ad satisfactionem, cùm ab initio fuerint mortua : Excepto opere injuncto pro satisfactione sacramentali, secundùm dicta n. 1244.

§. 7. Ad satisfactionem condignam ex parte 1308
operis requiritur, ut sit voluntarium, liberum, moraliter bonum, positum ex aliqua saltem intentione satisfaciendi, pœnosum seu afflictivum, item supernaturale, *Suar.* s. 3. Non obest autem, quòd opus tale sit præceptum, quia præceptum non impedit libertatem, bonitatem aut pœnalitatem, *Suar.* s. 4. Imò *Trid.* s. 14. De pœn. c. 9. docet etiam flagellis à Deo inflictis, si patienter tolerentur, satisfieri, non tantùm ratione liberæ acceptationis in-

ternæ, sed etiam ratione externæ passionis adjunctæ, quam acceptando facit sibi voluntariam, utì pluribus explicat *Suar.* s.7. idem dicens de malis & adversis quibuscunque aliunde advenientibus.

1309 §. 8. Ad satisfactionem nostram ex parte Dei requiritur promissio de acceptando opere in finem satisfactionis, nam pœnæ hujus vitæ non sunt æquales vel proportionatæ pœnis Purgatorii, quas meriti sumus; & omnia opera nostra poterant à Deo ex aliis titulis exigi, *Suar.* s.8.

1310 §. 9. *Caj. Dur. Nav. Præpos. Côn.* putant aliquem posse sibi vel etiam animabus impetrare remissionem pœnæ præcisè orando, & præscindendo à satisfactione vel solutione pro pœna debita, sicuti homo ab homine potest tantùm deprecando obtinere remissionem pœnæ sibi vel alteri debitæ: Et ita etiam non videtur dubitandum, quin Beati, qui satisfactiones non ponunt, possint pro nobis vel pro animabus impetrare remissionem pœnæ. Oppositum tenent *Gabr. Suar.* & alii cum *Rayn.* pu. 8. q.3. tum quia est secundùm justitiæ divinæ leges, ut omne delictum puniatur, tum etiam quia non esset pro honore satisfactionum Christi, si Deus illis non respectis gratuitò remitteret hominibus pœnas: hinc videtur dicendum, quòd quandocunque Deus propter orationem aliquam remittit alicui pœnas, semper respiciat Christi satisfactiones, per quas censeatur præstita solutio pro tali pœna.

1311 §. 10. Non est obligatio, saltem gravis, in hac vita delendi pœnas suis peccatis debitas, nam secundùm dicta l. 2. n. 179. & dicenda hìc num. 1336. opera satisfactoria laudabiliter transcri-

transcribo Defunctis, & reus non tenetur sibi pœnas infligere sed tantùm pati sibi decretas à Judice, *Suar.* d. 15. s. 7. *Arr.* d. 18. s. 5. & alii contra *Palud.* & *Canum. Dixi*, saltem gravis, nam planè omnes satisfactiones suas transcribere alteri sine spe imminuendi pœnas sui Purgatorii videtur esse contra ordinem charitatis, quâ teneor me saltem non postponere proximo, sed æquè desiderare accelerationem meæ beatitudinis quàm illius: unde videtur esse defectus charitatis erga seipsum, imò & erga Deum, si quis hìc ita negligat omnes satisfactiones, & velit in Purgatorio sustinere pœnas gravissimas ac longè diuturniores, seque per hoc retardare à visione, amore & laude Dei in cœlo, sic enim non videtur satis æstimare æterna & incomprehensibilia Dei bona. Notatque etiam *Rayn.* p. 1. s. 1. pu. 5. à n. 16. satisfactiones in hac vita discretè quidem esse assumendas, attamen non negligendas, etiam ideo, quia opus satisfactorium longè plùs prodest, si fiat me vivo quàm si me mortuo, nam si vivus & in gratia constitutus procurem fieri, fructus satisfactorius conjungitur cum merito, quo etiam impetrare possum pœnæ remissionem: & hìc valet istud:

*Da tua, cùm tua sunt; post mortem tunc tua non sunt.*

*Gerson. Gabr. Rayn.* p. 1. s. 3. pu. 3 à n. 35. Hinc aliqui, quos refert num. 37. putârunt Missam unam procuratam à vivo plùs prodesse quàm centum celebrandas post mortem: denarium jam plùs, quàm tum mille ducatos: unam lachrymam jam plùs, quàm tum decem annos in Purgatorio &c.

Q. 179. *Quid notandum sit circa remissionem pœnarum in altera vita sive in Purgatorio.* R. Hoc 1312

unicum, quòd remissio illa non habeat rationem satisfactionis, cùm animæ illæ non sint ampliùs in statu viæ, sed habeat rationem satispassionis, quæ definitur, quòd sit perpessio mali, per quam quis censetur tam multùm se subjicere potestati offensi, quàm multùm contra dignitatem illius se erexerat: potestque esse etiam involuntaria, uti patet in fure, qui invitus subit mortem, & respectu potestatis civilis satispatitur. Quamvis autem satisfaciendo in hac vita reipsa patiamur, cùm secundùm dicta n. 1304. de ratione satisfactionis sit perpessio alicujus pœnæ, tamen quia pœna hujus vitæ est diversæ rationis à pœna Purgatorii, & præcipua vis perpessionum, quas hìc assumimus, habetur à voluntaria illius acceptatione, non solet vocari satispassio sed satisfactio. De pœnis autem, per quas animæ satispatiuntur in Purgatorio, videri potest *Dicast.* tr. 9. d. 1. & fusiùs *Hautinus* in Patrocinio Defunctorum. Quomodo verò animæ purganti applicetur fructus Sacrificii Missæ, dictum est n. 518. Et de aliis applicationibus pro ipsis dicetur à n. 1317. 1332. 1336.

1313 *Q. 180. Quomodo Indulgentia dividatur ratione subjecti.* R. In localem, realem & personalem. Localis est, quæ alicui loco, templo, altari conceditur. Realis, quæ grano, numismati, Rosario &c. applicatur. Personalis, quæ conceditur alicui personæ, ut eam lucretur, ubicunque fuerit, vel in articulo mortis, vel quoties tale aut tale opus peregerit.

1314 *Q. 181. An, quomodo, & à quo concedi possit Indulgentia.* R. § 1. De fide est, in Ecclesia esse potestatem dispensandi thesaurum meritorum Chri-

Christi & Sanctorum per Indulgentias, ita ut vi earum immediatè liberemur ex opere operato à reatu pœnæ temporalis sine propria satisfactione, hæc enim est *communio Sanctorum*, de qua symbolum Apostolorum, & ita docet *Trid.* sess. 25. c. 21. De Refor. in Decreto De Indulg. Nititur autem hæc catholica veritas etiam traditione, quam ostendunt Decreta Conciliorum & Pontificum, testimonia Patrum, praxis antiquorum temporum, de quibus latè *Suar.* d. 49. s. 1. & seqq. *Bellarm.* tom. 3. l. 1. De Indulg. c. 3. & seqq. Et satis evincitur ex Scriptura, nam Christus *Matt. 16.* promisit Petro, & in Petro ejus successoribus potestatem ligandi & solvendi, sine ulla restrictione, ergo etiam potestatem remittendi reatum pœnæ. Item commisit claves regni cœlorum, ergo potestatem removendi omnia, quæ aditum ad cœlum impediunt, inter quæ est reatus pœnæ. Denique cùm in Ecclesia sit thesaurus satisfactionum Christi & Sanctorum, qui eis non indigent, ne inutilis sit, debet posse applicari per Indulgentias. Neque sufficientiæ meritorum vel plenæ redemptioni Christi derogat, quòd Sanctorum merita concurrant, sed potiùs istorum vim commendat, omnem enim vim suam habent ex meritis Christi, quibus adduntur, non ex necessitate vel insufficientia, sed ad honorem Sanctorum, & concurrunt ad deletionem solius pœnæ temporalis, non autem culpæ vel pœnæ æternæ, in quo præcipuè opus Redemptionis consistit.

§. 2. Concessio Indulgentiarum respectu 1315
vivorum est partim solutio, quia offertur pretium meritorum Christi; partim absolutio, quia hoc ipso, quòd Ecclesia nomine Dei acce-

ptet solutionem, homo à pœna absolvitur. E contrà respectu Defunctorum est mera solutio, quam Deus acceptat ; quæ quidem solutio fit cum potestate jurisdictionis in thesaurum Ecclesiæ, sed non in personam , cui applicatur , cùm Ecclesia tantùm in vivos jurisdictionem habeat. Videri potest *Viva* De Jubil. q. 5. a. 3. item *Rayn.* in Heter. tom. 15. p. 2. s. 3. pu. 5. q. 1. ubi pluribus explicant, quid sit Indulgentias applicari per modum solutionis vel absolutionis. Et de hoc etiam fusè disputat *Amic.* tom. 8. d. 20. à nu. 164. & *Bellarm.* lib. 1. de Indulgentiis. c. 14.

1316 §. 3. Ut Indulgentiæ licitè & validè concedantur, debet præter remissionem pœnæ adesse aliud motivum justum & proportionatum, utì colligitur ex Extrav. *Clem. VI. Unigenitus.* De Pœn. & Remiss. & habet sententia communis contra *Pasq.* Putatque generatim *Castrop.* tr. 24. p. 7. n. 8. ad justitiam causæ requiri, ut hæc concessio credatur cessura in majorem Dei gloriam & honorem, quàm cederet aliàs stricta & rigorosa satisfactio vel satispassio. Quòd si tamen causa sit aliqua sed non plenè sufficiens, probabiliter tenent multi cum *Castrop.* n. 7. manere secundùm partem , cùm enim effectus Indulgentiæ sit divisibilis, manere potest quoad partes causæ respondentes , utì valet quandoque quoad alia, quæ ex occasione Indulgentiæ conceduntur , v. g. quòd pœnitens possit eligere Confessarium, quem volet, absolvi à reservatis, quia cùm hæ facultates pendeant à jure humano & voluntate Papæ, valent, etiamsi Indulgentiæ sine causa concedantur, *Suar. Laym. Castrop.* n. 6. Quod si concedens falsò putaret

cau-

causam esse sufficientem, & non erret temerè, sed ex prudente motivo, *Suar. Lug. Viva* a. ult. probabiliter dicunt valere, quia quando œconomus prudenter dispensat rem Domini, hic ratihabet.

§. 4. Solus Papa habet ordinariam & uni- 1317
versalem potestatem concedendi quibusvis fidelibus etiam Defunctis quaslibet Indulgentias, quia ad summum Ecclesiæ Principem pertinet distributio thesaurorum: unde Conc. generale sine Papa, sive hic vivat sive sit mortuus, non habet talem potestatem, *Suar. Laym. Bellarm.* l. 1. c. 11. contra *Cordub. Henriq. Nav.* Et quamvis Papa communiter concedat Indulgentias Defunctis medio aliquo vivente, qui per opus aliquod illis applicet, sicque fieri debere putent *Nav. Suar. Fill.*, tamen probabiliter docet *Rayn.* n. 3. id non requiri, sed Papam posse immediatè per se ipsum eas Defuncto elargiri. Potestque etiam Papa ipse ùt membrum Ecclesiæ participare Indulgentias à se ùt Capite Ecclesiæ concessas, *Amic.* t. 2. imò & directè exercendo jurisdictionem gratiosam circa seipsum, *Viva* a. 4.

§. 5. Quamvis Papa habeat maximam po- 1318
testatem circa Indulgentias etiam Defunctis applicandas, tamen non potest tot & tantas concedere, ut totum Purgatorium evacuet, quia non potest esse rationabilis causa tantæ concessionis, nam non sufficit major Dei gloria ex tali liberatione secutura, Christus enim, qui maximè vult Dei gloriam, nihilominus etiam vult semper aliquas animas esse in Purgatorio: unde falsum est, quòd in Resurrectione sua Purgatorium evacuârit, *Rayn.* à n. 13.

§. 6. Episcopi habent limitatam potestatem 1319
conce-

concedendi Indulgentias, ordinariam quidem, id est, ex vi proprii muneris & à jure communi annexam suo officio, attamen delegatam à Papa, uti habet communior cum *Suar. Mol. Bellarm.* suprà, *Barbosa* de pot. Episc. all. 88. *Rayn.* n. 16. contra *Cordub. Sot. Nav. Medin. Valent.* Et in Dedicatione quidem Ecclesiæ potest Episcopus dare Indulgentias unius tantùm anni, in anniversariis verò Dedicationis & aliis etiam casibus 40. tantùm dierum, etiam in perpetuum, id est, recurrentes omni anno, *Less.* in Auct. V. *Indulgentia.* casu 1.

1320 §. 7. Episcopus potest Indulgentias concedere pro suis tantùm subditis, licèt extra Diœcesim existentibus, & tantùm per modum absolutionis, adeoque solis vivis. Possuntque Episcopi hanc potestatem, cùm sit ordinaria, alteri delegare, *Lugo, Viva* a. 5. Non tamen hoc ipso, quòd Vicariis suis generalibus concedant omnem potestatem, censentur hanc concedere, sed debent id specialiter expressisse, uti habet communis cum *Leur.* in Vicario, q. 139., quia est facultas meræ gratiæ & per se reservata dignitati. Ac propterea nec Sede vacante Capitulo convenit, uti habet communior apud *Leur.* q. 482. Quòd si Episcopus ampliorem fortè Indulgentiam concederet, quàm ei permissum est, probabilius est concessionem fore irritam solùm quoad excessum, quia *utile non debet per inutile vitiari*, Reg. 37. Juris in 6.

1321 §. 8. Quod dictum est de Episcopis, valet etiam de Archi-Episcopis respectu totius Archi-Diœcesis, cujus subditis, etiam extra tempus visitationis, potest simili modo concedere Indulgentias, *Barbosa* suprà. Putatque *Henriq.* ex *Less.*

*Less.* suprà, Archi-Episcopo deberi potestatem altero tanto majorem, adeoque ubi Episcopus potest 40., Archi-Episcopum posse 80. dierum concedere. Cardinales, etiam non Episcopi, possunt 100. dierum in ecclesiis suorum titulorum, quia in his habent episcopalem jurisdictionem, Cap. *Is qui*, De majoratu & obed.

§. 9. Nuncius Apostolicus potest subditis 1322.
suæ Nunciaturæ pro quocunque pio opere concedere 100. aut plurium dierum Indulgentias, attamen semper minùs quàm annum. Pro templo vel capella potest dare 7. annorum & 7. quadragenarum, id est, septies 40. dierum, pro illis, qui confessi communicârint & in eo loco de more orârint ad intentionem Ecclesiæ. Quòd si concedat in duobus festis anni pro eodem loco, durabunt tantùm ad triennium: si in uno festo, ad septennium tantùm, sicque exspirabunt, nisi prorogentur, utì habetur n. 20. in facultatibus Nunciaturæ Colonienſis 1. Oct. 1680. ab *Inn.* XI. concessis.

§. 10. Prælati Episcopo inferiores, quam- 1323.
vis in cæteris habeant potestatem quasi episcopalem, non possunt jure ordinario concedere Indulgentias, cùm id nullibi concedatur: Multò minùs Parochi vel Confessarii, *Bellarm.* & *Barbos.* suprà contra *Host Ang.* & alios. Cùm tamen concessio Indulgentiarum non sit actus Ordinis sed jurisdictionis, Papa vel Episcopus, etiamsi necdum Sacerdos, posset & Indulgentias concedere & concessionem delegare cuivis simplici Clerico, utì cum communi *Leur.* q. 139. & *Viva* a. 4.

Q. 182. *Qualis intentio requiratur ad lucran-* 1324.
*das Indulgentias.* R. §. 1. Si concedens requirat opus

opus cum certa intentione, hæc expresse fieri debet, quia *concessio sub certa forma vel conditione, corruit, si conditio deficiat*, L. *Medius* ff. De Condit. Et ut actus valeant, conditiones implendæ sunt in forma specifica, nempe quoad expressa in specie: hinc etiam communiter dicitur, quòd in talibus non detur commutatio, sed debeat, per se loquendo, fieri quod expressum est: ideoque dicit *Bellegambe* in Enchiridio De Jubilæo p. 1. s. 2. q. 2. prærequiri cognitionem formalem intentionis illius, quam concedens habuit: Addit q. 4. intentionem illam reddi dubiam, si alia intentio admisceatur, quia quò opus pluribus finibus destinatur, eò, minùs prodest singulis. His non obstantibus docent *Pasq. Sanctar. Boss. Viva* q. 8. a. 5. estque communis persuasio etiam apud Confessarios, si intentio orandi facienda sit pro certis necessitatibus in Bulla expressis, satis esse, si quis intendat orare ad intentionem Ecclesiæ.

1325. §. 2. Si concessa sit Indulgentia facienti opus secundùm se, probabiliter docent *Mol. Pelliz. Leand. Portel, Laym. Viva, Lugo, Gob. Busenb. Diana* p. 10. t. 17. R. 1. eum etiam ignorantem lucrari, qui opus ponit, utì præscriptum est, possunt enim Indulgentiæ applicari & prodesse ignoranti, utì dicetur n. 1328. Et quisque habet intentionem saltem habitualem aut interpretativam obtinendi quidquid potest per omnia sua opera: Pro majori tamen securitate expedit manè expressè intentionem formare obtinendi per opera istius diei, quidquid per illa obtineri potest.

1326. §. 3. Si quis pro alio velit lucrari Indulgentiam, requiritur intentio lucrandi determinatè

pro

pro illo: sufficit tamen intentio habitualis, id est, semel habita & non revocata, ad eum modum, quo à n. 205. dictum est de applicatione Missæ.

Q. 183. *Quid præterea notandum sit circa applicationem satisfactionum vel Indulgentiarum pro alio.* R. seqq. §. 1. Quamvis fructus meriti non sit applicabilis alteri, cùm nemo per alium mereatur, sed meritum sit ad gratiam & gloriam operantis; tamen fructus satisfactionis est alteri applicabilis, utì patet in Christo, qui pro nobis satisfecit: Hinc potest vivens etiam viventi transcribere satisfactiones suas: Estque probabilius, si adsint conditiones requisitæ, Deum semper acceptare ex promissione & quadam justitia, obligavit enim se ad hoc, ut charitas amplificaretur & omnes per ipsum essemus unum, *Lugo* d. 26. s. 1. *Arr.* d. 23. s. 1. *Rayn.* tom. 15. p. 2. s. 3. pu. 6. n. 12. Conditiones autem ex parte applicantis sunt, ut dum ponit opus, adsint enumerata n. 1307. item intentio, ut prosit alteri. Ex parte autem illius, cui applicatur, requiritur remissio culpæ & status gratiæ, *Lugo* s. 2. & 3. *Arr.* s. 4. & 5. 1327.

§. 2. Applicatio satisfactionis fieri potest absenti, ignoranti, non petenti, *Diana* p. 5. t. 3. R. 134. *Lohn.* & alii: probabiliter etiam positivè nolenti, quia quamvis invito ordinariè non fiat beneficium, attamen fieri potest, utì absolutio à censura &c. oppositum tamen ex dictis n. 58. videtur probabilius. Indulgentiæ nulli etiam defuncto applicari possunt, nisi Papa expresse concedat, utì colligetur ex dicendis num. 1348. docetque cum communi *Rayn.* n. 3. Alteri 1328.

autem

autem vivo applicari non posse, habet communis cum *Lugo* à n. 11. nisi Papa interveniat.

1329. §. 3. Quando Papa concedit, ut quis possit lucrari Indulgentiam pro alio vivo, S. *Th.* & alii cum *Rayn.* t. 2. pu. 2. n. 7. rectè dicunt primum reipsa non lucrari, sed tantùm ponere opus, quo supposito Papa ipse applicet Indulgentias secundo. Indulgentiam verò, quam quis applicat alteri seu vivo seu Defuncto, non potest eodem die pro se lucrari, uti dicetur n. 1366. Et quamvis actus satisfactorius, qui alteri applicatur, non maneat applicanti, tamen actus, quo applicat, non tantùm est meritorius sed etiam satisfactorius, & hic manet applicanti, *Rayn.* t. 3. pu. 6. n. 5.

1330. §. 4. Si ille, pro quo fructus satisfactionis offertur, sit illius incapax vel non indigeat, *Suar.* dicit reponi in communem thesaurum Ecclesiæ. *Gabr.* & alii communiùs putant prodesse facienti tale opus: *Palud.* dicit prodesse facienti opus, si applicaverat alicui vivo; si autem Defuncto, putat prodesse alteri Defuncto: Sed S. *Th. Pasq.* q. 86. & alii cum *Rayn.* p. 1. n. 32. dicunt statim à Deo concedi alicui sive vivo sive Defuncto secundùm interpretativam voluntatem facientis opus.

1331. §. 5. Sancti, qui in cœlo sunt, non possunt satisfactiones sibi residuas applicare alicui, nam repositæ sunt in Ecclesiæ militantis thesauro, cujus clavem habet solus Papa. *Rayn.* pu. 6. n. 16.

1332. §. 6. *Nav.* putavit eum, qui indiget satisfactione pro se, invalidè applicare alteri, sed communiter contradicunt omnes. Esset tamen contra charitatem propriam secundùm *Rayn.* n. 10. si quis multo reatu onustus morti proximus alte-

alteri applicaret omnes satisfactiones suas, nisi adverteret se facere per actum, qui merito & dignitate suâ damnum illud compensaret, nam ex charitate transferens augeret suam gratiam, qui est fructus æternus longè pretiosior. An autem aliquis prudenter applicet, v. g. animabus satisfactiones omnium suorum operum, dicetur n. 1336.

§. 7. *Rayn.* s. 2. pu. 2. rectè dicit nihil prodesse, si quis opera satisfactoria, quæ antecedenter fecit, velit postea transcribere animabus vel alicui alteri, nam satisfactiones tales non manserunt suspensæ, sed vel statim applicatæ sunt, vel repositæ in thesauro Ecclesiæ, secundùm dicta n. 1330., nulli autem præterquam Papæ competit dispensatio thesauri Ecclesiæ. 1333

§. 8. Si quis nunc vivens applicet animabus omnia sacrificia & preces pro se defuncto fundendas, *Rayn.* suprà rectè dicit hoc etiam invalidè fieri, quia applicatio operis non est in potestate illius, pro quo offertur, sed pendet ab intentione operantis, operans autem, qui suo tempore offeret pro me, non offeret ad hanc meam intentionem, sed offeret, ut prosit mihi, ideoque si tum mihi prodesse poterit, proderit; si autem prodesse non poterit, & operans non substituat aliam intentionem, fiet, quod n. 1330. dictum est. 1334

§. 9. Si subditus applicet satisfactiones suas contra applicationem Superioris, poterit peccare contra obedientiam, sed prævalebit subditi applicatio, uti à pari dictum est de Missa n. 214. docetque cum *Dur. Suar.* & aliis *Rayn.* s. 3. pu. 6. n. 18. actio enim talis cum omni suo fructu subest immediatè soli dominio operantis, 1335

cujus intentionem non potest supplere, aut mutare Superior.

1336 Q. 184. *Quid specialiter adhuc notandum sit circa satisfactiones vel Indulgentias pro defunctis.* R. seqq. §. 1. *Rayn.* in Heter. tom. 15. p. 2. s. 1 pu. 1. & seqq. iterumque pu. 10. rectè ex Scrip. PP. & sensu universalis Ecclesiæ ostendit contra aliquos, quorum argumenta solvit pu. 11., quòd omnino pium sit, nec divinæ justitiæ aut perfectioni contrarium, si satisfactiones à nobis offerantur pro defunctis. Quòd autem animæ etiam suffragia nostra postulent, demonstrat per historias & exempla pu. 7. Præterea pu. 12. contendit esse obligationem saltem charitatis, ut animæ purgantes per aliqua opera vel suffragia adjuventur. Attamen s. 2. pu. 2. docet cum *Arr.* fore prodigalitatem venialiter malam contra charitatem propriam, si quis vim satisfactoriam operum totius secuturæ vitæ suæ transcriberet animabus, quod etiam insinuavi n. 1311. E contrà tamen multi cum *Hautino* hoc laudant, dicuntque esse magis meritorium & utilius, uti notavi l. 2. n. 179.

1337 §. 2. Motivum juvandi defunctos inter cætera est, quia viciſſim possunt nobis prodesse: Imò posse utiliter peti preces animarum prout in Purgatorio existentium, docent *Rich. Gabr. Med. Bassol. Serar. Bonac. Mendoz.* & in eandem sententiam inclinat *Suar.*, quia quamvis sint in carcere sub pœna, tamen sunt tanquam amici & filii, qui pro aliis impetrare possint. Contradicunt quidem *S. Th. Alens. Nav. Bellarm. Victor. Az. Valent, Less. Thyræus, Regin. Castrop.*, quia putant animas non scire se rogari à nobis, sed rectè dicit *Rayn.* s. 3. pu. 1, n. 23. dubitari non posse,

posse, quin preces ad se directas cognoscant saltem per revelationem Angelorum, id enim pertinet ad communicationem, quæ adhuc est inter illas suffragiis nostris indigentes & nos: Et ita se per eas multa obtinuisse testatur *S. Catharina Bononiensis*. Hinc *Rayn.* pu. 8. q. 2. concludit, per se loquendo, melius esse & utilius orare ac consequenter offerre satisfactiones pro defunctis, qui Deo amiciores sunt & se juvare non possunt, quàm pro vivis. Causa autem, cur Ecclesia diebus Lunæ velit specialiter orari pro defunctis, est, quia vult statim post Dominicam succurri illis miseris, *Rayn.* pu. 4. q. 10.

§. 3. *Caj.* & alii putárunt non omnes animas 1338
posse juvari nostris suffragiis, sed eas tantùm, quæ in vita hoc ipsum promeritæ sunt, ut juvari possent: sed contra hoc videri possunt dicta n. 59.

§. 4. *Præpositus* putavit per suffragia oblata 1339
pro una determinatè anima, non plùs juvari istam, quàm omnes alias, imò meliùs dispositas plùs esse juvandas, sicuti fax accensa pro uno existente in obscuro loco æqualiter lucet omnibus, & illis magis, qui propiores sunt vel meliorem habent visum: Sed rectè contradicunt *S. Th. Bellarm.* aliique communiter cum *Rayn.* n. 20. quia applicatio fit secundùm liberam intentionem operantis, & Papæ leguntur concessisse applicationem pro certis animabus.

§. 5. Subsidia necdum exhibita, etiamsi 1340
certò sint exhibenda, nunc non prosunt animabus, utì habet communis cum *Rayn.* pu. 3. n. 43. quia etiamsi Deus prævideat aliquid faciendum, non ideo, antequam præstetur, rependit

præmium, nisi accedat specialis misericordia, qualis fuit, quòd ob prævisa Christi merita dederit gratias Adamo & antiquis PP. pro hoc enim dicendo habemus speciale fundamentum in Scriptura & PP., quia redemptio erat tribuenda Christo.

1341 §. 6. Per se loquendo utilius est animabus, si statim magna vis subsidiorum illis procuretur, nam tantùm prosunt, si sint actu exhibita. Per accidens tamen potest esse laudabilius, v.g. fundare perpetuam Missam, quia potest hoc esse magis ad Dei gloriam, ut populus certo die & loco Missam habeat &c. *Rayn.* à n. 47.

1342 §. 7. Missam esse præcipuum oput satisfactorium pro defunctis, docent SS. PP. *S. Th.* & Theologi communissimè cum *Rayn.* s. 3. pu. 3. q. 2 quia nempe est repræsentatio & nova exhibitio Sacrificii à Christo oblati in Cruce, cui Christus ideo voluit inesse maximam vim satisfactivam. Post Missam sunt Indulgentiæ, quibus & Christi & Sanctorum satisfactiones animabus applicantur ex opere operato. Sequuntur ex genere suo & per se opera pœnalia. Post hæc, est eleëmosyna: Denique oratio, cujus præcipuus fructus est impetratio. Notat tamen *Rayn.* cum *Soto* posse per accidens fieri, ut eleëmosyna in certis casibus ratione charitatis adjunctæ vel magnæ indigentiæ pauperis sit gratior Deo, adeoque utilior defunctis quàm multæ Missæ. Quantùm defunctis prodesse possint cilicia, flagellationes, jejunia, vigiliæ, peregrinationes, afflictiones causatæ nobis aliunde, susè & doctè prosequitur *Rayn.* pu. 6. q. 6. & seqq. speciatim autem de eleëmosyna agit pu. 7. De oratione pu. 8.

§. 89.

§ 8. Orationes publicæ, id est, quæ fiunt à 1343.
personis ad id deputatis ab Ecclesia, prout fiunt nomine Ecclesiæ, non sunt satisfactoriæ, quia satisfactio respicit pœnalitatem operantis; hinc ùt tales tantùm sunt impetratoriæ, etiam respectu remissionis pœnæ defunctorum, & quidem tantò magis, quantò Ecclesia tota est gratior Deo quàm privatus, cujus etiam improbitas non impedit vim impetratoriam Ecclesiæ. *Rayn.* s. 3. pu. 11. q. 3.

§. 9. Communio de se non prodest defun- 1344.
ctis, nisi quantùm actus adjuncti, sunt ex opere operantis impetratorii vel satisfactorii, utì fusè demonstrat *Rayn.* tom. 6. opusc. 6. *De Communione pro mortuis.* Et idem est, si confessio vel Communio offeratur pro alio vivo, tam parum enim potest huic prodesse, quàm si quis pro alio velit suscipere Baptismum vel Matrimonium. *Nec obstat*, quòd 1. ad *Corinth.* 15. ℣. 29. dicantur aliqui baptizari pro mortuis, *nam* sensus est, quòd pro mortuis se affligant vel patiantur, utì ostendit *Rayn.* tom. 15. p. 2. s. 2. pu. 11. & iterum s. 3. pu. 6. n. 1., in quo etiam sensu Christus *Marci* 10. & *Lucæ* 12. passionem suam vocat baptismum.

§. 10. Restitutio eorum, quæ defunctus 1345.
abstulerat, aut expletio votorum, quæ neglexerat, quamvìs per accidens possint prodesse ratione piorum actuum, quos hæredes nunc eliciunt pro defuncto, tamen de se nihil operantur ad liberationem animæ, *S. Th. Nav. Sot. Bellarm. Suar. Mol. Valent. Rayn.* s. 2. pu. 3. contra paucos. Ratio est, quia si defunctus ante mortem fecit, quod potuit, non ideo diutiùs patietur; si id neglexit, patietur, quantùm pro-

merita est ipsius negligentia : hæredum autem negligentia non est culpa ad eum pertinens, cùm ipse illius causa per se non fuerit. Idem est dicendum de ablatione scandali, quod defunctus posuerat, dum viveret, *Rayn.* pu. 6.

1346. §. 11. Campanarum pulsus non juvat defunctos nisi indirectè, quatenus movet audientes ad bene precandum defuncto, *Rayn.* pu. 7. Consepelire defunctis res pretiosas nullum etiam illis adfert subsidium : consepelire autem Eucharistiam est nunc præter Ecclesiæ consuetudinem, *Rayn.* pu. 10. Imò videtur illicitum propter irreverentiam.

1347. §. 12. Usus cereorum ardentium prodest defunctis, in quantùm amici nomine defuncti protestantur se confiteri Christum esse verum lumen, & ex ejus meritis sperare misericordiam, *Rayn.* s. 3. pu. 11. q. 8. Sepultura in loco sacro eis prodest, partim quia fideles illic convenientes excitantur ad orandum pro defunctis, partim quia preces publicæ Ecclesiæ, quæ in tali loco funduntur, extenduntur etiam ad inibi sepultos, *Rayn.* p. 12. q. 3. Aspersio aquæ benedictæ prodest propter preces Ecclesiæ, nam benedicens petit prodesse etiam ad condonationem pœnarum, *Rayn.* q. 5. Incensatione thuris orat Ecclesia, ut anima pascatur odore cœlesti &c.

1348. §. 13. Solus Papa potest defunctis applicare Indulgentias, uti habet communis cum *Diam.* p. 10. tr. 6. R. 12. contra *Gob.*, quia secundùm dicta n. 1315. defunctis applicantur per modum solutionis, offerendo pretium ex thesauro Ecclesiæ, solus autem Papa habet claves thesauri Ecclesiæ, *Rayn.* s. 3. pu. 5. n. 15.

§. 14.

§. 14. Specialiter ad indulgentias pro defunctis requiritur motivum extrinsecum distinctum ab ipsa pœnæ remissione, & quantitati indulgentiæ proportionatum, sit enim pro non subdito per modum solutionis ex thesauro Ecclesiæ, cujus usus non debet esse profusio sed prudens dispensatio, *Rayn.* n. 19. 1349.

§. 15. Multi negant, multi affirmant applicationem indulgentiarum factam pro defuncto habere infallibilem effectum, utrique probabiliter, utì colligi potest ex dictis n. 524. Et pro affirmantibus stat etiam *Rayn.* s. 3. pu. 1. à n. 17. pu. 5. à n. 9. pu. 6. n. 12. pro negantibus *Amicus* tom. 8. d. 20. à n. 175. Rectè autem præsumunt *Henriq. Laym.* & alii, si Deus pro arbitrio absque promissione acceptet indulgentias pro defunctis, longè faciliùs eas acceptare pro illis animabus, quæ in hac vita magis studuerunt satisfacere, non tantùm pro se sed maximè pro defunctis. 1350.

§. 16. Quamvis n. 1307. dixerim ad satisfaciendum pro se vel alio ex opere operantis, requiri in operante statum gratiæ, tamen *Rayn.* pu. 5. n. 23. *Dian.* suprà R. 13. aliique multi apud *Busenb.* & cum *Amico* n. 203. putant eum, qui non est in gratia, lucrari posse indulgentiam pro defuncto, si ponat substantiam operum, quia indulgentia ex opere operato acquiritur defuncto, qui est dispositus. 1351.

§. 17. Etiam Beati in cœlo possunt juvare animas, non quidem ex suis satisfactionibus superfluis applicando aliquid, utì dictum est n. 1331. sed vel directè impetrando pro illis remissionem propter satisfactiones Christi, utì habent *Bellarm.* Cõn. *Rayn.* s. 3. pu. 2. q. 2. vel 1352.

etiam indirectè, procurando, ut viventes pro eis offerant satisfactiones.

1353. Q. 185. *An preces Ecclesiæ & indulgentiæ possint prodesse catechumenis vel excommunicatis, saltem defunctis.* R. §. 1. Preces Ecclesiæ etiam publicas prodesse catechumenis, itemque Indulgentias posse applicari eis in gratia defunctis, docent cum aliis *Rayn.* in Heter. tom. 15. p. 2. s. 3. pu. 3. q. 3. & *Amicus* tom. 8. d. 20. n. 157. contra *Suar. Côn.* & alios cum *Viva* De Jub. q. 6. a. 1. & videtur sequi ex dictis n. 29:, quia etiam Missa illis applicari potest. *Nec obstat*, quòd catechumeni nunquam pertinuerint ad Ecclesiam, *nam* licèt Ecclesia non judicet nec puniat extraneos, attamen potest illis benefacere & præstare gratias, quarum capaces sunt.

1354. §. 2. Si excommunicatus adhuc vivens verè contritus sit, & per eum non stet, quominus restituatur Ecclesiæ, probabile est cum *Nav.* & *Sa*, lucrari posse Indulgentias per opera, quæ licitè exercet; si his annexæ sint, sic enim prudenter præsumimus de benigna voluntate Ecclesiæ: Oppositum tamen est probabilius ob rationem jam dandam.

1355. §. 3. Si excommunicatus sit in gratia mortuus, *Nav. Henriq. Fill.* putant posse ei prodesse Indulgentias, quia excommunicatio videtur tantùm excludere à favoribus pro statu vitæ, post mortem enim Ecclesia non habet jurisdictionem in animas. Oppositum tenent *Dicast.* tr. 9. d. 2. n. 147. & tr. 10. d. 2. n. 632. *Rayn.* n. 27. & alii, quia una ex pœnis excommunicationis est privatio communium suffragiorum. Neque ad hoc requiritur jurisdictio in animas, sed satis est facere, ut pro illis, quæ excommu-

nicatæ

nicatæ sunt, non offerantur suffragia nomine Ecclesiæ, neque applicentur. De cætero rectè docet *Rayn.* s. 2. pu. 5. excommunicationem non impedire ingressum in cœlum, dummodo satisfactio vel satispassio pro pœna sit exsoluta. Vide dicta à n. 31.

Q. 186. *Quid notandum sit circa Indulgentiam, quæ conceditur ingredientibus Religionem.* R. Putant quidem aliqui cum *Rodriq.*, Indulgentiam plenariam, quæ dicitur obtineri per ingressum Religionis, posse obtineri per susceptionem habitûs aut per ingressum in Novitiatum, si fiat ex magno Dei amore & renunciatione mundi, sed quamvis hæc possint ex opere operantis satis esse ad remissionem pœnarum restantium, tamen Indulgentia ista plenaria videtur tantùm obtineri in professione vel emissione votorum substantialium Religionis, sola enim hæc comparatur Baptismo, & Novitiatus est veluti status catechumenorum, uti cum aliis notat *Less.* in Auct. v. *Indulgentia.* cas. 2. Et *Nav. Sanch. Viva* De Jubil. q. 4. a. 5. putant Indulgentiam profitentium Religionem, prout dicit remissionem pœnæ peccatis debitæ, ex opere operantis posse esse plenariam. Aliam etiam Indulgentiam lucrantur Regulares induentes habitum religiosum, uti dicetur n. 1389. 1356.

Q. 187. *Quas indulgentias speciales habeat Societas JESU.* R. §. 1. Accepi designationem impressam Romæ anno 1709. cum approbatione Magistri S. Palatii in hæc verba: 1357.

Indulgentiæ plenariæ in perpetuum concessæ omnibus & singulis utriusque sexûs Christifidelibus verè pœnitentibus & confessis ac sacrâ Communione refectis, qui ecclesias Societatis

tatis JESU, ubicunque fuerint, in diebus & festis infra indicatis devotè visitaverint, & inibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione & S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint:

1. In die Circumcisionis Domini, 1. Januarii concessit *Paulus* III. in Bulla 15. Kal. Nov. 1548. Confirmavit *Gregorius* XIII. in Bulla Nonis Maji 1578. Designatæ sunt ecclesiæ domûs professæ, aut ubi hæc non est, præcipui Collegi.

2. In festo S. Ignatii 31. Julii concessit *Gregorius* XV. in Brevi 8. Junii 1622.

3. In festo S. Francisci Xaverii concessit in eodem Brevi pro die 2. Decembris: sed *Alex.* VII. in Brevi 18. Julii 1663. transtulit cum festo in 3. Decembris. Si festum incidat in Dominicam 1. Adventûs, officium & Missa cum indulgentiis transfertur in diem Lunæ proximè sequentem ex indulto *Inn.* X. 27. Octob. 1651. quod confirmavit *Clemens* XI. 24. Nov. 1702.

4. In festo S. Francisci Borgiæ pro die 3. Oct. concessit *Clemens X.* in Brevi 3. Julii 1671. sed indulgentiam cum festo transtulit in 10. Oct. *Inn.* XI. in Brevi 28. Aug. 1683.

5. In die invocationis cujuscunque ecclesiæ Societatis, id est, tituli ecclesiæ, concessit *Paulus V.* in Brevi 16. Sept. 1611.

6. Pro docentibus, discentibus & promoventibus doctrinam christianam concessit *Greg. XV.* in Brevi 27. Sept. 1622. Et S. Congreg. 22. Nov. 1678. declaravit non esse revocatas per quoddam Decretum *Inn.* XI. 7. Martii 1678.

7. Pro omnibus & singulis Christi-fidelibus tam Societatis aut cujuscunque alterius Ordinis & Congregationis regularibus, quàm aliis quibusli-

buslibet ecclesiasticis & laicis, qui in domibus ejusdem Societatis exercitia spiritualia per octidui sparium peregerint, concessit *Alex.* VII. in Brevi 13. Oct. 1657.

§. 2. Præter ista dixi l. 1. n. 861. & jam con- 1358.
stat ex novo compendio v. *Indulgentia.* §. 10. post visitationes concedi singulis de Collegio plenarias indulgentias in prima Missa vel Communione. Deinde solent Provinciales petere à Generali facultatem impertiendi nostris privilegium liberandi animam à Purgatorio, in quocunque altari Missam legant, quod cuidam Provinciali modernus Generalis 14. Febr. 1705. dedit his verbis, *Tribuo Reverentiæ vestræ facultatem nostris impertiendi privilegium Fratrum Ministrantium infirmis, pro applicanda moribundis indulgentia plenaria per imaginem crucifixi &c. ac liberandi animam è Purgatorio, quoties Missæ sacrificium ad eam intentionem applicaverint.* Hoc privilegium, si à Provinciali obtentum sit, adhuc viget. Plures adhuc indulgentias habent cum omnibus Regularibus, secundùm dicenda nu. 1389. Notatque *Viva* in Appendice ad tract. De Jubilæo, si in templis nostris ante Venerabile recitemus sexies *Pater. Ave. Gloria Patri.* nos lucrari omnes indulgentias, quæ tali die sunt & Romæ & in illa urbe, ubi oramus.

§. 3. Quod Missionarios attinet, declaravit 1359.
*Urb.* VIII. in Bulla, *Salvatoris.* 5. Maji 1626. confirmatâ ab *Alex.* VII. in Brevi *Dudum* 20. Sept. 1656. quòd Regulares in missione habeant easdem indulgentias, quas habent in partibus catholicorum, sic enim habet *Alex.* §. 17. *Quoad publicationem indulgentiarum, poterunt Regulares & PP. Societatis illas publicare, quas Ordines & Societas*

*cietas habet & hactenus habuit ubique terrarum, vel in partibus Germaniæ & Belgii in universum, edocto semel Vicario de facultatibus, neque Vicarius impediet vel interdicet.* Et idem conceditur in eadem Bulla circa confraternitates §. 18. *Quoad institutionem confraternitatum & sodalitatum permittat Vicarius Regularibus & PP. Societatis illas, quæ à Sede Apostolica approbatæ & ab Ordinibus assignatæ sunt, ita tamen ut nemo adstringatur & teneatur ad particulares Confessarios vel ad Sacramenta ab illo Ordine solùm percipienda.* Hæc habet *Verjuys* in Past. Mission. tr. 10. a. 1. & 2.

1360. §. 4. Quas Indulgentias habeant sodalitates B. Virginis Annunciatæ in gymnasiis vel oratoriis nostris, videri potest apud *Veron* in Manuali sodalitatis c. 1. p. 2, qui in fine dicti Manualis ad longum habet Bullam *Greg* XIII. illas sodalitates instituentis & extendentis. Et eas Indulgentias, non obstante aliquo Decreto *innoc. XI.* adhuc valere pro sodalitatibus aggregatis, docent *Illsf.* & *Viva* suprà §. 4.

1361. *Q.* 188. *Quid notandum sit circa Indulgentias, quæ in templis Societatis JESU esse solent in Dominica Agoniæ Christi & in dominica Communionis generalis sive Animarum.* R. seqq. §. 1. Interrogatus ex Rheno inferiori *P. Josephus Photius*, qui ab initio fuerat præses sodalitatis Agoniæ, respondit Româ 2. Dec. 1690. 1. absentes impeditos posse lucrari indulgentias Agoniæ, si die designato alibi cõmunicent. 2. Moniales, quæ egrediuntur, si hìc & nunc per accidens impediantur, posse lucrari alibi, utì de aliis dictum est. 3. Si die designato impediti, aut etiam non impediti, alio die Dominico ejusdem mensis communicent, & multò magìs si Societas transferat

Indul-

Indulgentias in alium diem quàm nunc designatum, omnes posse lucrari, quia sodales ipsi eligere possunt diem Communionis, attamen Dominicum, si Dominicus sit nominatus in Brevi. Nihilominus ista responsa nobis visa 1362
semper sunt dubia, ideoque Anno 1709. iterum hæc proposuimus Romæ, ad quæ P. *Sestius* vir doctrinâ & rebus gestis celebris, nunc A. R P. Generalis monitor, respondit tam de Indulgentiis Agoniæ quàm Animarum, 1. Absentes quantumvis impeditos, & alibi communicantes non lucrari, quia requiritur, ut fiat in templo nostro. 2. Id valere de quibuscunque etiam Monialibus reipsa non communicantibus in nostro templo. 3. Nec lucrari alio die non designato intra mensem communicantes, quia quamvis sit liberum ab initio hunc vel illum diem designare, prout Breve permittit, si tamen dies sit per nos semel designatus, ille determinatè est retinendus, quia positâ designatione in eum cadit gratia per Breve collata, nec ampliùs mutari potest.

§. 2. Quoad tertium de Communione in 1363
utrisque Indulgentiis facienda in nostro templo, idem Româ responderat anno 1684. *P. Ampringer*, & *Conf.* ex *Gob.* in Quin. tr. 3. n. 197. idemque habetur in Resp. Rom. v. *Indulgentiæ Communionis generalis*. §. 6. ad Prov. Bohemiæ Anno 1643. Denique quando Coloniæ Communio generalis incidit in diem Paschæ, isto die petitur & obtineri solet à Vicario generali facultas distribuendi Communionem in nostro templo, quam non daret, si judicaretur transferri posse in aliam Dominicam.

§. 3. Etiam quæsitum est, an dictas Indul- 1364
gentias

gentias Agoniæ vel Animarum lucrari possint in sacello domestico nostri, qui vel ob infirmitatem vel ob aliam legitimam causam non possunt Missam legere vel communicare in templo nostro: & Respondit P. *Sestius*, rem esse controversam, nam *Quintanadv.* in Comm. gener. append. tr. 1. dub. 6. affirmat, quia sacellum videtur facere unum cum Ecclesia, tanquam accessorium cum principali & tanquam membrum cum capite: addit tamen n. 7. securius esse fieri in templo aut in Capellis intra illud contentis: ideoque Romæ, ubi cubicula S. *Ignatii* in maxima veneratione sunt, obtentum est speciale Breve, ut ea visitantes lucrentur Indulgentias templis nostris concessas. Itaque cùm agatur de valore, puto standum omnibus responsis P. *Sestii* tanquam tutioribus: idemque quoad omnia judicavit major pars nostrorum in hoc Collegio Colonienſi.

1365 §. 4. Etiam interrogatus P. *Ampringer* Româ respondit anno 1684. seqq. 1. non debere necessariò pro festo principali ullius confraternitatis eligi diem Dominicum, sed esse ad libitum confratrum, nisi aliter exprimatur in Brevi. 2. Nec pro 4. festis infra annum, pro quibus datur Indulgentia 7. annorum, necesse est eligi 4. Dominicas, sed posse eligi quæcunque festa, etiam non fori. 3. Non requiritur, ut Romam nuntietur dies, quam sodales vel societas elegerit, ordinariè tamen requiritur scientia & consensus Ordinarii. 4. Indulgentiæ Societati concessæ pro confraternitate Agoniæ non possunt communicari aliis Ecclesiis, vel aliis quibusvis personis. 5. Indulgentiæ animarum non possunt communicari aliis Ecclesiis non nostris, nisi

nisi per nos in iisdem Ecclesiis habeantur dictæ Indulgentiæ, audiendo Confessiones, dispensando Eucharistiam &c.

§. 5. Quamvis utrasque Indulgentias Agoniæ & Animarum possit quis vel sibi vel Animæ applicare, non potest tamen eodem die bis orando septies *Pater* & *Ave* easdem & sibi & Animæ applicare, quia tantùm conceditur sub disjunctione, ut quis vel pro se vel pro Anima lucretur, non autem dicitur, ut pro se & pro Anima, *Quintanad.* dub. 12. n. 4. 1366

*Q. 189. An prudenter credi possit, quòd omnes illæ Indulgentiæ sint veræ & authenticæ, quæ passim inveniuntur in variis libellis.* R. Negativè, uti patet ex decreto seq. 1367

## DECRETUM.

### *De apocryphis Indulgentiis.*

DElatæ sæpiùs fuêre ad S. Congregationem Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositam, Indulgentiæ quædam confictæ & omnino falsæ, quæ per diversas orbis christiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt vel apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quòd datum eis tempus præteriisset, quarum quidem plurimæ, cùm non facilem cognitionem habeant, Christi fideles harum rerum minùs peritos fallunt, qui spe Indulgentiæ remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem S. Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illa-

illarum singulari diligentiâ colligi, & in Indicem referri curavit.

1368 Tales imprimis sunt illæ, utì asserunt, concessæ à *Joanne* II. & *Sixto* IV. recitantibus orationem charitatis JESU Christi Domini Nostri, *Precor te piissime Domine &c.* Ab *Urbano* II. Ecclesiæ S. Mariæ, ùt vulgò dici solet, campagnolæ, & S. Victoriæ, ab *Eugenio* III. Revelationi de plaga in humero JESU Christi factæ S. Bernardo. Ab *Innocentio* III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis. A *Bonifacio* IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die festo. A *Joanne* XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis. Ab *Alexandro* VI. Imagini B. Mariæ, vulgò dictæ Laghetti. A *Leone X* gestantibus funiculum S. Francisci, primùm in urbe impressæ, deinde Mediolani anno 1665. (suas tamen habent, & veras confratres Archiconfraternitatis Cordigerorum S. Francisci) recitantibus salutationem angelicam ad pulsum horologii, & imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus luna subjecta est. A *Pio IV.* vel *Pio V.* Principi Senarum. A *Clemente* VIII. dicentibus orationem, *ô magnum Mysterium, &c.* & Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant, Montis Serrati, Avenione impressæ, tum aliæ pro animabus Christi fidelium defunctorum impressæ Matriti 20. Julii 1606. A paulo V. cantantibus hymnum: *Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur, &c.* vel si die Sabbathi intererint, dum idem canitur, & Coronis, Rosariis, Imaginibus, Numismatibus, quæ medallias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromæo supplicante anno 1611.

dum

dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur: & ab eodem *Paulo* & *Gregorio XV.* dicentibus: *Sia lodato il Sanctissimo Sagramento, laus sanctissimo Sacramento.* Ab *Urbano* VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus celebratâ Missâ dicentibus: *Ave filia Dei Patris, Ave Mater Dei filii &c.* A *Clemente* X. recitantibus manè, meridie ac vespere consuetam Antiphonam, *Angelus Domini &c.* & in fine *Deo gratias & Mariæ*; ac demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ùt ajunt, Coronis Mysteriorum Passionis Domini Nostri JESU Christi, prece magni Ducis Etruriæ.

Talis indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, quâ repetitâ quinquies oratione Dominicâ, & Salutatione Angelicâ, unam liberari animam quolibet die à Purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Perusii Confraternitatis sanctorum Sebastiani & Rochi; & Romæ Societatis S. Bernardi ad columnam Trajani; Tales demum aliæ Cruce signatorum S. Eustorgii, Mediolani, Arimini & Bononiæ.

Ejus generis sunt & illæ concessæ, ùt ajunt, Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodigii, vel Ecclesiæ SS. Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Tondoni, die festo Inventionis SS. Crucis, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula, vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque Festivitatum B. Virginis, vel recitantibus Officium S. Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam, *ô Passio magna &c.* in memoriam Passionis JESU, aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio sacrorum Rituum non probat)

aut orationem, quæ impressa cum imagine S. Annæ circumferri solet, *Ave gratia plena &c.* (quæ oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. Virginis immaculatæ, quod asserunt à *Paulo* V. probatum fuisse, aut orationem, *Deus, qui nobis in S. Syndone &c.* (excipitur Indulgentia centum dierum anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam, *Ave filia Dei &c.* post Communionem recitandam, vel aliquo conspicuo signo venerantibus Ss. Eucharistiæ Sacramenti nomen; Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum veteri de Tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus orationem illam verè piam, *Deus qui pro redemptione mundi &c.*; tum quæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1670. sub hoc titulo, *Sommario dell' indulgenze concesse dalla santità di Nostro Signore* Papa Leo X. *all' Immagine della Concezzione della Gloriosa Vergine Maria*: vel Pisauri sub nomine B. Joannæ, anno 1608. evulgatæ: vel Barlettæ seu Barul à recitantibus quasdam, non sanè malas orationes, lucrandæ: vel Parmæ à visitantibus per quadragesimæ dies Ecclesias tertii Ordinis S. Francisci; vel Pistorii & Vastallæ à recitantibus orationem, *Ave sanctissima Maria, Mater Dei, Regina cœli &c.* Et aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos & Benefactores.

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel Coronæ sive Stellario Conceptionis Virginis immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat, vel granis, crucibus & Coronis Aloysiæ ab

Ascen-

Ascensione Hispanæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel mensuræ altitudinis JESU Christi Domini Nostri, vel imagini, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti; vel orationi, ùt ajunt, in sepulchro Domini nostri repertæ, & indulgentiæ, ùt ajunt, innixæ revelationi factæ sanctæ Brigittæ, Mechtildi & Elisabeth, vel B. Joannæ de Cruce, & concessæ, ùt asserunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Observantiæ S. Francisci.

Omnes verò, & singulas jam dictas indulgentias S. Congregatio partim esse confictas, & planè falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possunt; easque in futurum ullo in loco, ùt veras publicari, & lucrandas Christi fidelibus proponi vetat; foliaque & libros, ubi sic proponuntur, seu asseruntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris & legitimis, tacitéque probatis haberi.

Ac demum omnes indulgentias concessas 1369
ante Decretum *Clementis* VIII. latum die 9. Jan. 1597. Coronis, Rosariis, Granis seu Calculis, Crucibus & Imaginibus sacris: vel ante Breve *Pauli* V. quod incipit, *Romanus Pontifex* &c. editum 23. Maji 1606. personis Regularibus quarumcunque Religionum & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. *Clementis* VIII. cujus initium, *Quæcumque*, &c. & 68. *Pauli* V. incipientem, *Quæ salubriter* &c. habitas per aggregationem vel aliam com-

municationem ab Archi-Confraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate etiam JESU, Capitulo, vel cœtu quocumque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus aliisque personis vel persona, etiamsi earum vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius roboris esse & momenti pariter declarat.

Porrò summaria indulgentiarum pro Congregationibus doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus Ss. Trinitatis & Redemptionis Captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, cincturæ S. Augustini & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

1370 Indulgentias verò Stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus aut personis, diebus tantùm Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.

De quibus relatione factâ per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta, Sanctitas sua probavit & inviolatè servari jussit. Datum Romæ die 7. Martii 1678. Die 12. Martii affixum & publicatum &c.

*Notandum* tamen est, quod scribit *Viva* in appendice Indulgent. §. 2. his verbis: Recitantibus vespere ad pulsum campanæ, *Angelus Domini.*

mini. *Ecce ancilla. Verbum caro &c.* cum tribus *Ave, Adrianus* VI. plenariam indulgentiam largitus est, ùt referunt communiter cum *Pelliz.* tr. 10. c. 9. n. 40. *Gob Escob Rodriq. Lezan. Diana* p. 4. t. 4. R. 24. Quæ autem ab *Innoc.* XI. declaratur apocrypha, est solùm indulgentia *Clementis X.* adscripta recitantibus manè vel meridie aut vespere, *Angelus Domini* cum *Deo gratias & Mariæ.* 1371

*Q. 190. An per idem opus obtineri possint plures indulgentiæ.* R. §. 1. Negant *Suar. Gran. Côn.* & plures alii, quia ex mente Ecclesiæ & praxi fidelium videntur singula opera pro singulis indulgentiis requiri, quæ sententia in praxi suadenda est. Attamen si tales indulgentiæ sint diversis viis concessæ, præter citatos à *Busenb.* oppositum tenent *Bonac. Escob. Quintanad.* dub. 12. n. 4. ac probabile reputant *Henriq. Gob. Dian.* p. 10. t. 16. R. 14. consentit *Viva* q. 8. a. 1. si sermo sit de operibus, quæ eodem die iterari non possunt: hinc inferunt, si eodem die sint in diversis templis diversæ indulgentiæ, præsertim si una sit applicabilis defunctis, altera vivis, per unicam Confessionem & Communionem posse utrasque obtineri, orando in singulis templis preces præscriptas, quia talis Confessio & Communio tantùm præsupponitur tanquam dispositio, unica autem dispositio moralis sufficit ad plures effectus morales, v. g una actualis gratia, unus actus fidei, ad multos actus meritorios. Videndum tamen, in quo templo fortè fieri debeat Communio, secundùm dicta n. 1362.

§. 2. Si hodie sit indulgentia in templo A., cras in templo B., adhuc putant *Busenb. Dicast. Burgh.* cent. 2. casu 26. & alii sufficere Confessionem 1372

nem hesternam & Communionem hodiernam pro utrisque indulgentiis hodie & cras lucrandis, testaturque *Dicast.* multos viros doctos in Hispania interrogatos ita sensisse. Idem dicunt *Turr. Dian. Escob. Comit.* licèt prima primo die mensis, secunda sexto lucranda esset, rationem dant, quia Bullæ non mathematicè sed moraliter volunt ista opera fieri tempore pro tali indulgentia assignato, quod tum videtur esse, si non distet longiùs: Hinc Theologi Collegii Romani (uno excepto, qui contradixit) interrogati ab hac Provincia putârunt ad lucrandas indulgentias festo Circumcisionis sufficere, quòd quis in festo Nativitatis Christi confessus communicârit, referendo etiam ad indulgentias Circumcisionis: Rationem dant, quia verba, *qui verè pœnitentes confessi & communicati* in Bullis *Pauli* III. & *Greg.* XIII. injunguntur cum verbo, *visitaverint*, & non cum festo Circumcisionis, ipsi autem octiduo antè confessi & communicati ex intentione hujus indulgentiæ, hodie festo Circumcisionis visitant templum & in eo orant, ergo adimplent verba concessionis. Addunt non obstare, quòd interim fortè inciderint in mortale, dummodo de hoc ante visitationem templi & orationem conterantur. Hæc illi, an probabiliter, judicent alii.

1373 §. 3. Easdem indulgentias non potest quis sibi lucrari & simul alteri applicare, uti dictum est n. 1366.

1374 Q. 191. *An indulgentia pro certo tempore concessa, possit intra illud tempus sæpiùs obtineri, si repetantur opera injuncta.* R. §. 1. *Busenb.* cum aliis dicit probabilius esse, quòd non, & *Fill.* t. 8. c.

10. n. 278. dicit sic declarâsse *Clementem VIII.* etiam de Jubilæo anni sancti: Et n. 765. dicit idem respondisse S. Congregationem. His tamen non obstantibus multi, cum *Gob.* De Jubilæo c. 20. q. 57. & c. 14. q. 40., & *Viva* q. 6. a. ult. Item alii apud *Belleg.* p. 6. f. 2. q. 7. adhuc tenent contrarium, nisi in Bulla aliud exprimatur: quod adhuc plures dicunt, si in tua patria lucreris & postea alibi peregrinus. Sæpe tamen Papa tollit potestatem bis lucrandi, utì apud nos in diebus anticineralibus. Hoc est probabile, si concessa sit Indulgentia ad augendam devotionem populi, vel ob concursum ejus per totam aliquam octavam, vel ob diuturniorem celebritatem festi alicujus Sancti, tum singulis diebus posse de novo à præstantibus requisita talem Indulgentiam obtineri, utì quibusdam locis conceditur illis, qui intersunt Officiis divinis in festo & per octavam Venerabilis Sacramenti.

§. 2. Si dicatur, quòd festo Patroni vel Titularis sint Indulgentiæ in aliquo templo, si duo Sancti, qui diversis diebus celebrantur, sint æquè principaliter Patroni vel Titularis, probabiliter utroque die habetur Indulgentia, utì dixi l. 4. à n. 1262. 1375

Q. 192. *Si festum transferatur, an simul transferantur indulgentiæ.* R. Negant *Az. Fagund. Portel.* in qq. Regul. v. *Festi dies*, & alii, quia sunt affixæ illi diei, quo ordinariè est festum. E contrà affirmant alii cum *Diana* p. 6. t. 7. & 8. R. 31. dummodo festum transferatur in choro & foro. *Gob.* in Quin. t. 4. n. 327. dicit satìs esse, si transferatur etiam in choro tantùm, saltem de primariis festis religiosorum, quia ratio manet 1376

eadem, scilicet ut à populo solenniùs & majori frequentiâ celebretur festum. *Sylv.* p. 1. v. *Indulgentia.* casu 2. tenet cum *Az.*, si in Brevi ponatur, quòd concedatur Indulgentia in die obitûs vel depositionis Sancti, aut die certâ mensis, utì in Portiuncula dicitur die 2. Aug. Si autem concedatur visitantibus Ecclesiam in festo talis Sancti, dicit transferri, & quando habetur festum, tum esse Indulgentias: Quidquid sit de his sententiis, quæ probabiles sunt, certum est ex dictis num. 1357., si apud nos transferatur festum sancti *Xaverii*, ex speciali privilegio etiam transferri Indulgentias: Similiter *Sixtus V.*, utì refert *Gobat.* n. 336. concedit indulgentias Sodalitatum transferri cum festo Annunciationis: Unde cùm hoc dicatur esse speciale *privilegium*, vel *concessionem*, probabilius videtur alias indulgentias non transferri, sed lucrandas die impedito, à quo festum excluditur: *Nec obstat*, quòd *Greg.* XIII. pro festo S. *Francisci de Paula* dicat; *declaramus, nam* non dicit tantùm declaramus, sed *volumus & declaramus*, sicque declarat ex voluntate sua id esse.

1377 *Q. 193. Quid notandum sit circa Brevia vel Bullas, quibus Romæ conceduntur Indulgentiæ.* R. seqq. §. 1. Si Romæ 1. Januarii hoc anno 1711. fuerit subsignata indulgentia duratura ad septennium, hoc septennium incipit currere à die dati Brevis Romæ secundùm declarationem n. 525. relatam. An autem concessiones Indulgentiarum sint latè interpretandæ, dicetur num. 1395.

1378 §. 2. Si indulgentia plenaria concessa sit, v. g. ad 7. annos, non debet numerari annus Jubilæi, nisi additum esset, *ad 7. annos proximos, Gob.*

De

De Jubilæo n. 56. & De indulg. n. 663. *Belleg.* p.2. ſ 4.q.6. & idem fortè eſt, ſi dicatur *ad ſeptennium proximum*: ſi autem dicatur ſimpliciter *ad ſeptennium*, *Gob.* & *Viva* q.4.a.5. contra *Paſq.* putant durare ad ſeptem annos utiles. 1379

§. 3. Si addatur: *Volumus autem, ut ſi alia indulgentia in dicta Eccleſia perpetuò vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa ſit, præſentes ſint nullæ*, *Sylv.* & *Diana* p. 10. t. 16. R. 11. putârunt ex declaratione *Urb.* VIII. ſenſum eſſe, ut indulgentiæ conceſſæ nullæ ſint, ſi eodem die aliæ indulgentiæ concurrant: imò *Urb.* aliquando in ſuis Brevibus poſuit: ſi quocunque etiam alio die anni durarent aliæ etiam diffimiles â ſe conceſſæ, ut hæ non valerent: ſed *Gav. Lez. Gob.* dicunt nunc ſenſum eſſe, ſi eodem die aliæ indulgentiæ concurrant: Alii putant hoc jam addi tantùm ex ſtylo curiæ ſecundùm antiquas formulas reſcribendi; ſed difficultatem facit decretum ſequens.

## DECRETUM INNOC. XI.

Cùm à S. Congregatione indulgentiis ſacriſque Reliquiis præpoſita Cameracenſis Archi-Epiſcopus quæſiviſſet, quæ vis & ſententia clauſulæ (quæ hodie Brevibus indulgentiarum apponi ſolet) *Volumus autem, ut ſi aliàs Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus aliqua alia indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullæ ſint*; S. Congregatio re diligentiùs examinatâ, Clauſulam ſic explicandam cenſuit, ſi videbîtur ſanctiſſimo Domino Noſtro. Eâ minimè contineri Altaria privilegiata pro Defunctis, neque indulgentias, aut certò perſo-

narum generi conceſſas, ùt Confraternitati; Regularibus & Capitulo, aut certum pium opus in ipſa eccleſia peragentibus, ùt Litanias, aliaſve hujuſmodi preces recitantibus, ac iis, qui Chriſtianâ doctrinâ erudiuntur vel alios erudiunt, & qui ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti expoſitioni cum oratione quadraginta horarum interſunt, neque ſtationum Urbis & ſeptem Altarium Indulgentias inſtar ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Cæterùm, ſi alia Indulgentia ſive plenaria, ſive non plenaria, in perpetuum vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice, generatim Chriſti fidelibus eccleſiam vel aliquod ejus Altare ſeu Capellam viſitantibus eodem anni die vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in litteris Apoſtolicis mentio, has litteras ob adjectam clauſulam eſſe prorſus irritas ac nullas. Datum die 23. Junii 1676. De his autem factâ relatione ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum die 18. Martii 1677. ſententiam Congregationis approbavit. Affixum & publicatum &c.

Dicta tamen clauſula non obſtat, ſi petatur & detur prorogatio ante elapſum prius ſeptennium, quia intelligitur non debere eſſe alias Indulgentias, quando tempus prorogationis incipiet poſt elapſum ſeptennium,

2380 §. 4. Per Indulgentiam, quæ datur his verbis, *In forma Jubilæi*, intelligitur Indulgentia pleniſſima. Per hoc tamen non datur poteſtas eligendi Confeſſarium, qui abſolvat à reſervatis, aut diſpenſet in votis, præſertim cùm nequidem Jubilæis certa ejuſmodi poteſtas ſit alligata,

gata, sed quavis vice designari soleat, quæ & qualis sit, *Suar. Nav. Less.* in Auct. v. *Indulgentia.* casu 3. *Viva* De Jubilæo q. 1. a. 1. contra *Henriq. Rodriq. Vegam, Fill. Vasq. Escob. Boss.* qui putant per hoc concedi omnes favores Jubilæi, sed *Gob.* meritò dicit hoc non esse tutum in praxi.

§. 5. Quando conceditur Indulgentia, v.g. 1381
100. dierum, communior sententia est cum *Bellarm. Suar.* & aliis sic intelligi, quòd tum remittatur tam multùm pœnæ alioquin persolvendæ in Purgatorio, quantùm remitteretur per pœnitentiam 100. dierum persolutam secundùm rigorem Canonum, præscindendo à devotione extraordinaria & fervore charitatis. Per Carenam autem intelligitur pœnitentia 40. dierum in pane & aqua, sic enim vocatur à carentia omnium aliorum ciborum. Per quadragenam intelligitur pœnitentia 40. diebus continuis agenda in ordinario jejunio vel alia afflictione corporis. Per septenam intelligitur pœnitentia 7. annorum. Atque ex his explicatur cum *Rayn.* in Heter. tom. 15. p. 2. s. 3. pu. 5. n. 28. quomodo aliquando concedatur Indulgentia v. g. 20000. annorum, tam diu enim non durabit Purgatorium, sed sensus est remitti pœnam, quanta remitteretur, si per tot annos impleta esset pœnitentia secundùm antiquos canones: tantam autem potuerunt promereri aliqui peccatores, qui innumera mortalia commiserunt, suppositò quòd singulis v. g. 7. anni pœnitentiæ respondeant.

*Q.* 194. *Quandonam cessent Indulgentiæ.* R. §. 1382
1. Cessant imprimis per revocationem, quam probabilius est contra *Suar.* d. 57. s. 2. n. 10. debere esse exteriùs manifestatam. Revocari autem

tem possunt ab eo, qui concessit, à successore, à superiore illius : & quidem validè etiam sine causa. Attamen si fiat revocatio Romæ, priùs non habet effectum in partibus, quàm innotuerit, *Suar.* n. 9. Deinde si limitato tempore aut sub aliqua conditione fuerint concessæ, tempore elapso aut conditione deficiente cessant.

1383 §. 2. Affixæ loco vel rei desinunt, si locus vel res destruatur. Quòd si v. g. Ecclesia paulatim destruatur & reædificetur, non cessant, cùm sit eadem Ecclesia, quæ etiam non indiget novâ consecratione. Si simul destruatur & in loco reædificetur, aliqui Canonistæ, *Rhod. Burgh.* cent. 2. casu 49. *Diana* p. 11. t. 8. R. 9. putant priores indulgentias transferri in novam Ecclesiam, quia censetur moraliter eadem cum priore. E contrà *Lugo* meritò dubitat, cùm enim Ecclesia nova egeat novâ consecratione, non videtur censeri eadem cum priori. Si indulgentia fuerit Rosario vel grano applicata, & hoc perdatur, probabilius est contra *Rhod.* perdi indulgentiam, nec posse rem aliam substitui.

1384 §. 3. Quamvis causa concessæ indulgentiæ desierit, non ideo cessat indulgentia, dummodo causa à principio fuerit proportionata, nam sæpè propter causam temporalem conceditur indulgentia perpetua, *Suar.* n. 14. *Castrop.* t. 24. pu. 11.

1385 § 4. Si Crux frangatur, cui indulgentiæ erant applicatæ, *Burgh.* suprà & *Gob.* De indulg. n. 320. putant, si Crux ab aurifabro redintegretur, manere indulgentias, quia censetur eadem moraliter crux, sed probabilius videtur non manere, nam positâ fracturâ non erat ampliùs eadem moraliter crux, ergo cessârunt indulgentiæ,

gentiæ, ergo licèt crux redintegretur, non redeunt indulgentiæ, cùm nulla sit nova causa, quæ reducat. Quod valet secundùm *Pelliz.* apud *Dian.* p. 10. t. 16. R. 9. si indulgentiæ affixæ erant Cruci Caravacensi, & frangatur una pars transversa, tum enim desiit forma Crucis Caravacensis.

§. 5. Non pereunt indulgentiæ morte concedentis, quia sunt beneficium Principis, quod decet esse mansurum. Idque tenet non tantùm in Pontificiis, sed etiam in Episcopalibus & à Legato Pontificio concessis, *Suar.* n. 4. *Gonz.* ad Reg. 10. cancell. Gl. 12. Nec cessant renuntiatione, quia licèt quis possit non velle lucrari, tamen non potest à se rejicere potentiam lucrandi, quia hæc provenit à libera alterius voluntate, quâ durante manet semper in potestate ejus, cui confertur indulgentia, mutare suam voluntatem & illam lucrari, *Suar.* n. 13. 1386

*Q. 195. An indulgentiæ Regularium revocatæ à Paulo V., sint revalidatæ.* R. §. 1. Non sunt revalidatæ, nam *Alex.* VII. damnavit hanc 37. prop. *Indulgentiæ concessæ Regularibus & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.* 1387

§. 2. Cùm Regulares dicerent plurimas sibi concessas indulgentias, quarum tamen aliquæ incertæ erant, *Paulus V.* die 23. Maji 1606. revocavit omnes indulgentias usque ad illum diem concessas quibusvis Religiosis & Monialibus: docuerunt autem aliqui hanc revocationem esse sublatam ab ipsomet *Paulo* vel alio successore, sed *Alex.* declarat oppositum, adeoque omnes indulgentiæ ante Bullam *Pauli* concessæ Regularibus manent revocatæ. Si tamen concessæ fuerint omnibus fidelibus, aut 1388

paren-

parentibus vel amicis Regularium ; non sunt revocatæ, quia non fuerunt concessæ præcisè Regularibus.

1389 §. 3. Loco revocatarum dedit *Paulus V.* omnibus Regularibus, 1. plenariam in susceptione habitûs regularis. In professione. In primario festo sui Ordinis. In mortis articulo. Dum primam Missam celebrant vel ei intersunt. Facientibus exercitia spiritualia per 10. vel 8. dies. In his tamen omnibus semper simul fieri debet Confessio & Communio. 2. Indulgentias Stationum Romæ iis, qui proprium templum visitârint & ibi orârint: itemque multas alias, quæ videri possunt in Bulla *Pauli* V. *Romanus Pontifex*, quæ est 21. Et in Comp. novo privil. Societ. v. *Indulgentia*. §. 33. Item apud *Viva* in Appen-
1390 dice ad tract. De Jubilæo.

*Q. 196. An indulgentiæ vivæ vocis oraculo concessæ sint revocatæ.* R. De privilegiis vivæ vocis oraculo concessis egi l. 1. à n. 850. ubi num. 861. insinuavi etiam indulgentias videri revocatas : sed ex dictis hìc num. 526. constat valde probabile esse, non esse revocatas.

## PARAGRAPHUS II.

### *Quotuplex indulgentia, & quomodo differat à Jubilæo.*

1391 »REsp. I. Indulgentia alia est totalis sive plena, plenior, plenaria, pleniſſima, quæ non »tantùm pœnitentiam injunctam per Confes»sarium vel Canones, aut secundùm hos injun»gi debitam, sed etiam omnem Purgatorii pœnam tollit. Nec differt à Jubilæo, nisi acciden»taliter, privilegiis quibusdam, ùt quòd in Ju-

bilæo

bilæo licita sit dispensatio in certis votis, absolutio à reservatis & censuris, & quòd Confessarius quivis approbatus possit eligi. *v.* Sa V. *indulg. Bon. d. 6. q. 1. p. 2.*

II. Indulgentia alia est Partialis, qualis est unius vel aliquot annorum; item septenæ, quadragenæ, carenæ; item tertiæ partis peccatorum: per quas non significatur tolli tantam durationem Purgatorii, sed tantam pœnam remitti, quanta deleretur per jejunium unius aut aliquot annorum, aut quadraginta dierum in pane & aqua secundùm Canones olim imponi solitum. Porrò quando indulgentiis plenariis adduntur aliquot anni, vel remissio tertiæ partis peccatorum, id secundùm diversas sententias, vel ad diversos concedentes referendum est, vel facit ad cautelam, ut si fortè causa indulgentiæ non fuerit sufficiens, saltem valeat ad illos annos lucrandos; vel ut adjuncta concedatur pro alio tempore, actione & loco, vel denique, ut ea per modum suffragii possit aliis applicari. *v. Bellarm. c. 9.*

Resp. II. Circa Jubilæum notanda sequentia.

1. Anno Jubilæo in Urbe durante suspendi solent tantisper extra Urbem omnes indulgentiæ plenariæ, quoad vivos, etiam in carceribus, (non tamen in periculo mortis constitutos, ùt contra Laym. *l. 5. t. 7. c. 8.* docet Bon. *d. 6. q. 1 n. 2.* ex declaratione *Urbani* VIII. factâ anno 1625. neque quoad defunctos) itemque aliæ facultates, v. g. absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ, commutandi voti, dispensandi &c. concessæ in ordine ad lucrandas plenarias indulgentias: Non suspenduntur autem indulgentiæ personis particularibus, aut ab alio, quàm

»quàm Papa conceſſæ, nec privilegia Religio-
»ſorum, v. g. abſolvendi à reſervatis, &c. quia
»tantùm ſuſpenduntur facultates conceſſæ in
»ordine ad Indulgentias, Ita *Sanch. Henr. &c.*
»apud *Dian. tom. 1. tract. de Bulla Cruc. Fill. Bon. l. c.*
»*Benzon.* & denique *Lug. d. 20. n. 145.* ex decla-
»ratione *Urbani* VIII. anno 1625. Similiter ne-
»que ſuſpenditur facultas conceſſa Epiſcopis
»per *Trid. ſeſſ 24. c. 6.* abſolvendi & diſpenſandi
»cum ſuis ſubditis, in omnibus caſibus Sedi A-
»poſtolicæ reſervatis; item nec diſpenſandi in
»irregularitatibus, in impedimentis Matrimo-
»nii, aut petendi debitum, &c. quæ ex jure com-
»muni illis competunt, *Zerola V. Annus S. §. 4.*
»*Quint. in append. t. 8. d. 16.*

» 2. Etſi probabile ſit, quod docet *Nav.* ſæpius
»lucrifieri poſſe Indulgentias intra Jubilæum,
»extenſum ad duas ſeptimanas; contrarium ta-
»men verius eſt, quod *Congreg. Cardin.* declara-
»vit, ùt habet *Bon.* (ex *Suar. Sanch.*) *d. 6. q. 1. p. 5.*
»*n. 32.*, Qui tamen affirmat in anno ſancto poſ-
»ſe obtineri toties, quoties opera præſcripta
»præſtantur; idque ex declaratione *Urbani* VIII.

» 3. Satisfacere tunc, 1. Qui Sabbatho ante
»primam Dominicam confitetur, ùt habet *Lay.*
»*Bon.* & praxis fidelium. Item qui confitetur &
»communicat ultimâ Dominicâ, claudente Ju-
»bilæum. Cætera tamen opera debere fieri an-
»te, & quidem intra unam hebdomadam, do-
»cet *Lug. d. 27. n. 105.* contra *Bon. p. 5. 2.* Qui or-
»dinem inter opera præſcripta non ſervavit. 3.
»Si quis intra illud tempus cœperit Confeſſio-
»nem, quam materialiter imperfectam opor-
»teat differri longiùs; poteſt tunc abſolvi à re-
»ſervatis, & commutari vota: poſtea verò extra

tempus

tempus Jubilæi absolvi ab omnibus ; etiam quæ oblitus est, reservatis , ac in oblitis etiam dispensari : imò potest postea omnia facere Confessor finitâ Confessione, quæ antè , quia cœptâ causâ manet potestas delegati, donec finiatur. Ita *Sa*, *Less. l. 2. c. 40. dub. 16. Bon. Lay. Sanch. l. 4. c. 54. Dian. p. 2. t. 2. misc. R. 11.*

4. Qui neglexit lucrari Jubilæum in patria, potest alibi, dum ibi durat, lucrari, *Sanch. Ugol. Dian. p. 3. t. 4. R. 151.* Imò etiam in patria, si tempore publicationis ex invincibili ignorantia notitiam illius non habuit, *Botten. Dian. l. c.*

5. Quando duobus diebus immediatis occurrunt duo Jubilæa, quorum singula Confessionem & Communionem requirunt , non opus est bis confiteri & communicare, dummodo perseveres in gratia : alia tamen opera repetenda sunt. *Turr. p. 2. d. 32. d. 64. vid. Dian. p. 4. t. 4. R. 166.*

## ADDENDA.

Quæst. 197. *Quid præterea in genere notandum sit circa Jubilæum & Bullas , quibus conceditur.* R. seqq. §. 1. Vox *Jubilæum* non dicitur à latino *Jubilum*, sed ab hebræo *Jobel*, quod, secundùm aliquos significat quinquagesimum, secundùm alios sonitum buccinæ, quo indicebatur quinquagesimus annus, *Levit. 25. 27. Numerorum* ult. Alii cum *Bellarm.* De Indulg. l. 1. c. 1. deducunt ab hebræo *Jubal* vel *Jabal*, quod significat germinare, quia anno quinquagesimo non colebatur terra , sed vescebantur sponte germinantibus. *Belleg.* in Enchir. De Jubilæo, p. 1 s. 1. q. 1. 1392

1393 §. 2. Jubilæum est indulgentia plenaria à Papa concessa visitantibus aliquas Ecclesias ac alia certa opera facientibus, cum extraordinariis facultatibus circa absolutionem à peccatis & censuris reservatis, ac circa commutationem votorum. Et cùm tantæ gratiæ concedantur, putat *Belleg.* p. 3. s. 2. q. 10. vix abesse veniale, si quis ex remissione animi vel negligentia non conetur Jubilæum lucrari.

1394 §. 3. Jubilæum aliud est universale, quod toti Ecclesiæ; aliud particulare, quod alicui tantùm Ecclesiæ conceditur. Universale est vel ordinarium anni sancti, quod in primis sæculis omni anno centesimo celebrabatur, per *Clementem* VI. omni quinquagesimo: per *Urbanum* VI. omni trigesimo tertio: per *Paulum* II. omni vigesimo quinto. Vel est extraordinarium, quod extra annum sanctum concedi solet ex variis causis.

1395 §. 4. Bullæ Jubilæi, quâ parte continent favorem, sunt latissimè interpretandæ, quantùm patitur proprietas verborum & usus Curiæ: quâ parte continent gravamen, strictè intelliguntur. Quoad concessionem indulgentiæ, electionem Confessarii, absolutionem, commutationem operum vel votorum &c. sunt favores. Quoad obligationem ad certa opera, suspensionem indulgentiarum & facultatum, &c. sunt gravamina. *Belleg.* p. 1. s. 1. q. 6. Universim rectè dicit *Viva* de Jubil. q. 2. cum communi, non tantùm potestatem concedendi sed etiam concessionem indulgentiarum aut Jubilæi esse latè interpretandam.

1396 §. 5. Gratia Jubilæi non exspirat per mortem Papæ, qui concessit, dummodo causa perseve-

severet: quæ tamen non perseverat, si præcisè fuit, ut hic Papa obtineret gratiam bene regendi. Attamen probabile est etiam in hoc casu valituras absolutiones & commutationes votorum intra tempus, quo ignoratur mors, quia ubi est error publicus cum aliquo titulo, Ecclesia confert jurisdictionem, utì dixi l. 6. p. 1. à n. 112. Addunt *Boss. Pasq. Viva* a. 3. n. 10. quando Papa dicit, *ut impetretur gratia ad bene regendam Ecclesiam*, esse sensum, ut Ecclesia bene regatur, non, ut ipse præcisè Papa bene regat, adeoque etiam mortuo isto Papâ manebit causa finalis.

§. 6. Jubilæum extraordinarium durat per dies 15., id est, per 3. Dominicas & 12. dies feriales. Possent tamen Ordinarii inchoare quocunque die septimanæ. Et quamvis *Pax-Jord.* cum communiore dicat debere pro eodem die promulgari per talem Diœcesin, eò quòd Papa jubeat statim publicari, tamen *Pelliz.* & alii putant posse ex rationabili causa priùs in urbibus, postea in pagis, aut etiam postea pro Monialibus, ut omnes possint habere extraordinarios Confessarios. 1397

*Q. 198. Quid notandum sit circa Jubilæum anni sancti.* R. seqq. §. 1. Hoc Jubilæum Romæ conceditur, & futurum esse, promulgatur die Ascensionis Domini, incipit autem à primis Vesperis Vigiliæ nativitatis Christi usque ad sequentes primas Vesperas Vigiliæ ejusdem festi, mos enim est Ecclesiæ Romanæ annum computare à Christo nato. Solennitas additur, quòd porta aperiatur ante, sed claudatur post Vesperas. Videri potest *Viva* De Jubilæo q. 1. a. 2. ubi q. 3. a. 3. docet contra *Gob. Lug. Dian.* & 1398

alios, per Jubilæum anni S. concedi etiam alios favores, præter Indulgentias plenarias.

1399 §. 2. Ex hoc, quòd in anno sancto Papa omnes invitet Romam, non ideo licitum est omnibus ire contra voluntatem Superiorum, nec uxoribus absque consensu virorum, nec filiis sub patria potestate constitutis, multò minùs filiabus sine voluntate parentum: nec Beneficiatis obligatis ad residendum sine facultate Episcopi, *Belleg.* p. 2. f. 1. q. 4.

1400 §. 3. Ad hoc Jubilæum requiri solet Confessio, non tamen Communio, sed visitatio certarum Ecclesiarum, & quidem ab inquilinis Romanis per 30. dies continuos vel discontinuos; à peregrinis per 15., putatque *Belleg.* f. 3. q. 3. toties obtineri posse hoc Jubilæum, quoties repetuntur opera.

1401 §. 4. Durante anno S. suspenduntur indulgentiæ omnes pro vivis, etiam affixæ granis, numismatibus, quinque Ss. &c. Non tamen Laureti; & secundùm *Gob.* etiam non B. Virginis Einsidlensis. Nec Compostellæ, uti habet *Castrop.* tr. 24. p. 12. §. 1. Nec Portiunculæ Assisii: suspenditur tamen indulgentia Portiunculæ alibi per orbem, *Viva* q. 4. a. 1. Putant etiam *Sanch.* & alii cum *Viva* a. 3. non suspendi indulgentias Bullæ Cruciatæ, quia sunt per modum contractûs: Nec moribundorum, uti habent *Gav. Lez. Dian. Viva* a. 4. contra *Laym. Tann. Castrop.* & declarârunt *Urb.* VIII *Inn.* X. *Clemens* X. qui cùm dicat *Declaramus*, valet hoc etiam pro futuro tempore. Nec tantùm hoc est de articulo mortis vero, sed etiam probabili & prudenter præsumpto, licèt mors non sequatur. Putantque probabiliùs *Fill. Lez. Castrop. Dicast.*

*Quin-*

*Quintanadv. Gob. Viva* contra *Tann.* non ſuſpendi niſi plenarias, conceſſas à Papis, adeoque manere non plenarias: eſtque certum manere conceſſas ab aliis quàm à Papis, qui alii etiam durante anno S. concedere potuerunt, *Viva* a. 1. quia tantùm dicunt revocari ſuas, *Belleg.* ſ. 4. q. 2. Quamvis autem Indulgentiæ immediatè pro defunctis conceſſæ maneant, tamen conceſſæ immediatè pro vivis & applicabiles defunctis, quales ſunt agoniæ & Animarum, ſeu Communionis generalis revocantur, utì declaravit *Clemens X.* apud *Viva* q. ult. a. 2.

§. 5. Cùm prohibitum ſit durante anno ſancto, non tantùm promulgare publicè vel privatim, ſed etiam inducere fideles ad lucrandas Indulgentias ſuſpenſas, utì certum eſt apud *Belleg.* q. 7., dubitatum eſt, ſi tum in Dominica Animarum exponantur tabulæ referentes Purgatorium, quales aliàs exponuntur iſtâ die, an hoc ſit inducere ad lucrandas Indulgentias. Negârunt aliqui Doctores hìc Coloniæ, putantes tantùm eſſe ſignum, quòd optemus, ut populus iſtâ die pro Animabus oret. Nihilominus cum aliis putavi hoc eſſe inducere, nam ſicuti ad hoc, ut dicar alterum per ſcandalum inducere ad peccatum, ſufficit quòd hìc & nunc aliquid ponam, quod per ſe natum eſt inducere alterum ad peccatum, licèt peccatum non intendam, ita & hìc, nam in his circumſtantiis exponere ejuſmodi tabulam eſt ponere aliquid per ſe inductivum ad judicium, quòd obtineri poſſint Indulgentiæ, præſertim cùm multi adhuc ſint in perſuaſione, quamvis falsâ, quòd hæ Indulgentiæ, in quantùm ſunt pro defunctis, permaneant. Deinde tabulæ illæ nunquam 1402

sunt solitæ exponi, nisi ad hoc ipsum significandum, ergo sicuti qui post autumnum exponit hederam, hoc ipso inducit ad judicium novi vini venalis, ita qui hìc exponit illas tabulas: propterea anno 1700. ex voluntate Superiorum non est Coloniæ exposita ista tabula, imò nec Venerabile, quòd aliàs semper fiebat.

1403 §. 6. Facultates absolvendi &c. concessæ ad alium finem quàm lucrandi Indulgentias, non suspenduntur, uti declarârunt plures Pontifices & tradunt Auctores cum *Belleg.* q. 4. & *Viva* a. ult. quamvìs enim verba videantur derogare facultatibus ex quacunque causa concessis, tamen præsumi debet eandem semper esse mentem sequentium Pontificum, nisi constet de oppositò. Hinc non suspenduntur facultates, quas habent Episcopi & Regulares ex vi suorum Officiorum, Indultorum, privilegiorum, si enim intelligeretur, prout verba sonant, revocatio omnium facultatum absolutè, etiam revocaretur facultas absolvendi à non reservatis, quod nemo dicit: ubi è contrà si facultas absolvendi etiam à non reservatis concessa esset ratione aliquarum Indulgentiarum, hæc suspenderetur.

1404 §. 7. Hæc suspensio Indulgentiarum, & facultatum incipit à primis vesperis Nativitatis Christi & desinit cum fine vesperarum ejusdem vigiliæ: tumque reviviscunt absque nova concessione, *Castrop.* suprà. Similiter concessæ ad certos annos pergunt currere, secundùm dicta n. 1378. Si tamen Bulla haberet, uti aliquando habuit, *Usque ad nostrum & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, putant *Navar. Zerol. Rodriq. Tann. Gob.* non revalescere elapso anno S., adeoque opus esse

esse novâ concessione, sed *Castrop.* & *Quintanadv.* dub. 18. dicunt illud Papæ & Sedis apostolicæ beneplacitum non extendere se ultra annum S.

§. 8. Post absolutum Romæ annum S. solet 1405
Papa concedere Jubilæum etiam pro aliis Provinciis extra Italiam, si Episcopi vel Nuntii Apostolici requirant: & exemplaria refert *Gob.* De Jub. n. 412. Possuntque hoc in partibus iterum lucrari, qui Romæ lucrati sunt, *Belleg.* s. 5. q. 7.

Q. 199. *An per indulgentias plenarias, quæ ordinariè vel in Jubilæo conceduntur, remittantur absolutè omnes pœnæ temporales peccatis remissis debitæ.* R. Negant *Caj.* & alii, quia usus Indulgentiarum maximè introductus est propter gravissimas pœnitentias peccatis injunctas juxta canones, & loco talis pœnitentiæ implendæ conceditur Indulgentia, ergo per Indulgentias non remittuntur nisi pœnæ talibus pœnitentiis canonum respondentes. E contrà *Suar. Amicus* tom. 8. d. 20. s. 3. *Viva* q. 5. a. 1. dicunt Indulgentias etiam extendi ad alias pœnas fortè restantes, quamvis pœnitentiis injunctis non respondeant, Papa enim potest etiam has remittere, ergo quando in concessione non limitat, censendus est velle, ut remittantur, *Lugo* d. 27. à n. 8. probabiliùs distinguit, & affirmat tum remitti tantùm pœnam pœnitentiis injunctis correspondentem, quando in concessione additur, *Ex pœnitentiis injunctis*, tum enim mens Papæ videtur restringi. Si autem hoc non addatur, censet remitti omnes pœnas, cùm enim Papa non restringat, non est, cur nos restringamus. Ut tamen omnes planè pœnæ re- 1406

mittantur, necesse est, imprimis non retineri affectum ad ullum veniale, nam pœna non dimittitur, nisi dimissâ culpâ: dein de debent plenè fieri omnia opera præscripta.

1407 *Q.* 200. *Quid præterea sit notandum circa requisita pro lucrandis indulgentiis vel Jubilæo.* R. seqq. §. 1. Ad indulgentias ordinarias requiritur confessio, Communio & oratio. Ad Jubilæum præter ista requiritur jejunium, processio aut visitatio templorum & eleëmosina, de quibus omnibus postea ordine aliquid addam. Nec Ordinarii possunt plura vel alia requirere, quàm requirat Papa, *Belleg.* p. 3. s. 2. q. 10. Inchoari tamen non potest executio operum, nisi post designationem temporis ab Ordinariis locorum faciendam. *Viva* q. 8. a. 2. Et perinde est, quo ordine præstentur ea opera: possuntque præstari extra locum promulgati Jubilæi, dummodo templa designata visitentur, uti dicetur à n. 1434. Estque probabilius cum *S. Th. Suar. Fill. Boss. Viva* q. 5. a. 5. meliùs dispositum aut intensiùs præstantem opera non ideo accipere majorem fructum, hic enim non respondet dispositioni nostræ sed voluntati concedentis.

1408 §. 2. Si quid modicum negligatur ex operibus præscriptis, docent *Busenb. Dian.* p. 5. t. 5. R. 7. dari parvitatem materiæ, quæ non impediat effectum indulgentiæ: putat tamen *Belleg.* p. 1. s. 3. q. 6. si ex 5. *Pater* orandis omitteretur unum, fore partem notabilem: Idem dicit *Viva* q. 8. a. 5. si ex 30. visitationibus ecclesiarum, quæ fieri debent in anno S., omitteretur una.

1409 §. 3. Putant *Henriq. Sanctar. Sanch. Lugo, Viva* a. 2. & alii omnia opera fieri debere in una septimana, sed *Nav. Bonac. Laym. Præpos. Dian.*

*Castr op.*

*Castrop. P. March. Belleg.* p. 3 s. 3. q. 3. dicunt, quamvis jejunia omnia in una septimana fieri debeant, tamen opus non esse, ut reliqua opera, quia Romanis, inquit *Castrop.* permittitur, ut jejunent in ea hebdomada, quâ ecclesias visitant, vel in sequenti, & ut Communionem in sequentem Dominicam vel in aliquem diem ex duabus hebdomadibus differant, ergo idem possunt alii. Prior sententia meritò sequenda est, quia tutior.

§. 4. Quamvis n. 1307. dixerim ad satisfa- 1410
ciendum pro se vel alio ex opere operantis, requiri, ut opus fiat in statu gratiæ, tamen ad lucrandas indulgentias, per quas ex opere operato obtinetur remissio pœnarum, communis sententia est, sufficere, si ultimum opus, & quando hoc est aliquid successivum, si ultima ejus pars fiat in gratia, quod confirmat praxis fidelium, qui præcipua opera præmittunt confessioni, & se omnia bene egisse credunt, si postea priùs doleant de peccatis, confiteantur & communicent. Excipiunt *Bellarm.* & *Belleg.* p. 1. s. 3. q. 3. nisi opera præcipiantur ad placandum Deum, vel ad impetrandum, vim enim illam nō haberent facta in mortali: sed exceptionem rejicit *Viva* q. 6. a 2. nam etiam tum disponunt ad placandum Deum, & vim habent merendi de congruo: Addit ex S. *Th. Præp. Trull. Regin.* si pro defunctis sint indulgentiæ, non obstare, quòd in mortali fiant omnia opera, quia non his sed meritis Christi respondet ratio satisfactionis, & ita etiam Domino prodest eleëmosyna, quam dat servus peccator.

§. 5. Si opus, etiam ultimum, vitietur ex 1411
circumstantia venialiter mala, uti si ponatur

simul ex vana gloria, probabilius est adhuc obtineri Indulgentiam, quamvis enim non placeat Deo, prout fit ex malo fine, tamen est hoc, quod tanquam conditio præscribitur, & factum, quia præscribitur, sic de se bonum est ac placens Deo, *Castrop.* tr. 24. p. 9. *Belleg.* q. 4. contra *Côn.*

1412 §. 6. Si ultimum opus expletum sit in mortali, probabilius est non reviviscere Indulgentiam remoto peccato, quia licèt absolutè sic dari posset Indulgentia, de facto tamen mens Papæ non est suspendere effectum Indulgentiæ ultra opus ultimum ad Indulgentiam requisitum, *Castrop.* p. 8. *Belleg.* q. 7. *Viva* a. 3. & alii communiùs contra *Palud Silv. Henriq.*

1413 §. 7. Indulgentia obtinetur, dum completur ultimum opus, unde si hoc sit jejunium, lucrans obtinebit mediâ nocte ultimâ, etiamsi tum dormiat, *Lugo*, *Dian. Gob. Belleg.* p. 3. s. 14. q. 5.

1414 Q. 201. *Quid notandum sit circa confessionem & Communionem requisitam.* Rz. seqq. §. 1. Si pro Indulgentiis præscribatur confessio, *Busenb.* aliique multi cum *Dian.* p. 3. t. 4. R. 126. *Aversa* q. 10. s. 2. *Belleg.* p. 3. s. 7. q. 1. *Viva* q. 8. a. 3. dicunt eum, qui habet sola venialia, non teneri confiteri, quia confessio non videtur aliter requiri, quàm quia est necessaria ad effectum gratiæ recipiendæ: Deinde quia sicuti per peccatum simpliciter, intelligitur mortale, ita per confessionem peccatorum, videtur intelligi, mortalium. E contrà *Sot. Sanch. Bonac. Fagund.* aliique apud citatos authores dicunt talem adhuc teneri confiteri, quia Confessio requiritur tanquam unum ex operibus præscriptis, non aliter

aliter ac jejunium vel eleëmosyna. Utraque sententia est probabliis, sed ultima, quia tutior, meritò tenenda, etiam propter dicta n. 1324.

§. 2. Qui tenent confessionem venialium non requiri, debent consequenter dicere, si quis non sit confessus, & die ultimo etiam post Communionem, ante expletam septimanam incideret in mortale, teneri adhuc confiteri, quia jam intra tempus Jubilæi lucrandi est in mortali, & necdum confessus est. Quòd si antea confessus esset sua venialia, adhuc putant *Suar.* & *Fill.* teneri per accidens ad secundam confessionem istius mortalis, quia necdum posuit opus præceptum: sed *Vasq. Præp. Castrop. Lugo* d. 27. n. 101. *Viva* contradicunt, quia Bullæ non exigunt nisi unam confessionem. Si tamen necdum expleverit ultimum opus, secundùm omnes tenebitur elicere contritionem, ut hoc opus ponatur in statu gratiæ, secundùm dicta n. 1410. 1415

§. 3. Certum videtur ex dicendis n. 1475. contra *Dianam* R 148. pro lucrando Jubilæo non sufficere confessionem sacrilegam. An autem sufficiat pro tollenda censura & reservatione, dicetur n. 1449. & 1695. Pro Jubilæo lucrando confessio sufficit valida & informis, si dari possit, dummodo revivisat intra tempus Jubilæi, *Suar. Bonac. Fill. Belleg.* q. 1. Putat etiam *Viva* sufficere invalidam, si talis sit absque culpa pœnitentis, dummodo de suis mortalibus conteratur, sed hoc valde dubium est, cùm nequidem substantia operis requisiti ponatur. 1416

§. 4. Confessio fieri potest uno vel etiam duobus diebus ante primam Dominicâ, *Laym.* dicens non esse dubium, *Castrop. Gob.* Item fieri 1417

pot-

potest ultima Dominicâ cum Communione; utì declaravit *Greg. XIII.* Si dicatur, *ante omnia confiteatur*, tutius erit præmittere omnibus, mens tamen Papæ videtur esse, quòd confessio sit res quasi principalis, unde satìs erit confiteri intra tempus Jubilæi, *Henriq. Sa.* Si dicatur, *qui confessi visitaverint*, *Nav. Benz. Pollach.* putant præmittendam, sed alii cum *Diana* p. 5. t. 12. R. 30. meritò contradicunt, *Belleg.* q. 4.

1418 §. 5. An una confessio & Communio sufficiat pro duabus diversis indulgentiis. & quidem lucrandis diverso die, dixi à n. 1371. Quando autem Papa in anno sancto dicit, *contritis & confessis*, non requirendo Communionem, *S. Anton. Nav. Bellarm. Zech. Less. Laym. Abell. Adr. Caj. Cord.* requirunt confessionem mortalium; è contrà *Palud. Gers. Panorm. Angel. Silv.* putant sufficere vel contritionem perfectam, vel cum attritione confessionem, quod probabilissimum esse meritò dicunt *Castrop. Gob.* & alii cum *Belleg.* q. 1. quamvìs meritò suaderi debeat confessio actualis.

1419 §. 6. *Lugo, Gob.* & alii cum *Diana* p. 3. tr. 4. R. 148. putant sufficere Communionem sacrilegam, dummodo intra tempus præscriptum homo restituatur gratiæ, quia Communio sacrilega est vera & valida Communio, ergo illâ positâ habetur substantia operis præscripti. Sed oppositum est nunc tenendum cum *Belleg.* q. 1. & *Vindice Gob.* ad prop. 29. sicuti enim pro Paschate non satisfit per Communionem sacrilegam, quamvìs hæc sit vera & valida Communio, utì constat ex dictis l. 6. p. 1. n. 628., ita nec hìc, quia nempe mens Ecclesiæ & Papæ est, ut in utroque casu ponatur, non tantùm tale opus

in

in substantia, sed etiam opus vivum, operativum gratiæ Dei & veniæ de peccatis, eò quòd ad hos fines instituatur Communio Paschalis & obtentio Indulgentiæ. Hinc *Pasq.* & *Viva* putant contra *Boss.* non sufficere Communionem bonâ fide sumptam à constituto in mortali : Si tamen Eucharistia bonâ fide suscepta cum sola attritione, per accidens causet primam gratiam, quod multi docent, sufficiet talis Communio ; *Viva* a. 4.

§. 7. Notant *Henriq.* & *Laym.* apud *Belleg.* 1420
q. 6. pueros posse tantò citiùs admitti ad Communionem, ut possint lucrari Jubilæum, nam quamvis reliqua opera commutari possint, dubium est, an commutari possit Confessio & Communio, uti dicetur n. 1441. Putat tamen *Vasq.* in pueris non requiri Communionem, quia Jus illis prohibet, *quando autem conditio est de Jure impossibilis, habetur pro non apposita*, Cap. *Tua* De testamentis. Quod quamvis ùt probabile defendat *Viva*, id tamen incertum est.

*Q. 202. Quid notandum sit circa orationem re-* 1421
*quisitam.* R. seqq. §. 1. Communis sententia requirit orationem vocalem : *Nav.* tamen *Fill. Trull. Gob.* & alii cum *Viva* q. 8. a. 5. dicunt sufficere mentalem, cùm hæc propriè sit oratio : sed tutius est saltem miscere vocalem. Nec videtur sufficere oratio cum voluntariis distractionibus, quia non est devota nec apta ad impetrandum id, quod Papa intendit. Licèt dicatur orandum Deum, sufficit orare preces ad B. Virginem vel Sanctos, *Lugo* d. 27. n. 111. *Belleg.* p. 3. l. 4. q. 10.

§. 2. Si dicatur orationem fieri debere per 1422
aliquod tempus, satis est fieri per medium quadran-

drantem. Et ad ordinarias indulgentias sufficit orare septies *Pater* & *Ave*, nam *Greg* XIII. in Bulla, *Omnipotentis*, dicit Sodales lucrari Indulgentias Stationum, si certis diebus in templo Societatis JESU hoc orent.

1423 §. 3. Requiritur oratio in loco, tempore, & ex intentione per Bullam designatis. Ordinariè locus est, ubi est Indulgentia. Tempus est inter utrasque Vesperas. Intentio est pacificatio Principum Christianorum, extirpatio hæreseon, exaltatio S. Matris Ecclesiæ, de quibus expedit quandoque expressè monere pœnitentes, nam secundùm dicta n. 1324. probabile est requiri notitiam expressam talis intentionis.

1424 *Q. 203. Quid notandum sit circa jejunium & eleëmosynam requisitam.* &. seqq §. 1. Jejunium, per se loquendo, est trium dierum, Mercurii, Veneris, Sabbati, nec fieri potest extra dies præscriptos; nec dividi in duas septimanas, uti habet communis contra *Laym. Bonac.* & alios, quorum sententiam *Lugo* d. 27. n. 105. vocat falsam: Faciliùs tolerari potest, ut cum causa dies jejunii intra eandem septimanam commutetur, *Henriq Fill. Gob.* De Jubil. n. 213. *Viva* q. 8. a. ult. Modus servandi est, quem singulæ Provinciæ tenent tali tempore in aliis jejuniis, *Sanch.* in Decal. l. 4. c. 11. Non obligati jejunare, v. g. pueri, senes, infirmi, itinerantes, laborantes, jejunare debent, si lucrari velint, nisi per Confessarium commutetur. Qui per privilegium potest vesci carnibus vel facere duplicem refectionem, si utatur suo privilegio, non lucrabitur Indulgentiam, nisi hoc commutetur in aliud opus. Non impedit collatiuncula, nec potus, nec modicum sumptum per diem, *Belleg.* p. 3. s. 5. q. 1.

§. 2.

§. 2. Satisfit per jejunia aliunde debita, ex 1425
voto, pœnitentia, præcepto, nam sæpè in Quadrageſima promulgatur Jubilæum, *Lugo* n. 110. *Belleg.* p. 1. ſ. 3. q. 1. cum communi contra *Silv. Tabie. Arm. Bonac. Viva* q. 8. a. 1. *Nec obſtat*, quòd non lucrer per eleëmoſynam, quam darem pauperi, cui eam debeo, ſecundùm dicenda n. 1428. *nam* diſparitas eſt, quòd illa ſolutio debiti tollat rationem eleëmoſynæ, quæ ex natura ſua eſt donatio gratuita; è contrà jejunium exhibitum, quia votum eſt &c. non tollit rationem jejunii.

§. 3. Eleëmoſyna ſecundùm communem 1426
cum *Viva* a. 6. contra *Zanard.* debet eſſe corporalis: quo nomine etiam venit domi excipere pauperem peregrinum, Religioſum, mendicum; vel aliud opus ex 7. miſericordiæ corporalis, etiamſi Bulla diceret dandam eleëmoſynam, *S. Th.* 2. 2. q. 32. a. 2. *Gob. Arſd. Belleg.* p. 3. ſ. 6. q. 1.

§. 4. Si Bulla nihil determinet, ſufficere elëe- 1427
moſynam quantumcunque parvam etiam pro quovis divite docent *Rodriq. Dian. Leo, Fauſtus* & alii: *Nav. Cord. Regin. Alloza* probabiliter volunt dandam proportionatè ad perſonæ facultates. Licèt Bullæ nunc dicant, *prout unicuique devotio vel charitas ſuggeſſerit*, tamen *Zech. Pourré* & alii adhuc dicunt ſufficere quantumcunque parvam, ſed alii meliùs dicunt ſimul habendam eſſe rationem dictaminis interni ſuadentis plùs vel minùs. Et quia L. *Si oleum*. ff. De dolo, dicitur minima non eſſe in conſideratione, rectè dicit *Viva* q. 8. a. 6., quando aliquid committitur arbitrio operantis, non ſufficere quidvis minimum, ſed metiendum ſecundùm regulas pru-



den-

dentiæ. Si tamen diceretur, *juxta cujusque facultatem*, dives deberet dare eleëmosynam majorem quàm alius, *Bonac. Gob. Busenb. Belleg.* q. 2.

1428 §. 5. Satis est dare semel eleëmosynam, licèt Bulla diceret, *eleëmosynis*, *Fill. Gob.* Etiam perinde est, quo die, an ante, an post Communionem, *Graff. Henriq. Leo, Dian. Gob.* Nec obstat esse debitam ex voto vel pœnitentia, *quia* non ideo desinit esse eleëmosyna, *Bossius*, *Lugo* contra *Viva*, a. 1. Sed non debet esse debita ex justitia, nequidem Legali, qualis debetur Parentibus, Avis, Fratribus, quia tum est potiùs solutio debiti, & habentes tale jus non sunt pauperes: attamen respectu aliorum consanguineorum indigentium esset eleëmosyna. Est etiam satis dare per alium rem meam: si tamen hic non daret, secundùm *Bonac. Lug. Homob. Busenb. Gob. Viva* a. 6. non lucrarer, quia non est data eleëmosyna, cùm non sit sublevatus pauper; secundùm *Sa, Lez. Dicast. Alloza* lucrarer, quia quantùm est in me, data est. Quòd si mittatur ad pauperem absentem, ad quem non perveniat intra duas septimanas Jubilæi, non lucror, nisi aliquis nomine pauperis acceptâsset, *Lugo* & alii. Si autem, qui accepit, non fuerit reipsa pauper, lucror, ad eleëmosynam enim sufficit dari ad sublevandam miseriam hominis, qui prudenter judicatur pauper, *Lugo, Maillard*, Rhod. *Viva*. Censetur etiam dare, qui pro se datam ab alio habet ratam intra tempus Jubilæi, *Cord. Sa, Lugo, Boss. Suar. Gob.* qui putat sufficere ratihabitionem generalem & habitualem lucrandi Jubilæum & se juvandi per opera utilia à se vel alio ponenda, sed probabiliùs contradicunt *Lugo* & *Maillard*, dicentes etiam apud Religiosos debere

bere eos præmonere, quando Superior ex communibus bonis dat pro eis, cùm eleëmosyna debeat esse actio moralis, adeoque procedere ex cognitione & volitione, *Belleg.* q. 3.

§. 6. Per pauperes intelliguntur etiam non habentes necessaria ad statum juxta qualitatem & conditionem, *Nav. Sanch. Lug. Dian.* & alii: item loca pia, hospitalia, Ecclesiæ indigentes luminaribus, ornamentis, ædificiis; Monasteria Religiosorum, *Belleg.* q. 4. 1429

§. 7. Omnes debent dare, qui possunt: si autem quis non possit, *Nav. Henriq. Fernand. Dian. Gob. Arsd.* putant non esse opus commutari, dummodo dent parvam v. g. pomum vel frustillum panis, sed consultius est commutari, *Viva.* Potest Religiosus cum venia Superioris dare eleëmosynam per amicum sæcularem, *Lugo.* Franciscani habentes tantùm usum, dant eleëmosynam, si hoc usu se abdicent, sic enim in pauperem transit dominium, *Lugo*, *Belleg.* q. 5. 1430

*Q. 204. Quid notandum sit circa Processionem & visitationem templorum, requisitam ad Jubilæum.* R. seqq. §. 1. Sufficit vel Processioni interesse vel templa visitare: ille autem non diceretur interesse Processioni, qui per aliquot horas antecederet aut sequeretur, sed incedere debet junctus corpori procedentium, quod censebitur fieri, etiamsi distet uno quadrante, si alii & alii interjecti etiam præcedant aut sequantur, *Belleg.* p. 3. f. 4. q. 2. & seqq. Multa de sanctitate & utilitate Processionum; & quæ in eis cavenda sint, videri possunt apud *Rayn.* in Heter. tom. 15. p. 1. f. 1. pu. 8. 1431

§. 2. Visitatio templorum fieri potest etiam 1432

curru vel equo: item ab iis, qui in templo habitant. Additur fieri debere *devotè*, quod fit etiam à constituto in mortali, item ab immodesto & peccante per viam, si modestè ingrediatur & oret, *Belleg.* q. 6. *Viva* q. 8. a. 5. Non autem necessariò fit visitatio omnium templorum unâ die: & qui Missam audit in templo, hoc ipso visitat, *Belleg.* p. 2. s. 5. q. 5.

1433 §. 3. Si præscribatur tantùm visitatio templi, & illud ingredi non possis, satisfacit orando ad ostium, etiam clausum, *Suar. Lugo* & alii cum *Diana* p. 1. t. 11. R. 103. Imò si per concursum nequidem ad ostium liceret pertingere, putant aliqui satis esse orare in cœmeterio, quia hoc in favorabilibus venit nomine templi: si tamen præscriberetur orare in certa Capella vel ad certum Altare templi, oporteret ingredi. Si præscriberetur in eodem templo visitari pluria Altaria, satis esset ex eodem loco se convertere ad singula. Si ibi non essent tot Altaria, quot visitari præscribitur, satis esset tot inclinationes & orationes repeti ad illa, quæ ibi sunt, quot Altaria debebant visitari, *Belleg.* p. 3. s. 4. q. 9.

1434 *Q. 205. Quid notandum sit circa itinerantes, peregrinos, impeditos.* R. seqq. §. 1. Si Titius Coloniæ post promulgationem Jubilæi visitavit templa, potest ire Treviros, & ibi vel in via explere cætera opera, Bullæ enim non requirunt, ut reliqua opera fiant in loco domicilii vel promulgationis, sed in quocunque, *Laym. Bonac. Castrop.* tr. 24. p. 12. §. 3. *Lugo* d. 27. à nu. 124. *Belleg.* p. 3. s. 3. q. 6. Quòd si abiens non pergat explere opera, poterit reversus, etiam post elapsum tempus Jubilæi lucrari, Papa enim navigantibus

bus & iter agentibus concedit, ut reversi habeant alios 15. dies, in quibus opera omnia faciant & lucrentur. Quod tenet, quamvis priùs in fine ultimæ septimanæ iter incepissent, *Lugo*, *Belleg.* s. 2. q. 4.

§. 2. Si Titius Coloniæ post promulgationem non visitâsset templa, sed tantùm feciſſet reliqua opera, non posset Treviris, ubi etiam ipso præsente promulgaretur Jubilæum, lucrari, nisi hìc repeteret prædicta opera, quia opera Coloniæ facta, antequam Treviris acquisivisset jus ad Jubilæum, haberent se impertinenter ad Jubilæum Treviris obtinendum; visitationes autem templorum Trevirensium non possent ei servire ad Jubilæum Colonienſe obtinendum, ergo vel Treviris debet ea opera repetere, vel facere commutari, *Lugo* num. 127. *Belleg.* s. 3. q. 7. 1435

§. 3. Si quis ultimo die veniat ad locum Jubilæi, potest petere, ut opera, quæ facere non potest, sibi commutentur, nam secundùm dicta veniens ad locum acquirit jus, *Lugo* n. 125. Et quamvis Bulla haberet, *pro omnibus Christi fidelibus Civitatis & Diœcesis A.*, tamen lucrari possent etiam peregrini alterius Diœcesis, quia Jubilæum illud non est merè personale, sed etiam locale, & talis peregrinus censetur pro tunc pertinere ad locum A., cùm sit fidelis ibi existens, qui potest se hujus legibus subjicere, *Belleg.* p. 2. s. 5. q. 5. 1436

§. 4. Cum detentis carcere, captivitate, infirmitate vel alio justo impedimento; item cum illis, qui tempus promulgati Jubilæi invincibiliter ignorârunt, potest Confessarius commu- 1437

tare, vel in aliud proximum tempus prorogare, uti jam dicetur.

1438 *Q. 206. Quid præterea notandum sit circa commutationem operum & prorogationem temporis.* R. seqq. §. 1. Lucraturus ipse non potest, nequidem in melius, commutare opera, vel prorogare tempus lucrandi Jubilæi, sed hoc committitur soli Confessario.

1439 §. 2. Putant *Sanch. Lugo, Busenb.* & alii plurimi cum *Belleg.* p. 3. s. 8. q. 5. commutationem operum vel prorogationem temporis fieri posse extra Confessionem, dummodo intra tempus Jubilæi, etiam à quovis legitimè approbato, cui posses confiteri, quamvis ei confiteri non cogites, & addunt id declaratum esse à *Greg.* XIII. sed aliqui dubitant, quia per Confessarium putant intelligi Confessarium lucraturi Indulgentias, cui autem confiteri non cogitas, non potest dici tuus Confessarius: prior tamen sententia, quia ita communis est, videtur tuta.

1440 §. 3. Putant *Fill. Lugo, Viva* q. 8. a. ult. & alii, quos referunt *Diana* p. 5. t. 12. R. 26. & *Belleg.* q. 7., quamvis aliquis sponte opera præscripta neglexisset, si die ultimâ dolens de hoc optet lucrari Jubilæum, posse ei commutari opera vel prorogari tempus, sed *Præpos.* & *Arr.* probabiliter contradicunt, quia voluntariè negligens non dicitur impeditus, Cap. *Commisso.* & Cap. *Si quis.* De electione in 6., Bullæ autem loqui solent de legitimè impeditis & illis, qui ex ignorantia vel bonâ fide opera eousque omisissent. Et quidem putant *Diana, Cotton. Alloza, Busenb. Arsdek.* eum, qui invincibiliter ignoravit tempus promulgati Jubilæi, posse

gaude-

gaudere prorogatione ad alios 15. dies, sed *Lugo* d. 27. n. 119 contradicit, quia solis navigantibus & iter agentibus conceditur illa prorogatio : pro aliis tantùm datur Confessario facultas commutandi opera, *Belleg.* s. 2. q. 3.

§. 4. Secundùm antiquas Bullas poterant 1441
omnia opera commutari cum habentibus impedimentum, sed quoad confessionem & Communionem, oppositum nunc tenet *Lugo* n. 118., quia Bullæ nunc pro Impeditis concedunt communicationem vel prorogationem tantùm horum operum, scilicet jejunii, eleëmosynæ, visitationum templi & orationis, nullâ factâ mentione confessionis vel Communionis : sed cùm multi cum *Diana* & *Belleg.* s. 8. q. 2. adhuc dicant posse commutari etiam confessionem & Communionem, hoc videtur probabile. Et quoad Communionem, posse eam commutari cum pueris, docent *Vega*, *Sanctar. Hurt. Boss.* apud *Viva* q. 8. a. 4. Spectanda tamen sunt verba singularum Bullarum, & de eis judicandum secundùm dicta n. 1395

§. 5. Si pœnitens reliquis peractis ultimâ die 1442
confiteatur & videatur esse in occasione proxima relabendi, probabile est Confessarium posse differre confessionem & Communionem, ac pœnitentem postea posse lucrari Jubilæum : idem est, si jam non possit integrè fieri confessio, quia meritò præsumitur de voluntate Papæ, quòd permittat differri, *Boss. Dian. Lug. Sanch. Gob. Belleg.* q. 7.

§. 6. Si causa commutandi fuit reipsa insuf- 1443
ficiens, sed bonâ fide judicata est sufficiens, nihil impedit, quia commutatio remittitur judicio Confessarii : Putat tamen *Viva* q. 8. a. ult.

causam commutandi, v.g. jejunium, debere esse majorem, quàm quæ sufficit in dispensando die aliàs præcepto. Nec tanta requiritur ad proroganda opera, quanta ad commutanda, *Fill. Gob. Belleg.* q. 3. Quamvis autem possent opera prorogari ad sequens tempus post Jubilæum, tamen videtur melius subrogare alia, quæ statim perficiantur, *Belleg.* q. 6.

1444 §. 7. Commutatio fieri potest in opera pietatis, æqualia moraliter, etiam aliunde debita, secundùm dicta n. 1425. & 1428. Et æqualitas spectanda est, non tam attendendo ad præstantiam vel pœnalitatem operis, quàm ad mentem & finem Papæ. Bullæ etiam notant attendendum esse ad conditionem pœnitentis, ut nempe fiat in opera, quæ præstare possit, hinc mutari potest jejunium in eleëmosynam. Aliqui dicunt posse in aliquantò minus, cùm vocent dispensationem. Opus, in quod fit commutatio, non necessariò fieri debet eo die, quo debebat fieri opus alterum, hinc die ultimo commutari possunt opera, quæ prioribus erant facienda, *Lugo, Gob. Belleg.* q. 4.

1445 Q. 207. *Si quis ponat hoc, quod opinio probabilis dicit sufficere, & Papa fortè plus requirat, an obtineatur Indulgentia vel Jubilæum.* R. §. 1. Affirmant probabiliter *Amicus* tom. 8. d. 21. à n. 47. & *Viva* q. 3. ac probabile fatetur *Diana* p. 10. & 11. R. 34. quia si erretur, putant Ecclesiam supplere, uti l. 6. p. 1. à n. 117. dixi Ecclesiam supplere, ubi potest, si quis secundùm opinionem communiter receptam aliquid omittat etiam circa administrationem Sacramentorum: sed probabiliùs contradicunt *Bossius, Bonac.* d. 6. q. 1. p. 5. *Diana* p. 5. t. 12. R. 32. *Gob.* in Quin. t. 4. num.

710.

710. *Belleg.* p. 1. s. 1. q. 9., quia licèt Ecclesia suppleat, quando agitur de bono communi, non tamen si de bono tantùm particularis personæ. *Nec obstat*, quòd *Gob.* num. 712. referat *Urbanum* VIII. dixisse Indulgentias valere illo modo, quo prudentes, pii doctique Theologi existimant valere, *nam* imprimis id valere potuit tantùm pro temporibus *Urbani*: Deinde hoc intelligit *Gob.* de judicio vel communi vel plerorumque vel saltem notabiliter plurium Theologorum. Quoad favores tamen annexos Jubilæo, hi acquiruntur sequendo sententiam probabilem, v. g. si dividas opera in duas septimanas, quamvis sententia dicens id fieri posse, non esset vera, tamen sic lucrando Jubilæum acquiris jus, ut absolvaris à censuris, quia quando ob rationem gravem probabile est Sacerdoti competere potestatem absolvendi, validè absolvit, utì habet communis cum *Belleg.* & *Viva* a. 2.

1446 §. 2. Si quis falsò sed invincibiliter putet se legitimè esse confessum, secundùm *Nav. Zech. Lorich. Benzon.* lucratur; utì & ille, secundùm *Nav. Henriq. Rodriq. Fernand. Pourrè, Gob. Belleg.* p. 3. s. 7. q. 1. qui non potuit confiteri, vel bonâ fide putavit non requiri confessionem, vel per improbitatem aut errorem Confessarii non est legitimè absolutus, quia *cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset*; Reg. 66. Juris in 6. Sed probabiliùs contradicit *Viva* q. 6. a. 2. nam si conditio respiciat nudum factum ejus, qui debet illam ponere, Regula ista tum tenet, utì constat ex L. *Legatum.* Cod. De condit. infer.

E contrà non tenet, si respiciat etiam ipsum eventum conditionis, uti hìc fit.

1447 Q. 208 *Quid præterea notandum sit circa facultates, quæ in Jubilæo conceduntur, absolvendi à reservatis vel censuris, &.* seqq. §. 1. Hæ facultates conceduntur in favorem eorum, qui seriò intendunt lucrari Jubilæum: hinc dari potest absolutio talis, antequam pœnitens aliquid ex præscriptis operibus faciat, dummodo habeat verum propositum illa exequendi, & adsit promulgatio Jubilæi, quamvis sit prima dies, *Belleg.* p. 3. s. 10. q. 3.

1448 §. 2. Si sic absolutus postea non lucretur Iubilæum, etiam ex pigritia, non ideo reincidit in reservationem vel censuram, quia absolutè est absolutus, *Nav. Henriq. Vasq. Laym. Platel. Belleg.* q. 4. *Viva* q. 11. a. 5. contra *Ugol.* Et putant *Henriq. Sanch. Bonac. Lug. Portel. Castrop. Belleg.* q. 5. talem, qui postea negligit lucrari, non peccare, saltem mortaliter: E contrà *Suar. Vasq. Fill. Aversa* q. 17. s. 8. *Viva* dicunt ideo peccare mortaliter, quia non satisfacit tacitæ promissioni in re gravi.

1449 §. 3. Qui lucrari voluit & absolutus est, quamvis lucratus non sit, potest postea à non habente potestatem in reservata absolvi à reservatis oblitis vel ex causa omissis, quia prior Confessarius volens facere quidquid potuit, absolutè sustulit reservationem, *Sanch. Fill. Portel, Diana, Pelliz. Viva* q. 11. a. 4. *Castrop. Dicast.* d. 11. n. 163. *Belleg.* q. 6. & alii, quos referam n. 1695. Quòd si confessio fuerit invalida per culpam, quamvis *Caj. Zech. Henriq.* & alii dicant adhuc fore sublatam reservationem, quod probabile censent *Bonac.* & *Diana* p. 3. t. 4. R.

150.

150. item Lugo, *Dicast. Gob. Viva* a. ult. si pœnitens non adverterit defectum, quia Confessarius voluit facere, quantùm potuit, reservatio autem potest tolli non sublatis peccatis, oppositum tamen est probabilius cum *Rodriq. Sanch. Regin. Castrop. Tamb. Belleg. Aversa* §. *At verò*, quia ut ille, qui habet mortale, lucretur Jubilæum, & consequenter ut acquirat jus absolutionis à reservatis, requiritur confessio valida, secundùm dicenda n. 1475.

§. 4. Qui primâ septimanâ lucratus est Jubilæum, si secundâ in reservatum vel censuram incidat, potest ab his absolvi, saltem si præscripta opera repetat. *Nav. Henriq. Rodriq. Regin. Leon. Dian. Gob.* apud *Belleg.* q. 2. & cum *Viva* q. 11. a. 3. Quod etiam tenent *Castrop.* & *Dicast.* à n. 255., quamvis dicant eundem non posse bis lucrari Jubilæum: imò posse absolvi, quamvis non repetat opera præscripta, docent *Rodriq. Sa, Diana, Lohmer*, quod probabile esse dicunt *Graff Bonac. Castrop. Dicast.* Hinc dicit *Sanch.* multò magis posse absolvi sæpius intra tempus septimanæ, quâ peragit opera. Quæ tenent, etiamsi primis diebus septimanæ absolvisset omnia opera, quia pro favoribus assignatur tota septimana, *Castrop. Lugo*, & probabile dicit *Dicast.* Verba autem illa, *Pro hac vice tantùm*, non videntur referri ad actum absolvendi sed ad tempus Jubilæi, *Viva* n. 2. 1450

§. 5. Etiamsi fortè non exprimatur, tamen datur facultas absolvendi à reservatis ab Episcopo, *Suar. Vasq. Laym. Henriq. Regin.* & alii communissimè cum *Diana* p. 3. t. 4 R. 149. & *Viva* a. 2. contra *Vegam*, *Rodriq. Bonac.* & alios. Item ab hæresi, nisi expressè excipiatur, uti de- 1451

claratum esse testatur *Filliuc.* Quamvis autem exciperetur hæresis, non ideo exciperetur favor, receptatio, defensio hæreticorum; neque lectio, impressio, retentio librorum hæreticorum, nec blasphemia hæreticalis, si hæc non sint conjuncta cum hæresi formali, *Sanch. Henriq. Suar. Dian. Lug. Gob. Belleg.* q. 1. *Viva* a. 1. Etiam absolvi potest, qui spe Jubilæi committit reservatum, quia hoc peccatum specialiter non reservatur, *Nav. Suar. Henriq. Fill. Boss. Viva* a. 3. n. 1. *Nec obstat*, quòd Cap. *Quando*. De Consecr. Dist. 4 dicatur peccantem spe veniæ debere subesse pœnæ, *nam Gloss.* explicat, *multoties peccantem*: Et tantùm significatur, quod dignus esset non obtinere veniam.

1452 §. 6. Quamvis reservatio possit extra confessionem sacramentalem tolli ab illo, qui habet potestatem ordinariam absolvendi à tali peccato reservato, tamen fieri debet in confessione ab illo, qui habet delegatam tantùm potestatem, qualem habent Confessarii in Jubilæo, delegatur enim illis, ut auditâ confessione absolvant à reservatis, *Suar. Vasq. Less. Lug. Bordon. Gob. Belleg.* q. 8.: oppositum tamen videntur dicere alii citandi n. 1695. Et absolutionem à censuris ex causa dari posse extra confessionem, docent multi apud *Belleg.* s. 11. q. 1. de quo dicetur in l. 7. c. 1. ad dub. 6.

1453 §. 7. Per *Satisfactionem* partis, quæ si fieri possit, ad valorem præmitti debet absolutioni à censura, intelligitur restitutio debita honoris, famæ, bonorum &c. ob quorum læsionem lata erat censura. Per *partem* intelligitur læsus: hinc potest dari absolutio, antequam jura solvantur Judici, Tabellioni, Fisco &c. *Suar. Dian.*

*Tamb.*

*Tamb. Belleg.* s. 11. q. 4 Item si absolvendus ita rem disposuerit, ut intallibiliter secutura sit satisfactio, uti si det Confessario, vel apud alium deponat, quod restituere debet, aut à parte læsa dilationem obtineat, tum enim moraliter habetur satisfactio, *Henriq. Sanch. Viva* q. 10. a. 2.

§. 8. Si pœnitens nequeat satisfacere parti, 1454
potest absolvi, *Barb. Vasq. Côn. Vega, Dian. Viva*, sic enim etiam absolvitur non potens restituere. Debet tamen præstare cautionem vel pignoratitiam vel fidejussoriam vel saltem juratoriam pro rei qualitate, *Suar. Dian. Gob.* Et sufficere pro foro interno firmum propositum, docent *Nav. Henriq. Valer. Dian. Nald.* probans ex Rituali Romano *Pauli V.* Consentiunt *Laym. Viva* & *Tamb.* dicens, si impotentia semper futura est, non esse opus quicquam requirere à pœnitente, *Belleg.* q. 5.

§. 9. Si pœnitens absolutus non stet jura- 1455
mento vel promisso, non reincidit, quia absolutè est absolutus, *Sa, Boss. Pasq. Gob. Viva* contra *Nav. Rodriq. Vegam.* Putant tamen *Laym Dian. Tamb. Belleg.* q. 6. per hoc peccare graviter. Similiter si Confessarius ante absolutionem non exigat satisfactionem, peccat graviter: si tamen pœnitens bonâ fide accedens, sit absolutus, quamvis Confessarius nil exegerit, est validè absolutus, *Belleg.* q. 7. Si inculpabiliter oblitus est satisfacere, transacto Jubilæo manet absolutus, sed cum onere satisfaciendi, *Boss. Viva* q. 11. a. ult. n. 5.

§. 10. Qui percussit Monachum eique satis- 1456
fecit, quamvis non satisfecerit Abbati vel Monasterio, secundùm *Dian. Avil. Leand. Tamb. Viva* q. 10. a. 2. potest absolvi, quia satisfecit

par-

*parti*, ideſt, læſo: ſed contradicunt *Bonac.* & alii, pro quibus teſte *Fill.* eſt praxis S. Pœnitentiariæ, quæ tenenda eſt, ſi injuria facta Monacho redundârit in communitatem, tum enim pars læſa non eſt ſolus Monachus ſed etiam communitas, *Belleg.* q. 7.

1457 §. 11. In Jubilæo poſſunt pro foro interno abſolvi excommunicati, etiam vitandi, & publici percuſſores Clerici, quamvis res etiam deducta ſit ad forum contentioſum & necdum finita, quia verba abſoluta eos comprehendunt, *Henriq. Sa, Sayr. Sanch. Lez. Dian. Gob. Belleg.* q. 9. *Viva* q. 10. a. 2. & q. 11. a. 1. contra *Vaſq. Avil. Côn.* Talis tamen abſolutio non impedit, quominus Judex poſſit cognoſcere cauſam & imponere pœnam, *Belleg.* q. 10. Quòd ſi excommunicatio fuerit occulta, poterit abſolutus ſe in omnibus habere velut non excommunicatum & capax eſſe Beneficii &c. hoc enim nulli præjudicat nec affert ſcandalum, *Suar.* contra *Paſq.* Si autem publicetur, atteſtatio Confeſſarii ſufficiet ad abſolutionem probandam, quia in iis, quæ nemini nocent & alteri proſunt, ſufficit unus teſtis, ex Cap. *Parvulis.* De Conſecr. Diſt. 4. *Suar. Peyr. Boſſ. Paſq. Viva* a. 3. contra *Avil.* & alios: atque ita talis abſolutio, ſaltem ex benigna admiſſione Judicis, proderit etiam pro foro externo, dummodo in Bulla non ſit additum, quòd prodeſſe poſſit *ſolùm* pro foro interno, *Suar. Fill. Gob. Viva.*

1458 §. 12. Quid intelligatur per facultatem abſolvendi *ab omnibus peccatis & cenſuris*, dicetur n. 1616. & 1630. Et à n. 1613. agetur de facultate abſolvendi ab hæreſi. Docent autem plures, quòd *Diana* putat probabile, per verba illa, *ab omni-*

*omnibus censuris*, dari facultatem absolvendi etiam ab irregularitate ex delicto, quia videtur esse censura, sed contrarium tenendum est cum *Aversa* q. 17. s. 7. quia nulla irregularitas est censura, nec absolutio ejus est necessaria ad absolutionem à peccatis, ob quam datur facultas absolvendi à censuris. Et præterea in Bullis Jubilæi ordinariè exprimitur non esse facultatem dispensandi super ulla irregularitate, *Belleg.* q. 11. *Viva* q. 10. a. 1.

*Q. 209. Quid præterea addendum sit circa commutationem votorum.* R. seqq. §. 1. Possunt ordinariè commutari omnia vota (exceptis Castitatis & Religionis) non tamen dispensari. Nec obstat, quòd vota sint jurata, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 355. quod præter ibi citatos docent etiam *Suar. Meroll.* quamvis contradicant *Nav. Az. Less. Viva* q. 2. a. ult. n. 4. Et multa circa commutationem votorum videri debent l. 3. p. 1. à n. 507. An autem commutari possint vota in favorem tertii facta, dixi ibidem à n. 532. Possunt tamen commutari vota non vovendi vel non petendi commutationem aut dispensationem, cùm non excipiantur, *Suar. Sanch. Pelliz. Viva* q. 12. a. 1. Quandonam autem valeant ista vota, dixi l. 3. p. 1. à n. 417. Putârunt etiam *Valent. Boss. Sayr.* unum votum reservatum posse commutari in aliud melius, etiam propriâ auctoritate, quod probabile dicit *Viva*, sed oppositum tenui l. 3. p. 1. n. 511. cum *Suar. Bonac. Sanch. Illf.*, quia hoc saltem reservatur judicio Confessarii. Hoc certum est ex Cap. *Scriptura*. De voto, omnia vota etiam reservata commutari posse in professionem solennem Religionis: quomodo autem circumstantiæ voti reservati 1459

vati commutari possint, dixi l. 3. p. 1. n. 550. Addit *Viva* q. 2. a. ult. cum *Nav. Az. Val. Sanch.* concessâ facultate dispensandi in votis & juramentis, non ideo concedi ad commutandum, quia putant Regulam, *cui licet, quod est plus, licet, quod est minus*, tantùm tenere, si minus in majore contineatur tanquam pars in toto, vel tanquam species in genere, quod hìc non videtur esse: Sed oppositum tenet communis cum *Suar. Sa, Less. Laym. Regin. Bonac. Busenb.* quem retuli l. 3. p. 1. n. 506., quia potentia commutandi est veluti pars potentiæ dispensandi, nam dispensare est manente lege pro aliis, pro hoc simpliciter tollere obligationem, quod fieri potest vel nihil vel aliquid substituendo, & tum erit commutatio.

1460 §. 2. Hæc commutatio fieri potest extra confessionem, etiam ab eo, cui non cogitas confiteri, uti dictum est l. 3. p. 1. n. 507. & conformiter ad dicta hìc n. 1439. Item fieri potest ante omnia opera, dummodo habeas animum exequendi, secundùm dicta n. 1447. Quòd si mutet animum vel negligat, tenet commutatio, *Suar. Sanch. Portel. Viva* q. 12. a ult. & alii. Putantque *Sanch. Henriq. Diana* & alii non ideo peccare mortaliter, sed in hoc contradicunt *Suar. Portel* & alii ob rationem datam n. 1448.

1461 §. 3. Commutatio fieri potest sæpiùs, etiam novorum votorum, quæ faceres durante Jubilæo, *Henriq. Sanch. Port. Trull. Belleg.* p. 3. s. 12. q. 5. Debetque fieri absolutè, secundùm dicta l. 3. p. 1. n. 530. quamvìs enim non peccaret commutans sub conditione, *si exequaris opera præscripta*, tamen cùm Papa non restringat ad illam conditionem, nec nos restringamus, sed potiùs diffe-

differamus commutationem, notatque rectè *Gob.* non debere fieri sub conditione, *si lucretur Jubilæum*, quis enim sciet se lucratum?

§. 4. Quandonam vota Castitatis & Religio- 1462
nis sint reservata, dixi l. 3. p. 1. à n. 544. 556. 565. An autem juramentum Castitatis vel Religionis commutari possit, dixi ibidem n. 555. Hìc adde votum Castitatis vel Religionis emissum ab impubere commutari posse, quia præsumitur adfuisse imperfecta deliberatio & promissio: & ideo etiam Cap. *Atteſtationi.* De desponſ. impub. eligere non possunt Matrimonium sive statum ex natura sua perpetuum, *Viva* q. 12. a. 2. Similiter dixi l. 3. p. 1. n. 549. si voveris Castitatem vel Religionem sub obligatione tantùm levi, non esse reservatum, quia reservatio supponit aliquid grave. Addit *Viva*, in dubio, an intendens te obligare graviter, quamvìs hæc intentio præsumatur, non esse reservatum, quia cùm reservatio sit odiosa, restringi debet ad vota certò gravia: Addit, non esse reservatum, si quis voverit Castitatem, & dubitet, an perpetuam, sed videnda dicta l. 3. p. 1. n. 391. Præterea hìc notandum est, quod insinuavi ibidem à n. 545. vota conditionalia non reservari, si ad vovendum moverit potiùs necessitas vel indigentia aliqua quàm bonitas materiæ, quæ vovetur: hinc à contrario, si voveris ingredi Religionem, *si Pater tuus consenserit, si fueris 20. annorum* &c. sunt vota reservata, & hoc est communiter, dum Tò, *si*, idem significat quod, *quando*, quia tum principaliter movet bonitas materiæ, quæ absolutè vovetur sub tali medio illam adimplendi, *Viva* suprà.

§. 5. Si quis non sit reipsa lucratus Jubi- 1463
læum,

læum, quamvis lucrari voluerit, vota ejus Jubilæo transacto commutari non possunt, quia nec ablata sunt, nec jus auferendi est acquisitum, *Sanch. Portel. Belleg.* f. 10. q. 6. Imò putat *Beja* p. 2. cas. 9. quamvis lucratus esset Jubilæum, non ideo posse vota postea commutari, quia Papa non videtur hanc potestatem commutandi extendere ultra tempus Jubilæi : oppositum tamen tenent alii communiter, uti dicetur n. 1473. Videtur autem absolutè tenendum contra aliquos apud *Viva* a. ult. neminem in Jubilæo posse sibi ipsi commutare vota, quia quamvis quis possit aliquando in seipsum exercere jurisdictionem voluntariam, tamen hìc committitur Confessario, qualis nemo esse potest respectu suî.

1464 Q. 210. *Quid addendum sit circa potestatem eligendi quemcunque Confessarium.* R. seqq. §. 1. Vi Iubilæi potest quilibet, etiam Regularis ex quovis Ordine, etiam Monialis, sine licentia sui Superioris sibi eligere Confessarium, quem vult; *Nav. Suar. Fill.* dicens esse declaratum à S. Congregatione, *Boßius, Dian. Bordon. Lugo, Gob.* dicens esse rescriptum Româ, ut stetur verbis Bullæ, *Belleg.* p. 3. f. 9. q. 1. Unde quamvis in novo *Compendio* privil. v. *Absolutio* §. 15. dicatur per privilegium *Gregorii* XIII. non posse etiam tempore Iubilæi à Religioso Societatis JESU sine consensu Superiorum eligi extraneum Confessarium, tamen hoc intelligitur, nisi sequens aliquis Pontifex id permittat : an autem aliquis permittat necne, spectanda sunt verba in singulis Jubilæis, quivis enim Papa habet potestatem, qualem habuerunt Antecessores sui, & potest eorum privilegiis derogare, nec tenetur

servare

servare certam formulam derogandi ; dummodo sufficienter manifestet voluntatem suam, dicendo se derogare illis, etiamsi de illorum tenoribus specialis, expressa &c. mentio aut alia exquisita forma servanda esset : per talia enim verba derogari ejusmodi antecedenti privilegio, præsertim si posterius scriptum datum sit motu proprio, docent expressè *Sanch.* in Consil. l. 6. c. 9. dub. 8. *Barbosa* De clausulis, clausulâ 43. n. 17. & 18. *Gonz.* ad Reg. 8. Cancell. gl. 36. à n. 13. *Illsf.* tr. 1. d. 3. n. 58. aliique plurimi apud ipsos. Attamen non affirmo positivè, quòd ullus Pontifex hactenus derogârit isti nostro privilegio ; hoc tantùm dico, quòd derogare possit : & addo, contra concessionem Jubilæi pro unica vice non esse tales rationes vel declarationes Pontificum, quales *Lugo* d. 20. s. 9. affert contra similem concessionem per Bullam Cruciatæ, quæ permanens est, & induceret nimiam relaxationem in religiosos Ordines : ac propterea Congregatio VI. generalis Societatis Decreto 5. meritò prohibuit, ne ullus Nostrorum auderet vel docere vel in praxi tenere, quòd hoc nobis liceat per Bullam Cruciatæ. Videri potest *Viva* q. 9. a. 1.

§. 2. Hic Confessarius debet esse approbatus ab Ordinario loci; unde non potest Regularis eligere approbatum à solo Prælato Regulari alterius Ordinis, *Suar. Regin. Vega, Lugo, Viva* contra *Dianam* & alios, quorum sententiam tutam esse putat *Gob.* dicens etiam Prælatos ampliativè dici posse *Ordinarios locorum*, quia sunt Ordinarii suorum Monasteriorum, in quibus approbare possunt suos : sed tenenda est prior sententia, nam per *Ordinarios locorum*, 1465

in communi sensu intelligitur Episcopus vel ejus Vicarius. Putat tamen *Fill.* & dicit à S. Pœnitentiaria responsum esse, quòd sufficiat à Prælato approbatum esse, si tantùm dicatur, *ab Ordinario* approbatum, & non *ab Ordinario loci vel locorum*, Prælati enim approbantes censentur Ordinarii respectu suorum: & in ista sententia poterit Regularis unus confiteri approbato à Prælato alterius Ordinis, *Peyr. Fern.* & alii cum *Pourrè* contra *Bordon. Fabrum, Bossium*: attamen non poterit sæcularis eligere ejusmodi Regularem à solo Prælato approbatum, quia Prælati non sunt Ordinarii respectu sæcularium. *Fill. Dian. Nugn. Belleg.* q. 2.

1466 §. 3. Probabilius est requiri approbationem Ordinarii loci illius, in quo fit confessio, uti dicetur n. 1512. & 1516.

1467 §. 4. Eligendus debet esse approbatus respectu eligentis, hinc secundùm dicenda à n. 1528. qui non est *specialiter* approbatus ad Moniales, non potest eligi à Moniali, *Pelliz. Molf. Viva* q. 9. a. 2. contra *Bonac. Peyr. Boss. Vasq.* Similiter approbatus limitatè pro viris, non potest eligi à mulieribus, ob quamcunque causam negata sit ad has approbatio, imò etiamsi injustè, *Trull. Viva* contra alios. Similiter approbatus pro solis rusticis non potest eligi à civibus &c. *Suar. Rodriq. Villal. Homob. Bord. Tamb. Gob. Lugo* d. 25. n. 16. contra alios. Idem dicunt priores cum *Lugo* n. 23. contra alios de approbato ad unum tantùm locum, nempe non posse eligi ubique, sed in eo tantùm loco, *Belleg.* q. 4. De approbato pro parochia dicetur à n. 1536.

1468 §. 5. Non potest extra necessitatem extremam pro Confessario eligi excommunicatus, suspen-

suspensus, irregularis, multò minùs depositus, degradatus, quamvis antehac fuisset approbatus, quia approbatio censetur revocata. Nec eligi potest complex criminis, si illi per Episcopum tublata sit potestas absolvendi complicem, aut etiam si absolvere prohibitus est, *Bonac. Aversa* q. 17. s. 6. *Viva* q. 11. a. 3. n. 4. *Belleg.* q. 5. & 6. contra *Boss. Pasq. Dicast.* d. 11. n 186. qui putant non ideo tolli vel impediri jurisdictionem à Papa concessam: sed ratio nostra est, ex dictis n. 1467., quia Episcopi non approbant respectivè ad talem complicem.

§. 6. Regularis approbatus ab Episcopo, in- 1469
scio vel invito Superiore, non potest eligi in Ordine Prædicatorum, in quo recepta Bulla *Julii* III. irritantis talem approbationem: potest in aliis Ordinibus, in quibus non scitur de receptione illius Bullæ, *Castrop. Miranda, Rodriq. Graff. Zerola* aliique cum *Diana* p. 1. t. 4. R. 13. Peccabit tamen mortaliter talis Regularis, aut ad minimùm venialiter juxta modum prohibitionis vel obligationem suæ Regulæ, *Tamb.* cum aliis, notans non esse fidendum tali approbationi, communiter enim erit subreptitia, quia per fraudem extorta aut ex errore data ab Episcopo supponente facultatem Prælati, dependenter à cujus consensu volunt approbare Episcopi, *Ang. Adrian.* & alii cum *Belleg.* q. 7.

§. 7. Si Regularis exemptus approbatus ab 1470
Ordinario, per sententiam judicialem & notoriam prohibitus sit audire confessiones sæcularium, *Rodriq. La Crux, Miranda* & alii dicunt non posse eligi: contradicunt *Diana* & alii cum *Tamb.* & *Pourré*, quia Ordinarius non potest privare jurisdictione concessâ à Papa, sed dicen-

dum videtur cum causa revocari approbationem, sine qua approbatione suspensa est jurisdictio. Notant etiam *Suar. Laym. Castrop.* si superior prohibeat ob insciti am Confessarii, ob timorem indignæ administrationis vel in pœnam delicti, tum censeri tollere facultatem requisitam ad valorem; secùs si faciat, ne nimiùm impediatur, ut aliis rebus invigilet, tum enim non tollitur jurisdictio, *Belleg.* q. 8. Vide dicenda à n. 1546.

1471 §. 8. Si Regularis approbatus ab Episcopo dimittatur ab Ordine, *Diana* dicit posse eligi, *Tambur.* dubitat, quia persona & status est immutatus, si tamen in sæculo approbatus iniviſſet Religionem, posset eligi, *Belleg.* q. 9.

1472 §. 9. Multi cum *Sanch. Pourré, Gob.* dicunt Confessarium approbatum sub mortali teneri audire, si ab aliquo eligatur, quia pœnitens habet à Papa jus eligendi, & talis approbatus est delegatus Judex à supremo Pastore, ergo debitè requisitus tenetur officio fungi, *Belleg.* q. 10.

1473 *Q. 211. Quid fieri possit post tempus Jubilæi.* R. §. 1. Confessarius nihil potest post tempus Jubilæi circa illum, qui non est lucratus Jubilæum: circa eum autem, qui confessus est & lucratus Jubilæum, potest post Jubilæum exequi eas gratias, quas tempore Jubilæi potuisset & non est executus, hinc potest absolvere à reservatis: Item si tempore Jubilæi cœpisti confiteri, & Confessarius ex justa causa distulit absolutionem, potest transacto Jubilæo te absolvere ab omnibus peccatis & censuris, uti dictum est n. 1442. Item poterit absolvere à peccatis reservatis inculpabiliter vel ex justa causa omissis tempore Jubilæi, *Palud. Nav. Suar. Sa, Sanch.*

Less.

*Leſſ. Laym. Lugo, Viva* q. 11. a. 4. & 6. Idem eſt de commutatione votorum, ſi tempore Jubilæi oblitus es petere, *Henriq. Sayr. Sanch. Leſſ. Caſtrop. Portel, Dian. Gob. Viva* q. 12. a. ult. contra *Suar. Filliu. Bonac. Laym* Imò poterit fieri poſtea, etiamſi tempore Jubilæi memor nolueris petere, *Sanch. Leſſ. Portel, à S. Fauſto, Gob.* Ratio omnium eſt, quia per Jubilæum lucratum acquiſiviſti jus adſilla omnia, nec eſt, cur dicaris perdidiſſe, cùm Papa executionem non reſtrinxerit ad tempus Jubilæi.

§. 2. Si confeſſio perficiatur poſt tempus Jubilæi, *Sanctar. De Leon, Lugo, Gob.* apud *Belleg.* p. 3. ſ. 15. q. 2. probabiliùs dicunt te non poſſe abſolvi à reſervatis commiſſis poſt Jubilæum, quia juriſdictio prorogatur tantùm reſpectivè ad peccata tempore Jubilæi exiſtentia ; quod certum eſſe dicit *Rhodes.* Limitant *Averſa* q. 17. ſ. 8. niſi Papa ipſe conceſſerit facultatem differendi Confeſſionem. E contrà te poſſe abſolvi etiam ab his, abſolutè dicunt *à S. Fauſto, Boſſ. Viva* q. 11. a. ult. probabile dicunt *Sanctar. De Leon* & *Diana*, quia Papa ſaltem permittens ſic differri, ſecundùm dicta n. 1442., vult, ut lucretur Jubilæum, ſed non poſſet, niſi abſolvi poſſet ab illis etiam ultimis reſervatis, ergo. Et ſecundùm hanc ſententiam poterunt etiam commutari vota poſt Jubilæum emiſſa, utì volunt *Boſſ. Diana, Pourré* apud *Belleg.* q. 3., ſed, utì dixi, oppoſitum probabilius eſt. 1474

§. 3. Si Titius tempore Jubilæi non ſit confeſſus, quia non recordabatur mortalis, cætera tamen præſcripta impleverit, ſecundùm *Sanch. Lugo, Belleg.* q. 4. poterit recordans reſervati, ab hoc poſt Jubilæum abſolvi & obtinere 1475

commutationem votorum, suppositâ sententiâ, de qua n. 1414. quòd non requiratur confessio, si tibi non sis conscius mortalis. Idem dicunt *Henriq. Côn. Comit. Dian. Viva* q. 11. a. ult. etiam in sententia, quòd requiratur confessio, Item licèt habuisset mortale & confessio fuisset invalida ex invincibili defectu doloris vel propositi, quia si habuit animum lucrandi Jubilæum, potuit secundùm dicta n. 1447. absolvi à peccatis & censuris etiam reservatis; etiam extra Sacramentum, secundùm dicenda n. 1695. ergo absolutus est, quia Confessarius voluit facere, quidquid potuit. Ob eandem rationem idem dicit *Lugo* d. 20. n. 113. licèt ex malitia sacrilegè esset confessus, dummodo intenderit postea rectè confiteri & lucrari Jubilæum: Sed quoad hoc posterius rectè contradicit *Viva*, tum quia fraus non debet alicui prodesse, nec debet lucrum à sacrilegio reportari, tum quia aliquid concedens generaliter, non censetur hoc concedere, quod negaret, si specialiter rogaretur *ex Reg. 81. Juris in 6.*, Papa autem hoc negaret tali sacrilego, si rogaretur, sicuti secundùm dicta n. 1419. negat potestatem per sacrilegam Communionem implendi præceptum paschale. Quoad prius, etiam probabiliùs contradicunt *Regin. Rodriq. Boss. Aversa* §. *At.* quia, saltem in Jubilæo, Bullæ tantùm concedunt facultatem tollendi censuras & reservata in confessione, secundùm dicta n. 1452. & hæc facultas datur in ordine ad suscipiendum Sacramentum & ad habendam tempore Jubilæi absolutionem à peccatis, ergo mediante imprimis verâ confessione, quæ hìc non intervenit, cùm confessio invalida sit nulla: deinde etiam mediante absolu-

solutione, per quam indirectè saltem tollantur peccata reservata, & acquiratur jus ad postea directè tollendas censuras & ista reservata.

§. 4. Qui confessus est animo perficiendi o- 1476
pera, sed non perfecit, potest post Jubilæum absolvi à reservatis, uti dictum est n. 1449. sed non potest obtinere commutationem votorum, secundùm dicta n. 1463.

## CAPUT II.

### *De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.*

### *DUBIUM I.*

### *Quis sit Minister.*

RESp. Est Sacerdos approbatus ab Episco- » 1477
po, (saltem respectu sæcularium) & ha- »
bens jurisdictionem: Est certum: Ratio primæ »
partis sumitur ex *Joannis 1. Accipite Spiritum* »
*sanctum, quorum remiseritis &c.* Ratio secundæ »
sumitur ex *Trid. sess. 23. c. 15. de Ref.* Ubi decer- »
nit, nullum posse audire confessiones sæcula- »
rium, nisi habeat beneficium Parochiale, vel »
approbationem ab Episcopo. Addidi, *respectu* »
*sæcularium*: quia circa confessiones Regularium, »
Concilium nihil videtur mutâsse: unde ii cui- »
vis, etiam non approbato, quem Prælatus »
præfecerit, possunt confiteri, intellige, quan- »
tùm est ex vi Concilii, quia *Gregorius XV.* sta- »
tuit, ut Monialium Confessarius ab Ordinario »
approbetur. Ratio tertiæ partis ex *Flor.* & *Trid.* »
*l. c.* quia absolutio est actus judicialis, qui re- »
quirit subditos. *Unde resolves,* »

I. Nullo casu vel dispensatione hoc Sacra- »

»mentum validè administratur à non Sacer-
»dote.

» II. Ubi *Trid.* est receptum, (secus alibi) nul-
»lus Sacerdos, etiam Regularis, validè absolvit,
»nisi sit approbatus, vel Parochus, cui non so-
»lùm intra, sed etiam extra Diœcesin suam, va-
»lidè delegatur jurisdictio, potestque eligi in
»Confessarium ab omni habente potestatem e-
»ligendi, quamdiu tamen retinet Parochiam.
»Ita *Fill. t. 7. Fag. Suar. Dian. p. 3. t. 4. R. 146.*

## ADDENDA.

1478 QUæst. 212. *Quid universim notandum sit circa Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ.* R. seqq. §. 1. *Gerson* p. 2. n. 32. Opusc. De arte audiendi confess. in Proœmio ait, *Ars artium est regimen animarum, præsertim in Confessionibus audiendis.* Consid. 1. addit, *Provideat ante omnia Confessor purus esse, qui purgandis animabus invigilat: spem quoque sui laboris & perficiendi circa alios, non in propria sed divinâ virtute reponat.*

1479 §. 2. Quàm gratum Deo sit officium Confessarii, explicat *Ludov. De Ponte* In pretiosis sensis parte 6. à n. 17. his verbis: *Audire & absolvere confitentes est actus planè heroïcus & mirum quantùm divinæ majestati acceptus, quia imprimis hoc in ministerio magis immediatè quàm in quovis alio Sacerdos plurimùm confert ad reducendas & reconciliandas animas suo Creatori. Deinde quia hic modo quodam speciali cuncta misericordiæ opera, tum corporalis tum spiritualis optimè exercet: his ignorantem docet, aberrantem in viam dirigit, offensas remittit, mœrentem & contritum consolatur, dubitanti salubria impertit consilia, pro periclitantis*

*salute*

*salute Deum efficaciter deprecatur. Hìc duræ servituti mancipatum redimit, vinctum peccatorum catenis exsolvit, nudum convestit stolâ gratiæ, egenum & languidum cibo potuque spirituali, prout cuique fert stomachus ac necessitas, pascit ac reficit : unde persuasum habeo fore, ut Deus Confessario bono & frugi misericordiam retribuat,* Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, Matt. 5. ℣. 7. *Certè judicio meo porrigi vix potest eleëmosyna, quæ isti valore & pretio æquivaleat..... Habet in fructuoso hoc exercitio Confessarius, ubi se ipsum & multas refractariæ carnis oblectationes egregiè vincere possit. Denique, Confessarii tribunal applausus non habet, quibus Concionatoris cathedræ sæpè circumsonat.*

§. 3. Minister Sacramenti Pœnitentiæ est Sacerdos completè ordinatus, hinc si quis esset ordinatus per traditionem patenæ cum pane & calicis cum vino non autem postea per impositionem manuum Episcopi, esset quidem Sacerdos, sed incompletè, & haberet potestatem in Corpus Christi verum consecrandum, sed non in Corpus Christi mysticum sive in fideles absolvendos, utì cum communi *Amic.* d. 15. n. 27 *Aversa* q. 16. s. 1. Si autem Episcopus imposuisset ei manus, omissâ vel non ritè peractâ ordinatione per traditionem patenæ & calicis, nec posset validè consecrare nec absolvere, quia nequidem incompletè esset Sacerdos, hæc enim secunda potestas in Corpus Christi mysticum supponit primam in Corpus Christi verum, *Amic. Arr.* d. 39. n. 2. 1480

§. 4. Solus Sacerdos ita est Minister Sacramenti Pœnitentiæ, ut non Sacerdos nunquam valide absolvat sacramentaliter ; imò secundùm *Nav. Valent. Suar. Arr.* n. 4. laicus fit irregularis, si hoc 1481

attentet; quod tamen alii negant cum Lugo d. 18.n.14. quia non invenitur expressum in Jure.

1482 §. 5. Dubitatum est aliquando, si quis in necessitate confiteatur laico, an Deus tum suppleat effectum gratiæ, nam Cap. *Quem pœnitet* 88. De pœnit.dist. 1. sic habetur, *Sæpè contigit, quòd pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert, & si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habet, sit tamen dignus veniâ ex Sacerdotis desiderio, qui socio confitetur turpitudinem criminis.* Similiter S. *Th.* in 4.dist.17.q.3.a.3.quæstiu.2.ait: *In necessitate etiam laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri posset.* Et ad 1. subdit, *Defectum Sacerdotis summus Sacerdos supplet, & confessio laico ex defectu Sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum.* Et dist.24.q.1.a.2.quæstiu.3.ad 2. loquens de non baptizato ad Ordines promoto ait: *Non est Sacerdos, nec conficere potest, nec absolvere in foro pœnitentiali, sed tamen piè credi potest, quòd quantùm ad ultimos effectus Sacramentorum, summus Sacerdos suppleret defectum.* Etiam *Mag. sentent.* in 4. dist. 17. c. 4. dicit, si Sacerdos abfuerit, debere confiteri laico etiam mortalia: Quod etiam putârunt alii apud *Aversam* suprà. Sed obligationem illam meritò rejiciunt omnes reliqui cum *Rayn.* in Heter. tom. 16. s.9. à n. 1. Unde etiam audiendi non sunt Juristæ aliqui apud *Sanch.* De Matr. l.3. d. 22. n. 21. qui putârunt in communi errore, quo laicus putaretur esse Sacerdos, Ecclesiam supplere jurisdictionem in laico: nam de jure divino requiritur Sacerdos, ergo in eo supplere non potest Ecclesia. Attamen quandoque utile esse confiteri laico agnoscunt

*Henriq.*

*Henriq.* & *Moya* d. 7. q. 1., ut vel laicus referat peccata Sacerdoti superventuro, vel juvet ad contritionem specialem de illis peccatis eliciendam, vel dirigat circa restitutionem, vel ut hac humiliatione impetret à Deo peccatorum veniam. Videri potest etiam *Illsung* hìc à n. 168.

§. 6. Quamvìs sententia communior & probabilior sit cum *Arr.* n. 5. & *Lugo* n. 7., quòd laicus absente Clerico nequidem in articulo mortis validè absolvat à censuris, quia tamen oppositum probabiliter tenent graves Auctores, quos referunt *Diana* p. 3. t. 4. R. 133. & *Moya* n. 8. eò quòd putent piam Matrem Ecclesiam, quæ id etiam laico delegare potest, pro eo articulo nolle eum, quem pœnitet, privari beneficio sepulturæ & communibus suffragiis: Hinc rectè infert *Sanch* in Decal. l. 2. c. 13. n. 13. laicum teneri pro tali casu absolvere à censuris. Docentque etiam plures cum *Quintanadv.* apud *Moyam*, laicum in defectu Clerici posse, adeoque debere moribundo applicare Indulgentias huic concessas pro mortis articulo, si fortè talis applicatio fieri debeat per alium. 1483

§. 7. *Tridentinum* sess. 14. De pœn. c. 6. dicit absolutionem esse adinstar actûs judicialis, quo à Sacerdote velut Judice sententia pronunciatur: unde administratio Sacramenti Pœnitentiæ cum actu judiciali convenit & disconvenit in quibusdam, nam Judex forensis non tenetur credere reo pro se, Judex sacramentalis tenetur credere pœnitenti pro se & contra se, utì dicetur n. 1763. Forensis debet attendere actiones & facta, prout se habent à parte rei & materialiter; Sacramentalis, prout substant conscientiæ operantis: Forensis judicat secundùm leges; 1484

leges ; sacramentalis secundùm conscientiam pœnitentis.

## *DUBIUM* II.

### *Quid sit approbatio & à quo petenda.*

1485 »RESP. I. Approbatio non est collatio juris-
»dictionis, sed tantùm publicum judicium
»de aptitudine personæ, ad audiendas confessio-
»nes essentialiter prærequisitum (suppositio jure
»Tridentini) ad jurisdictionem recipiendam.
»Ita *Sanch. l.6 de Mat. d.28. & alii. Unde resolves,*
» I. Etsi Doctores & Licentiati, hoc ipso quòd
»promoventur, censeantur, secundùm quos-
»dam, approbati à Papa, ùt notat *Sa V. Confessor,*
»probabilius tamen est, quòd ipsi etiam egeant
»approbatione, licèt non deceat, ut ipsi, vel Le-
»ctores in Theologia examinentur.
» II. Etiam Parochus, qui reliquit Benefi-
»cium Parochiale, debet approbari, si velit au-
»dire Confessiones.
» III. Non requiri hanc approbationem ad
»auditionem venialium, docet *Dian. p.2.t.2.*
»*misc. R.44.* ex *Valero*. Et ratio esse videtur, quòd
»approbatio tantùm requiratur in ordine ad ju-
»risdictionem, hanc autem quivis Sacerdos pro
»venialibus (ut i & mortalibus, à quibus ritè
»quis est absolutus) habeat collatam ab Eccle-
»sia in ipsa ordinatione, ideoque ab iis absolvere
»possit, ùt habet *Bon. d. 5. q.7. p.2. n.8. Vasq.*
»*Suar. Lugo, d.18. s.3. d.21. n.1.* Ubi docet ab Ec-
»clesia in *Trid.* non approbatum reddi incapa-
»cem jurisdictionis, tantùm in ordine ad mor-
»talia non priùs confessa.

IV.

IV. Parochi non possunt asciscere coope-» ratores, nisi Parochos vel approbatos, ùt ha-» bent *Fagund. p. 2. l. 7. n. 42. Sancius &c.* ex *declar.* » *Cardin.* contra *Ledesm.* & *alios. V. Dian. p. 3. t. 4. R.* » *146.* & *Bon. p. 4. §. 1.* »

V. Qui habet potestatem eligendi Confes-» sarium, non potest eligere nisi approbatum, » vel Parochum. »

VI. Ad approbationem non necessariò re-» quiritur examen, modò adsit judicium pru-» dens de sufficientia, *Kon. Layn.* »

VII. Non sufficit approbatio petita & ne-» gata, ùt docetur communiter, contra *Nav.* » *Henr.* & *Dia. tom. 1. t. 2. R.* 24. etsi probabiliter » cum prædictis docuerit *Kon.* & *Lay.* regulares » Mendicantes, si ab Episcopo repellantur, cùm » manifestè idonei sint, & à Prælatis suis præsen-» tentur, posse nihilominus pro confessionibus » sæcularium exponi, ùt habetur *Clementinâ, Du-* » *dum, §. Statuimus.* Istis tamen privilegiis *Trid.* » *& Urbanum* VIII. anno 1628. derogâsse, notat » *Lug. d. 21. nu. 29. & à n. 51.* »

Resp. II Approbatio petenda est ab Episco-» po, & quidem proprio, scilicet Sacerdotis, ùt » intelligunt *Suar. Kon. Regin. Fill.* & *alii*: vel (ùt » probabiliter vult *Vasq.*) pœnitentis: Ratio, » quia est actus jurisdictionis, vel saltem aucto » ritativa declaratio, ergo debet fieri à Superio-» re. Porrò nomine Episcopi etiam intelligun-» tur Prælati, habentes jurisdictionem Episco-» palem, ùt quidam Abbates, & Capitulum Se-» de vacante, non autem Provinciales aut Ge» nerales Ordinum. *Unde resol.* »

I. Religiosi, etiam exempti, debent ap-» probari ab Episcopo loci, in quo degunt, »

quia

»quia illius, quoad hunc actum, sunt subditi.
» II. Episcopus in sua diœcesi non potest ap-
»probare Sacerdotem alienum, nisi subdatur
»illi saltem ad tempus.
» III. Episcopus potest approbare per se, vel
»Vicarium generalem, vel alios quoscunque
»deputatos, quia non est actus Ordinis, sed ju-
»dictionis.
» IV. Approbatio potest fieri cum restrictio-
»ne ad certum genus personarum, locum, tem-
»pus, &c. *Nav. Suar. Vasq.* contra *Vegam.*
» V. Episcopus peccat, si Sacerdoti (præser-
»tim Regulari) idoneo, sine causa sufficienti
»neget approbationem. *Bon. Vasq. art. 3. d. 3. Lug.*
»*n. 54. Sanch. &c.*
» VI. Approbatio semel absolutè concessa,
»non tantùm non extinguitur morte conce-
»dentis, sed nec revocari potest sine justa causa:
»ex causa tamen, v. g. mutatione morum, judi-
»cii, &c. potest, ùt docet *Suar. Fill.* & alii. Quòd
»si fiat absque causa rationabili, *Con. Suar. & qui-*
»*dam alii* censent revocationem esse nullam,
»alii illicitam tantùm, *Fill. t. 7. c. 9. q. 12.* In dubio
»autem, an ex justa causa revocatio sit facta,
»præsumendum esse pro Prælato, docet *Lugo*
»*num. 67.*
» VII. Ex justa causa possunt, præsertim à suc-
»cessore Episcopo, ad examen revocari, non
»tantùm sæculares, sed etiam Regulares: Do-
»cent tamen quidam, Mendicantes habere pri-
»vilegium, ut non possint revocari ab eodem,
»à quo antè sunt approbati, sed contrarium
»docet *Suar.* & *Lug. n. 61.* & *62.*
» VIII. An approbatus ab uno Episcopo pos-
»sit in alia diœcesi sine nova approbatione re-
cipere

cipere jurisdictionem, controvertunt Docto-» res, ac licèt utraque sententia olim videri» potuerit probabilis, post decretum tamen» *Urbani* VIII. Anno 1628. apud *Lug. n. 29.* ne-» gativa omnino tenenda est. *V. Averjam q. 16.* » *sect. 8.*

## ADDENDA.

*Quæst. 213. Quid præterea generatim notandum* 1486
*sit circa approbationem.* &c. seqq. §. 1. Hæc est distinctio inter approbationem & collationem jurisdictionis, quòd approbatio sit actus intellectûs seu judicium, quo Episcopus vel Superior censet hunc Sacerdotem esse idoneum ad audiendas confessiones: è contrà collatio jurisdictionis est actus voluntatis, quo superior dat potestatem in suos subditos ad audiendas illorum confessiones; quia autem non vult, ut aliquis non idoneus audiat, hinc collatio jurisdictionis requirit approbationem velut conditionem saltem futuram, uti cum communi *Sporer* n. 666.

*Objicies.* Si approbatio sit aut requirat judicium de idoneitate, ergo si Episcopus externè tantùm approbaret eum, quem internè judicat esse inidoneum, ille invalidè absolveret. &c. *Bonac.* concedit seq., sed probabiliùs negant *Suar.* & *Lugo* d. 21. n. 25. quia *Trid.* tantùm loquitur de judicio externo, quod consistit in verbis illud significantibus: Et ita Judex dicitur ferre sententiam validam in foro externo, licèt contra conscientiam & judicium internum pronunciet.

§. 2. Ad validè absolvendum sæculares præ- 1487
requiritur approbatio Episcopi, nam *Trid.* sess.

23. c.

23 c. 15. De Ref. ait, *Quamvis presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen S. Synodus nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quacumque etiam immemoriali non obstantibus.* Idem statuerunt multi Pontifices, uti constabit ex dicendis. *Dixi*, ad absolvendum sæculares, nam nihil innovatum est circa Confessarios Regularium, uti cum communi *Lugo* n. 2. *Aversa* q. 16. s. 7. *Sporer* n. 666. ad quorum confessiones audiendas sufficit designatio Superioris: quod *Aversa* extendit etiam ad Confessarium Novitiorum, cùm in favoribus communicent cum Religiosis. Quid autem jure novo statutum sit circa confessiones Monialium, dicetur à n. 1528.

1488 §. 3. *Tridentinum* præcipit quidem approbationem gratis dari, probabilius tamen est cum *Suar.* & *Lugo* n. 26. fore validam, licèt detur non gratis, quia quamvis ex verbis *Tridentini* colligatur præceptum, non tamen continetur irritatio: Et saltem fiet suppletio propter errorẽ communem, secundùm dicta l. 6. p. 1. à n. 112.

1489 §. 4. Videtur nunc tenendùm, quòd ad absolvendum à venialibus, prærequiratur approbatio Ordinarii, nam licèt antehac ab omnibus ferè cum *Busenb.* suprà supponeretur tanquam certum, quod facultas absolvendi à venialibus esset in Ordinatione concessa omni Sacerdoti, vel jure divino, uti volebat *Vasq.*, vel jure ecclesiastico suppositâ immemoriali consuetudine, ta-

tamen nunc aliter statuit *Innoc. XI.* in Decreto de Cómmunione quotidiana, quod retuli l. 6. p. 1. n. 665. ubi sic præcipit Ordinariis, *Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato*, ergo talis absolutio est saltem illicita. An autem sit valida, est incertum, negant aliqui cum *Platelio*, sed probabiliùs affirmant *Carden.* d. 2. c. 6. à 9. & 10. *Sporer* n. 667. quia ex hoc, quòd Pontifex tantùm velit prohiberi & non permitti, non sequitur tolli jurisdictionem vel irritari absolutionem.

§. 5. Sacerdos non approbatus non potest absolvere à mortalibus dubiis, *Mendo* d. 10. à n. 49. Estque etiam probabilius cum *Moya* d. 7. q. 1. n. 10. contra *Crousers* & alios, si quis sola mortalia, etiam bonâ fide, confessus sit non approbato, non esse validè absolutum: si tamen addidisset veniale aut antehâc confessum, probabilius est fore ab hoc directè absolutum, & ab aliis mortalibus indirectè, cum obligatione ea postmodum directè subjiciendi clavibus apud alium approbatum. 1490

§. 6. Quamvis Ordinarius possit non admittere ad examen pro approbatione, si tamen admiserit, non potest absque injustitia negare approbationem digno, *Lugo* n. 49. *Gorm.* p. 2. n. 361. Ratio est, quia intervenit quasi contractus, utì aliàs fit in concursu, quo dicitur, *subjicio me examini eâ conditione, ut approber, si inveniar dignus: examinabo te, ut approbem, si inveniam dignum.* 1491

§. 7. Justæ causæ approbandi tantùm ad tempus sunt, si nunc sit necessitas habendi plures Confessarios, quæ postea cesset: si pro nunc habeat quidem sufficientem scientiam, sed me- 1492

ritò desideretur major ad approbationem perpetuam: si prudenter timeatur, ne habitâ semel perpetuâ approbatione negligat studium: ad probandum, an principia generalia bene applicet in praxi, vel an non sit fortè heteroclitus, nimiùm laxus vel rigidus. Negari non potest ex hoc, quòd approbandus jurare nolit se non usurum certis opinionibus probabilibus, quia hæc conditio est irrationabilis & insolita, *Pignat.* t. 8. cons. 15.

1493 §. 8. Fieri potest solis verbis, *Lugo* n. 26., at expedit fieri scripto, ut certiùs constet de ea & de modo, quo concessa est.

1494 *Q. 214. Quid addendum sit circa potestatem approbandi.* R. seqq. §. 1. Nuntium Apostolicum posse quoscumque Sacerdotes pro sua Provincia approbare, tenent multi: *Tuschus* v. *Legatus* concl. 158. ait: *Legatus Apostolicus in sua Provincia habet ordinariam jurisdictionem. Quidquid potest Episcopus in Jua Diœcesi respectu jurisdictionis, potest Legatus in Jua Provincia, hoc excepto, quòd Capitulum potest alienare cum consensu Episcopi, non Legati.* Similiter loquuntur *Azor* p. 2. l. 5. c. 27. q. 5. *Barbosa* in Collect. ad l. 1. tit. 30. ad Cap. *Cùm non ignoretis.* n. 2. *Gonz.* ad Reg. 8. Cancell. Gl. 25. nu. 15. *Rebuff.* Praxi benef. tit. De union. num. 24. *Pirhing* l. 1. t. 30. n. 4. *VVagner.* in Decret. l. 1. tit. 30. ad c. 1. *Nota 2.* Idem tenent *Aversa* De Sacram. q. 46. s. 6. n. 7. *Pontius* De Matr. l. 5. c. 10. n. 7. *Sannig* ad l. 1. tit. 30. *Viva* De Jubil. q. 9. a. 4. Hinc inferunt *Gob.* & *Less.* in Auct. v. *Confessarius* casu 1. Nuntium posse Superiori regulari communicare potestatem approbandi, cùm potestas illa sit ipsi ordinaria. Similiter docet *Pelliz.* t. 6. c. 2. n. 81. Legatum

tum à latere non tantùm posse approbare ad audiendas confessiones in sua Provincia, sed etiam dare facultatem absolvendi à reservatis Episcopo, quamvis addat non expedire, ut id sæpiùs faciat, ne offendantur Episcopi & contemnantur reservationes. Contra hactenus dicta dicit *Pignatelli* tom. 2. consult. 1. Nuntium nõ posse approbare ad audiendas confessiones, nec quosvis ordinare de sua Provincia &c. eò quòd ista per *Trid.* reserventur seu specialiter committantur potestati Episcoporum, pro quo adducit declarationes, quæ an authenticæ sint, rescire non possum, scient Nuntii ista facientes, quid possint: Et ex dicendis n. 1533. colligetur Nuntios in Germania & cum eis Sacram Pœnitentiariam censuisse, quòd eis competat ordinaria potestas approbandi etiam Regulares in sua Provincia. 1495

§. 2. Episcopus electus & confirmatus, quamvis eon consecratus, approbare potest, quia approbatio non est actus Ordinis sed jurisdictionis, *Lugo* d. 21. n. 27. Si Episcopus sit excommunicatus, *Boss.* & *Tamb.* putant adhuc posse approbare, eò quòd approbatio sit tantùm judicium & simplex testificatio Episcopi, prout est talis persona superior, qualis in excommunicatione videtur manere: sed *Averja*, *Pontius* c. 17. & alii probabiliùs dicunt non posse, si sit excommunicatus non toleratus, quia approbatio videtur esse actus Episcopi, prout Episcopus est, requirens jurisdictionem, quam non habet talis excommunicatus.

§. 3. Ideo Sedes vacans approbare potest, 1496
quia quoad hoc habet facultatem Episcopi. Ideo convenit Vicarium in Spiritualibus habere

bere potestatem approbandi, quia habet potestatem ordinariam, faciens unum cum Episcopo tribunal. Vide *Leur.* De Vicario q. 134.

1497 §. 4. Illi Abbates habent jurisdictionem quasi Episcopalem in ordine ad approbandum, qui habent Diœcesin aliquam nulli Episcopo subjectam; aut saltem secundùm *Sanch.*, qui solent laicos Matrimonio jungere, super eorum votis dispensare, visitare Parochias, excommunicare &c. Quamvis enim *Trid.* deroget omnibus privilegiis datis ad declinandum examen Episcoporum, tamen ejusmodi Abbates respectu Sacerdotum sæcularium Ecclesiis sibi subjectis præficiendorum veniunt nomine Episcoporum, quia quoad potestatem sunt Episcopi, *Suar. Henriq. Præpos. Sanch. Gob.* & alii cum *Sylvio* p. 2 v. *Confessarius.*

1498 §. 5. Quamvis Parochus possit simplici Sacerdoti non approbato delegare jurisdictionem administrandi reliqua Sacramenta, *Barb. Possev. Leur.* in Foro benef. p. 1. q. 435. nu. 1. 5. & seqq. tamen non potest approbare aut tali delegare potestatem ad audiendas suorum confessiones, quia hoc est Episcopi seu Ordinarii, *Lugo* n. 6. *Leur.* n. 4. Et sine jurisdictione ab Ordinario vel à Parocho, saltem tacitè, delegatâ non posset alius Parochus illius parochianum audire, communis cum *Leur.* n. 3.

1499 §. 6. Videtur dicendum, quòd etiam Archi-Diaconi aut Præpositi, per se loquendo & ex vi officii, non habeant potestatem approbandi; unde si alicubi faciant, id erit ex delegatione Episcoporum, qui semper possint revocare.

1500 §. 7. Ordinarius extra Diœcesin suam existens potest approbare, quia hic actus non est juris-

jurisdictionis contentiosæ, quæ exigat exerceri in proprio tribunali, sed voluntariæ, quæ extra proprium territorium communiter exerceri potest. Putat tamen *Lugo* in Resp. mor. l. 1. dub. 17. Episcopum Antverpiensem existentem Namurci non posse approbare Sacerdotem Namurcensem pro sua Diœcesi Antverpiensi, quia Namurci existens non est ullo modo Ordinarius vel Superior respectu Sacerdotis Namurcensis, qualis esse posset saltem ratione loci, si cum illo esset in Diœcesi Antverpiensi, ubi ipse est Ordinarius.

§. 8. Si Titius approbatus tantùm pro Antverpia, Namurci audiat Cajum Namurcensem habentem ab Episcopo Namurcensi licentiam eligendi quemcunque Confessarium, videtur posse validè absolvere, quia hoc ipso, quòd Episcopus Namurcensis det Cajo istam licentiam, vult quemcunque Confessarium habere jurisdictionem & approbationem pro Cajo absolvendo, neque licentiam suam restrinxit ad Confessarium à se approbatum, sed extendit ad *quemcunque Confessarium* approbatum, Titius autem est Confessarius simpliciter approbatus, quia approbatus est Antverpiæ. E contrà tamen, si Titius Namurci audiat Sempronium habentem ab Episcopo suo Leodiensi licentiam eligendi quemcunque Confessarium, Titius invalidè absolveret, quia ab Episcopo Antverpiensi non est nisi pro Antverpia approbatus, & Episcopus Leodiensis non potuit approbare Titium, utpote nullo modo subjectum nequidem ratione loci, in quo audit: à Namurcensi autem Episcopo, ubi audit, etiam nullo modo censeri potest approbatus, ergo. 1501

1502 *Q. 215. An approbatus in una Diœcesi censeri debeat ubique approbatus.* R. Negativè : quod certum est saltem quoad Regulares, ex constitutione *Clementis X.*, cujus clausulas concernentes subjicio :

## CONSTITUTIO CLEMENTIS X.

Superna magni Patris-Familias &c.

§. 1. Sanè cùm S. Conc. Tridentini Decretis providè statutum fuerit, ut Regulares cujuscunque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint ; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant ; in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. Atque ut nullus sæcularis, sive Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat. Itidémque cùm nullus Sacerdos Regularis possit confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur : & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quacumque non obstantibus. Innotuit nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licen-

licentiam, contradictionem, examen & approbationem ejusmodi in aliquibus Diœcesibus excitatas fuisse, ex quibus controversiæ & defensiones permultæ in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam Religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

§. 2. Nos attendentes, quòd aliàs diversis temporibus prædictæ dubitationes & controversiæ nonnullis Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, earúmque Declarationibus definitæ fuerint, ejusmodi Definitiones in unum collectas, ut magis magísque dissensionum tollantur semina, & imposterum firmior in agro Dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur, Apostolatûs Officio novis Apostolicis litteris muniendas duximus & roborandas. Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrinâ & prudentiâ præstantium, & maturâ deliberatione nostrâ, atque ex certa scientia, hac generali & perpetuò valiturâ Constitutione decernimus, & declaramus: 1503

§. 3. Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano Benedictionem petere: prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quòd si Episcopus Benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare; eósque contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis 1504

fel. record. *Gregorii XV.* Prædeceſſoris noſtri, incipientis: *Inſcrutabili Dei providentiâ*, coerceri & puniri poſſe. Epiſcopum tamen abſque juſta & rationabili cauſa contradicere non debere; & hujuſmodi Benedictionem teneri etiam Regulares petere, ſi in quibuſcunque Oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram populo vel in Eccleſiis aut ad crates Monaſteriorum ſanctimonialium eorum jurisdictioni ſubjectarum, licèt clauſis januis & nullus ſæcularis ibi interſit, habere voluerint. Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus illos quamvis ab Univerſitatibus aut à Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quoad doctrinam examinare, ſi ità ipſius arbitrio, quod moderatum & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit, & licentiam prædicandi ſemel iiſdem conceſſam ob rationabiles cauſas, licèt occultas, prædicationem tamen concernentes ſuſpendere. Non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicent.

§. 4. Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad con-
1505 feſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati, & generaliter approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſæcularium confeſſiones audiendas nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed

egere

egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidémque Confessores extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expletâ deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterùm in Monasteriis ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares quàm Confessores Regularium eorundem Monasteriorum seu Collegiorum audire Confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia & continui commensales; non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt; illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, cæterorúmque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos: quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi approbantis quovis anni tempore etiam paschali & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum vel ipsius Episcopi licentia: De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorum-

dem infirmorum Parochum illico certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

1506 §. 5. Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexûs*, quoad confessionem duntaxat satisfeciisse censendos. Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem ab ejus Vicario aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi novâ superveniente causâ, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

1507 §. 6. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant vel, aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cùm præcipua ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas ac morum honestas; utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominùs ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbandos suspende-

re,

re, aut repellere à confessionibus audiendis: Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventûs regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo inconsultâ sede Apostolicâ nullatenùs posse. Ex facultatibus per *Mare magnum* aliáve privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis, instituti, aut Societatis etiam JESU concessis factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis, & per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulates à Sede Apostolica post sacrum Conc. *Trid.* obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia priùs ab eodem Concilio aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata atque extincta, si quæ habebant absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

§. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab 150
omnibus casibus sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere: posse autem regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesin pro absolutione obtinenda migrâsse: Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam satisfactâ parte absolvere pœnitentes à censuris quoad externum & Judiciale forum, & absolutos ab eis in foro pœnitentiali utique non censeri absolutos in exteriori judicio & contentioso. Quin imò censuris ecclesiasticis irretitos & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibi-

tis

tis aliquibus Regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cùm ejus sit interpretari, cujus est condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout aliàs constitutione prædecessoris nostri fel. recordationis *Clementis IV.* statutum fuit, esse requirendum.

1509 §. 8. Decernentes, sic & non aliàs per quoscunque Judices ordinarios vel delegatos quavis authoritate & dignitate fungentes, etiam causarum palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos & Nuntios & quosvis alios, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & definiri debere. Irritum quoque & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

1510 §. 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque quorumvis Ordinum tam mendicantium quàm non mendicantium, militarium, etiam S. Joannis Hyerololimitani, Congregationum, Societatum etiam JESU ac cujusvis alterius instituti etiam necessariò & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum & aliorum quorumcunque tam Sæcularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis vel consuetudinibus etiam imme-

Immemorabilibus, exceptionibus quoque, indultis & privilegiis etiam in corpore juris clausis, aut ex causa & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam *Mari magno*, seu Bullâ aureâ, aut aliàs nuncupatis: Conservatorum Deputationibus, eorúmque atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliísque efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus & aliis decretis etiam motu proprio & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis, quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorúmque totis tenoribus & formis specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ & observatâ, inserti forent, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis quoad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, aliàs in suo robore permansuris harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterísque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ 21. Junii, publicatum 2. Augusti. 1670.

1. Constitutio illa obligat omnes Regulares, 1511
etiam Societatis JESU; & derogat omnibus quo-

quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum privilegiis, ac si de verbo ad verbum hic exprimerentur, uti constat ex §. 9. Et hoc sufficere ad efficaciter derogandum, constat ex dictis n. 1464. Hinc si ego Sacerdos Regularis Coloniæ approbatus irem cum cive Colonienſi Ruræmundam, non possem hunc absolvere Ruræmundæ, quia non sum approbatus ab Episcopo Ruræmundano.

1512 2. Regularis approbatus in hac tantùm diœcesi non potest nequidem vi Bullæ Cruciatæ vel in Jubilæo eligi in alia diœcesi ad audiendas confessiones, quia Pontifices declarârunt Ordinarium, à quò ille, qui eligitur, debet esse approbatus, esse Ordinarium illius diœcesis, in qua audiuntur confessiones, *Lugo*, *Tamb.* *Loth*, *Carden.* in 2. crisi diss. 2. à n. 271. *Belleg.* p. 2. s. 9. q. 2. contra *Viva* De Jubil. q. 9. a. 3. qui putat in Jubilæo sufficere approbationem Episcopi pœnitentis.

1513 3. Putârunt *Platel.* p. 5. n. 873. *Taberna* De pœnit. c. 6. §. 2. q. 4. & alii tres Doctores hujus Provinciæ, quos consului, Sacerdotem Societatis in una diœcesi approbatum, dum iter agit per alias diœceses, adhuc posse audire confessiones quorumcumque sæcularium, exceptis locis, in quibus Ordinarii existunt, & dummodò Parochi non repugnent, id enim habemus vi Bullæ Greg. XIII. *Decet Romanum Pontificem*: quo privilegio, uti innuit *Lugo* d. 21. n. 47. fimus subditi & censemur approbati ab illo Ordinario, in cujus diœcesi simus. Putantqué plures apud *Dianam* p. 3. t. 2. R. 123. Decreta Pontificum, quæ videntur talem facultatem revocare, tantùm loqui de potestate audiendi con-

confessiones permanenter, non autem transeunter, hoc enim est minus & diversum privilegium. Sed cùm *Clemens* ad confessiones simpliciter audiendas, præscindendo an transeunter an permanenter, universim requirat approbationem Ordinarii loci, in quo Regularis audit, ac revocet omnia qualiacumque & quomodocunque data privilegia in contrarium, non auderem sententiam illam sequi. Nec novum *Comp.* privileg. *Societatis* v. *Confessarius* §. 2. videtur satis fidere isti privilegio.

4. Docet *Gobat* t. 7. n. 85., ex quo notârunt alii, quòd in locis Germaniæ vel omnibus vel plerisque, Sacerdotes Societatis & alii Mendicantes in una Diœcesi approbati, novâ approbatione in alia communiter non egeant, ex tacita Episcoporum concessione. Sed de hoc satis non constat, cùm viderim sæpè Regulares ex una ad aliam diœcesin transeuntes sistere se Ordinariis, & per hoc tantùm facilitare approbationem suî pro nova Diœcesi, si ostendant approbationes aliarum Diœceseon. 1514

5. Regularis approbatus potest suum socium Regularem ejusdem Ordinis absolvere, in quacumque Diœcesi sit cum illo, quia decreta Pontificum tantùm loquuntur de confessionibus sæcularium & Religiosorum alterius Ordinis. 1515

6. Dicta decreta tantùm loquuntur de Confessariis Regularibus, hinc quoad Parochos seu alios Sacerdotes sæculares manet antiqua quæstio, à quo Episcopo approbati esse debeant: *Henriq.* & alii dixerunt sufficere à quocumque Episcopo, sive pœnitentis, sive Confessarii, sive alio, quia *Trid.* tantùm requirit approbationem Episcopi, abstrahendo, quis ille sit: sed sententiam 1516

tiam illam meritò rejicit *Lugo* n. 29. & ratio colligetur ex dicendis. Alii cum *Viva* dicunt requiri & sufficere approbationem ab Episcopo pœnitentis, quia penes Episcopum est committere oves suas illi, cui vult & judicat expedire: sed contra hanc sententiam sunt multæ declarationes S. Congreg. apud *Lugo* n. 31., de quibus tamen videri potest *Leuren.* in Foro benef. p. 1. q. 434. n. 2. Alii cum *Suar.* & *Castrop.* pu. 19. §. 3. dicunt requiri & sufficere approbationem ab Episcopo Confessarii, quia Confessarius debet probari ab Episcopo, ergo debet illi esse subjectus: sed contra hanc sententiam etiam est, quia si vera est, Sacerdos Colonienſis non posset Monasterii approbari ab Episcopo Monasterienſi pro confessionibus Monasterii audiendis, quod est incredibile & contra praxin, inquit *Lugo* n. 33. & 36. Alii cum *Nav. Barb. Lugo* n. 35. determinatè requirunt approbationem ab Episcopo illius loci, in quo quis confessiones audit, quia spectat ad Episcopum, ne quis in sua Diœcesi confessiones audiat, qui ab eo non est judicatus idoneus, sicuti ad Magistratum urbis spectat, ne Medicus absque ejus licentia civibus medicinas præscribat. Hæc sententia videtur probabilior, eámque *Carden.* n. 271. putat nunc esse certam ex Constit. *Clementis X.*, quia quando hoc declaratur de Confessario Regulari, facilè à paritate rationis idem colligitur de sæculari; sed ratio ista nulla est, nam in positivis non valet illatio à pari, imò nec à majori ad minus, vel contrà, aliàs bene sic argumentarer, hic Episcopus reservat blasphemiam, ergo etiam odium Dei; Papa reservat lectionem libri hæretici, ergo etiam desperationem &c. Hinc

*Ill.* tr. 6. d. 6. n. 177. & alii multi cum *Leur.* n. 1. non improbabiliter dicunt saltem Parochum hujus Diœcesis non indigere aliâ approbatione ad alibi audiendam confessionem sui subditi, quia cùm ratione muneris sit Pastor ejus, & Confessarius ordinarius, satis à *Trid.* censetur pro illo ubique audiendo approbatus; sicuti etiam Confessarii Principum & Magnatum, qui respectu illorum sunt veluti Parochi, quando per varias Diœceses illos comitantur, audiunt illos ubique sine approbatione singulorum Ordinariorum. Et idem videtur dicere *Lugo* nu. 42. de quocumque sæculari Sacerdote approbato retinente domicilium in hac Diœcesi, si cum subdito hujus Diœcesis peregrinetur in alia Diœcesi: Et ideo etiam *Sanch.* & alii apud *Leur.* q. 435. n. 4. docent, si Parochus alteri approbato non Parocho deleget jurisdictionem in suos, hunc delegatum posse istos Parochianos audire etiam extra Diœcesin, cujus est Parochus delegans, sicuti enim hic Parochus posset audire suos in alia Diœcesi, ita poterit habens delegatam ab illo potestatem. E contrà tamen docet probabiliùs *Ill.* etiam Parochum hujus Diœcesis non posse extra hanc Diœcesin audire alienos sine approbatione Episcopi loci.

7. Quod dictum est de Parocho sæculari, vi- 1517.
detur dicendum etiam de Regulari habente verum Beneficium Parochiale, quia simili modo supponitur jam approbatus in hac Diœcesi pro sua Parochia, cui affixus est.

8. Quòd attinet ad Missionarios castrenses, 1518.
*Layman* l. 5. t. 6. c. 10. n. 5. rectè docet eos, qui ab Episcopo præficiuntur alicui legioni suæ pro

administrandis Sacramentis, esse talis legionis veluti Parochos, ubicumque terrarum illa fuerit, & etiamsi novi milites accedant aut succedant aliis: Sed tota difficultas est, si Missionarius ille sit Regularis, an propter Constit. *Clementis X.* debeat approbari ab Episcopis omnium Diœcesium, per quas transit aut in quibus fortè commoratur legio. Negârunt duo Doctores à me interrogati, & putârunt sequentia posse tutò teneri: 1. Talem Castrensem etiam Regularem, ubicumque sit, esse approbatum pro sua legione. 2. Si milites alii etiam ex alia legione, cui alius Sacerdos Castrensis præest, ad eum accedant, posse absolvi, quia milites omnes censentur esse veluti vagi, & proprii Missionarii contenti sunt, ipsi autem sunt approbati etiam pro illa Diœcesi respectu suæ legionis, ergo sicuti si subditus hujus Parochiæ veniat ad Parochiam alterius vicini, potest ab hoc Parocho absolvi, uti habet praxis, ita etiam hìc. 3. Videtur idem dicendum esse de aliis hominibus vagis, qui quamvis non sint milites, tamen fortè in exercitu sunt, vel in præsidio, & petunt ab eis absolvi. 4. Quod attinet ad alios, qui non sunt vagi sed Parochiani locorum, in quibus sunt vel per quæ transeunt legiones, quoad hos videtur in rigore observanda Const. *Clementis.* 5. Unus eorum Doctorum addidit, talem Castrensem habere jurisdictionem pro toto exercitu, ideoque si unus Tribunus alterius legionis eum peteret, posse etiam hos absolvere, nam si hic moreretur, alter in ejus locum posset succedere absque nova auctoritate Superiorum, quorum voluntas hìc est talis. Ita viri illi, ego autem nihil definio:

attamen

attamen pro confirmandis hìc dictis n. 1. occurrit hæc ratio, quia tales castrenses sunt Parochi suæ legionis, ergo talis legio est ipsius Parochia, ergo ubicumque sit legio, ipse semper est in sua Parochia, dicitur enim Parochus à παροικος accola seu incola, eò quòd collocetur inter eos, quorum, quoad animam, curam gerit, utì dixi l. 4. n. 599. ergo cùm semper sit inter legionem suam, semper est in Parochia sua, & non tantùm circumducit Parochianos suos, sed reipsa circumfert totam Parochiam suam, utì enim legio est vaga & nullo loco fixa, ita & Parochia illius, ergo sicuti Parochus existens in sua Parochia semper potest absolvere suos, ita & talis Missionarius.

Q. 216. *Quid præterea notandum sit circa approbationem Regularium.* R. seqq. §. 1. Illi Regulares approbantur ab Episcopo, qui approbantur à Superioribus suis ex speciali gratia vel facultate concessa ab Episcopis, utì per se patet. 1519.

§. 2. Ex n. 1505. constat Confessarium Regularem exemptum, quamvis secundùm dicenda n. 1552. habeat jurisdictionem à Papa, attamen hanc habere suspensam usque ad approbationem Episcopi, qui si hanc semel dederit, functus est officio suo, & tum habent Regulares jurisdictionem à Papa acceptam, omnino expeditam, nec impedibilem ab Episcopo, secundùm dicenda n. 1545. Tenetur autem Episcopus Regularem repertum absolutè idoneum approbare indistinctè sine restrictione ad tempus, loca, personas, utì habet *Clemens X.* n. 1505. Non sufficit autem petitam esse & injustè denegatam approbationem, utì colligitur etiam ex 1520.

hac prop. 13. ab *Alex.* VII. damnata, *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato & ab eo injustè reprobato.* An verò possit Episcopus revocare approbationem semel datam, dicetur n. 1545.

1521. §. 3. Quamvis plures apud *Lugo* d. 21. n. 9. dixerint Prælatos Regulares, uti Provinciales, Priores, Guardianos, Rectores, non indigere approbatione ad audiendas confessiones sæcularium, eò quòd sint veluti Parochi curam animarum habentes, tamen oppositum omnino tenendum est cum *Suar. Fagund. Lugo* num. 10. *Viva* De Jubil. q. 9. a. 4. quia reipsa non sunt Parochi, cùm Parochus definiatur esse, qui auctoritate Episcopi, ecclesiæ Parochiali est præfectus, ut populo subministret pabulum verbi Dei & Sacramentorum: ergo etiam de talibus Prælatis valent dicta n. 1505. De Abbatibus dicetur n. 1535.

1522. §. 4. Si sæculares in Monasterio famulentur Regularibus & non sint de familia, id est, continuò ibi non fruantur mensâ, opus est approbatione Ordinarii, ut audiri possint, uti tenent omnes cum *Sylvio* p. 1. v. *Confessarii approbatio*: Et quamvis sint de familia, si Superiores Monasteriorum non sint Abbates cum potestate, de qua dictum est n. 1497. adhuc opus esse approbatione Ordinarii ad illos audiendos, tenent *Sylv.* suprà, & iterum p. 2. v. *Confessarii approbatio.* Sed rectè contradicunt *Rodriq. La Crux, Tam.* & jam certum est ex n. 1505.

1523. §. 5. Si Episcopus aut Vicarius illius Generalis concedat Regulari facultatem audiendi Diœcesanos, vel si det alicui Diœcesano facultatem confitendi Regularibus, frustra repugnant Parochi,

Parochi, nam singuli Parochiani sunt subditi Ordinario tanquam Pastori universali omnium, etiam ipsorummet Parochorum.

*Q. 217. Cui confiteri debeant aut possint Regulares itinerantes.* R. §. 1. Regularis, saltem Societatis JESU, confiteri debet socio suo Sacerdoti ejusdem Ordinis, non autem externo aut alterius Ordinis, imò nec ejusdem Ordinis fortè in via occurrenti. Quòd si non adsit Confessarius ejusdem Ordinis, potest confiteri cuivis, etiam non Regulari. Putántque *Suar. Tamb. Sporer* n. 685. *Burgh.* cent. 2. casu 8. contra *Vasq.* etiam non approbato ab Episcopo, quia Prælatus censetur id permittere, si sit consuetudo vel necessitas confitendi aut communicandi de via; nec requiritur, ut Confessarius Regularium sit ab Episcopo approbatus, saltem exceptis Monialibus, sed secundùm dicta n. 1487. satis est esse designatum à Superiore. 1524

§. 2. Religiosus Societatis JESU divertens ad aliquam domum sui Ordinis tenetur confiteri aut socio viæ, aut uni ex ordinariis Confessariis illius domús, *Gob.* tr. 7. n. 646. Quid facere debeat, si casum reservatum habeat, dicetur n. 1679. Quoad alios Religiosos, quisque debet se conformare suis Statutis vel consuetudini. 1525

§. 3. Si Moniales absint à suis Monasteriis, etiam scient, quid sibi liceat per Statuta vel consuetudinem: quòd si nesciatur de Statuto vel consuetudine, putat *Platelius* permitti, ut cuivis confiteantur: Melius tamen est interrogare, an facultatem habeant, & si affirment, credi potest. 1526

§. 4. Dubium est, an Moniales cum licentia 1527

degentes extra Monasterium, & à Superioribus suis habentes potestatem confitendi cuicumque, possint confiteri non approbato specialiter pro Monialibus: & videtur, quòd sic; quia quamvis Greg. *XV.* in Constit. *Inscrutabili*, quam refert *Synodus Colon.* anni 1662. pag. 173. dicat, *Confessores verò sive Regulares sive Jæculares quomodocumque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii ad Confessiones monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant*; tamen videtur intelligere de illis solis Confessariis, qui vel sunt ordinarii in Monasteriis, vel extraordinariè mittuntur pro audiendis Monialibus, secundùm dicenda n. 1534. adeoque intelligit de Monialibus in Monasteriis degentibus, supponit enim juxta alias Bullas Apostolicas, quòd Moniales semper sint intra clausuram. Et etiam id solùm videtur velle *Clemens X.* relatus n. 1505., nam paulò antè dicit se Prædecessorum Constitutiones & Declarationes *in unum collectas.... munire & roborare*, ergo etiam ipse intelligit tantùm Confessarios ordinarios vel extraordinariè deputandos pro audiendis intra claustra Monialibus, quales non sunt, qui audiunt peregrinas, ergo de his non loquuntur Pontifices; & consequenter cùm à jure antiquo recedendum non sit, nisi quatenus novo fuerit expressum, l. *Præcipimus.* §. 6. Cod. *De appellat.* ejusmodi Sacerdotes possunt, uti antè, absolvere Moniales per accidens ad se venientes, quamvis non sint ad eas specialiter approbati. *Confirm.* nam saltem per epiikiam id dicendum est in Germania, in qua Monialibus

bus sæpè conceditur longo tempore abesse & morari in locis, ubi nulli aut rariſſimi sunt tales specialiter approbati, credibile autem non est Papam velle illas tanto tempore carere Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ.

*Q. 218. Quid præterea notandum sit circa approbationem & confessarium pro Monialibus.* R. seqq. §. 1. Ad audiendas sive ordinariè sive extraordinariè Moniales, etiam exemptas à jurisdictione Episcopi, requiritur approbatio Episcopi, secundùm dicta n. 1527. sic enim habet Constitutio *Greg. XV.* Hanc tamen Constitutionem, quoad punctum illud approbationis pro Monialibus exemptis, non esse receptam pro Regnis Hispano subjectis, sed ab *Urbano* VIII. suspensam, testatur *Lezana* tom. 1. Summæ c. 19. n. 35. ideoque *Platelius* p. 5. n. 895. & *Loth.* tr. 23. q. 5. dicunt non obligare pro Belgio, in quo secundùm *Trid.* sess. 23. c. 15. De Reform. solummodo ad audiendas Confessiones sæcularium non autem Regularium requiritur approbatio Episcopi. Constitutio autem *Clementis X.* relata à n. 1502. non videtur ponere novum jus, sed tantùm roborare & declarare Constitutiones priorum Pontificum, uti habent verba n. 1503. relata. An autem Constitutiones illæ quoad hoc punctum alibi ubique receptæ sint & obligent, dubitatur; negant aliqui, quia Episcopi non videntur urgere, sed connivent, uti in multis aliis per tales Constitutiones statutis, v.g. ut Regulares in templis suis non concionentur, nisi acceptâ benedictione ab Episcopo, in alienis autem non nisi cum licentia, uti verba habent nu. 1504. relata. E contrà, quòd sufficienter his locis receptæ sint 1528

& obligent, ſuadent ſequentia, imprimis quia in Diœceſibus vicinis obſervantur quoad punctum illud, ſpeciatim in Paderbornenſi. Deinde Conſtitutio *Greg.* XV. eſt promulgata in *Synodo* Colon. anni 1662. pag. 173., ideoque eam Coloniæ obſervant Patres Franciſcani reſpectu Monialium ſibi ſubjectarum, vigetque etiam in Diœceſi Monaſterienſi: ac etiam in Hildeſienſi recepta eſt *Clementis* X. Conſtitutio, ergo pro talibus locis requiritur, ut Confeſſarius Monialium ſit ab Epiſcopo approbatus.

1529 §. 2. *Sylvius* p. 2. v. *Confeſſio* caſu 2. teſtatur Reſponſum ſacræ Congregationis approbatum à *Greg.* XV. & *Urb.* VIII. dicere, quòd Regulares ad audiendas Moniales ſibi ſubjectas egeant *ſpeciali* Epiſcopi approbatione: quod clarè exprimit *Clemens* X. n. 1505. relatus; ubi addit approbatum ad unum Monaſterium non eſſe approbatum ad aliud, & deputatum pro una vice non eſſe deputatum pro pluribus vicibus. Quando autem dicit, Monialium *ſibi ſubjectarum*, non eſt ſenſus, ſibi, id eſt, Epiſcopo ſubjectarum, utì videtur intelligere *Platelius*, ſed ſibi id eſt, Regularibus ſubjectarum, nam de Regularibus ibi loquebatur, ad quos ſi referatur reciprocum *ſibi*, eſt propria locutio, ſi autem ad Epiſcopum, eſt minùs bona & parum ſyntactica, ſtandum eſt autem pro ſenſu proprio verborum, vel ideo etiam, quia de ſubjectis Epiſcopo non poterat eſſe dubium, cùm certum eſſet ad eas audiendas requiri ſpecialem Epiſcopi approbationem.

1530 §. 3. Ut quis dicatur approbatus *ſpecialiter* ad Moniales, non eſt ſatìs eſſe approbatum generaliter ad omnes Chriſti fideles, quamvis Epiſco-

Episcopus non exceperit Moniales, *Platelius* : Nec satis est esse approbatum ad viros & mulieres, *Tamb.* De pœn. c. 5. §. 2. n. 19. sed necesse est, ut quando datur vel petitur approbatio pro Monialibus, expressa fiat mentio de illis, aut ex circumstantiis satis intelligatur, quòd mens Episcopi se etiam ad Moniales extendat, utì si Episcopus alicui approbato det licentiam audiendi Moniales, in hac licentia continetur specialis approbatio, *Platelius.*

§. 4. Qui approbantur à Superioribus Ordinum habentibus ab Episcopo potestatem approbandi etiam pro Monialibus, æquivalenter approbantur ab Episcopo. Cùm autem illi, qui ad Moniales mittuntur, communiter bonâ fide pergant, supponentes se sufficienter approbatos esse, spectat ad Superiores curare, ut hanc *specialiter* pro Monialibus approbandi potestatem habeant, quam non habent, nisi quando petunt, in specie formaliter vel æquivalenter fiat mentio de Monialibus, quia si petatur & concedatur generatim potestas approbandi, quamvis concedens non excipiat Moniales, illi, qui ex vi talis concessionis approbantur, non approbantur *specialiter* ad Moniales, sed tantùm generaliter, in quantùm hæ continentur sub nomine pertinentium ad talem Diœcesin. 1531

§. 5. Ut audiri possint exemptæ, præter Episcopi approbationem requiritur licentia Superiorum Ordinis, in quo est ista exempta, quia quamvis Pontifices illimitatè nobis dederint jurisdictionem in omnes Christi fideles pro locis, in quibus approbati sumus, tamen per hoc non intendunt derogare Constitutionibus aut privilegiis Religionum, vi quorum non possunt 1532

ejulmodi Regulares confiteri nisi Confessariis à Superiore deignatis, *Platel.* n. 886. *Steph.* t. 5. n. 202. *Sylv.* p. 2. v. *Confessio.* casu 1. vide dicenda n. 1577.

1533 §. 6. Ut audiri possint subjectæ Episcopo, sufficit, per se loquendo, approbatio illa specialis & facultas Episcopi, quamvis Superiores Ordinis nollent, quia prævalet Episcopi jurisdictio, uti in simili casu de Abbate notat *Sylv.* p. 1. v. *Abbas.* casu 1. addens p. 2. v. *Confessio.* casu 2. consensum Abbatissæ quandoque tantùm ad hoc requiri, ut licitè fiat: putat tamen non fore mortale, si illâ insciâ fiat, præsertim ex causa rationabili. Quòd si ille, ad quem spectat dare jurisdictionem, non vellet hanc aliter concedere, quàm sub conditione licentiæ ab Abbatissa obtentæ, patet absolutionem fore invalidam. *Dixi*, per se loquendo, nam in Clementina, *Dudum.* De sepulturis, aliter statuitur de Ordine Fratrum Minorum & Prædicatorum, quamvis fortè alicubi subjicerentur Ordinario, *Rodriq. Portel.* v. *Confessoris approbatio.* Et quoad audiendas Moniales, omnia privilegia & facultates, quæ circumferuntur veluti concessæ his aut illis Regularibus, videntur omnes restringendæ ad tenorem Constitutionis *Clementis X.* quam retuli à n. 1502.

1534 § 7. *Tridentinum* sess. 25. c. 10. De Regul. sic decernit, *Præter ordinarium Confessorem alius extraordinarius ab Episcopo & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium* (Monialium) *confessiones audire debeat.* Et quamvis hoc privilegio non teneantur uti Moniales, attamen expedit fieri, etiam Superioribus præeuntibus, ut sic consulatur conscientiæ aliquarum, quæ extra-

traordinario sæpè indigent, & ex respectu humano, si aliæ non faciant, non utentur alio, ne videantur singulares vel fiant suspectæ. Et siquidem Monasterium sit subjectum Ordinario, hic debet Confessarium talem præsentare: si subjectum sit Prælatis Regularibus, ad hos spectat offerre Confessarium extraordinarium, uti respondit S. *Congreg.* 1609. apud *Zypæum* l. 3. variarum consult. 5. Abbatissa enim & fœminæ non habent potestatem sic eligendi, sed per Superiores, intelliguntur viri, qui eis præsunt, *Sylvius* v. *Confessor.* 1. q. 8. *Loth.* tr. 23. a. 2. ex responso S. *Congreg.* 1621. 19. Octob. ad Episcopum Tornacensem. Si tamen Superiores exemptis ejusmodi Confessarium non offerant, potest assignare Episcopus, *Pelliz.* De Regular. tr. 10. c. 10. n. 254.

*Q. 219. Quid præterea notandum sit circa approbationem quoad Parochos.* R. seqq. § 1. Qui modo per Canones præscripto obtinet Beneficium Parochiale, hoc ipso approbatur, quia Canones volunt obtineri per concursum vel saltem prævio examine, uti habet *Trident.* sess. 24. c. 18. De Reform. & ideo sess. 23. c. 15. ait nullum ad confessiones audiendas *idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, approbationem obtineat.* Unde si quis per fraudem suam, vel per incuriam Episcopi, vel aliter, sine examine aut judicio Episcopi perveniisset ad Parochiam, indigeret approbatione uti alii. E contrà nomine approbatorum ex vi Beneficii Parochialis veniunt etiam Episcopi & Abbates pro foro externo habentes jurisdictionem Episcopalem, *Viva* de Jubil. q. 9. a. 4. Non tamen Abbates alii, nec 1535

Regu-

Regularium Provinciales, Priores, Guardiani, Rectores, uti dictum est n. 1521.

1536 §. 2. Approbatus ex vi obtentæ Parochiæ non tantùm pro suis Parochianis approbatus est, sed etiam pro tota Diœcesi, si consentiant alii Parochi, quia Beneficium Parochiale ponitur à *Trident.* pro approbatione universali, inquit *Lugo* d. 21. n. 21. Et ita habet praxis in Germania, teste *Gobat.* Consequenter tempore Jubilæi quivis Parochus audire potest alienas oves, saltem in eadem Diœcesi, uti cum plurimis *Lugo* n. 12. *Diana* p. 1. t. 11. R. 3. *Viva* suprà.

1537 §. 3. *Suar. Vasq. Lugo, Aversa* q. 16. s. 7. *Leur.* in toro benef. p. 1. q. 434. n. 2. aliique communiùs putant approbatum vi Beneficii Parochialis censeri approbatum pro tota Ecclesia etiam extra istam Diœcesin, quia est approbatus secundùm *Trident.* tanquam publicus Minister Ecclesiæ: sed probabiliter contradicunt *Guttier, Homob. Garc. Laym. Piasec.*, quia mens approbantium videtur esse approbare tantùm ad subditos suos; & aliàs pariter dicam Sacerdotem quemvis approbatum, licèt Parochus non sit, esse approbatum pro tota Ecclesia, cùm approbetur tanquam publicus ejus Minister; Ratio à priori potest esse, quia Parochus non approbatur ab Ecclesia universali, sed tantùm ex dispositione *Tridentini* approbatur à suo Episcopo conferente ipsi Parochiam, cujus solius examen vel judicium prærequiritur, ergo non debet censeri approbatus judicio universalis Ecclesiæ vel pro universali Ecclesia, sed tantùm pro Ecclesia seu Diœcesi sui Episcopi.

1538 §. 4. Quamvis in quibusdam Diœcesibus fiat, ut universaliter approbatus, si ab uno Parochia

trans-

transeat ad aliam, non ideo iterum examinetur pro approbatione, oppositum tamen fit in quibusdam aliis Diœcesibus, nec immeritò, quia idoneus pro uno loco non semper est idoneus pro alio, in quo possunt esse diversi Parochiani exigentes diversam in Parocho scientiam & qualitates.

§. 5. Parochus non potest sibi in Confessarium eligere simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario, nam *Alex. VII.* damnavit hanc 16. prop. *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Quinam propositionem illam tenuerint, refert *Mendo* diss. 10. q. 7. & quæ pro illa afferri possent, solvunt *Du Bois* & *Viva* ad illam prop. damnatam. 1539.

*Q.* 220. *Quid notandum circa desitionem vel revocationem approbationis aut similium facultatum.* R. seqq. §. 1. Sicuti error communis quandoque facit, ut non desinat, vel ut absolutè adsit jurisdictio, quia nempe tum Ecclesia supplet propter commune bonum, secundùm dicta l. 6. p. 1. à n. 112., ita pariformiter loquendum est de approbatione: Hinc si Ordinarius concesserit Sacerdoti approbationem tantùm ad suam approbantis vitam, aut ad tempus, quod reipsa exspiravit, aut si approbatio sublata sit in pœnam, quamdiu mors Ordinarii, finis temporis elapsi, sublatio approbationis in pœnam facta publicè ignorabuntur, Sacerdos absolvet validè, quamvis sit peccaturus malâ fide utens approbatione, quam ampliùs non habet, utì constat ex dictis loco citato. 1540.

§. 2. Si Regularis Coloniæ approbatus mutet Diœcesin, non ideo desinit ejus approbatio 1541.

Co-

Coloniæ obtenta, hinc si Coloniam redeat, potest sine nova approbatione audire confessiones, *Lugo* d. 21. n. 44.

1542. §. 3. Si quis desinat esse Parochus, putârunt aliqui apud *Moyam* d. 7. q. 3. n. 4. non desinere ejus approbationem. Sed tenendum est cum *Suar. Henriq. Barb. Gob. Lugo* n. 8. *Leur.* in foro p. 1. q. 434. n. 4. *Sporer* n. 603. *Viva* De Jubil. q. 9. a. 4. desinere, nisi priùs fuisset approbatus independenter à Beneficio Parochiali. De Parocho mutante Parochiam dixi n. 1538

1543. §. 4. Si moriatur Parochus, non ideo desinit approbatio Sacellani vel Vicarii approbati eum in finem, ut requisitus juvet Parochum, tales enim non approbantur præcisè ratione personæ Parochi sed loci. E contrà tamen videtur desinere facultas talis Sacellani ad assistendum Matrimoniis, nisi aliter velint & declarent Ordinarii, quia hæc pendebat immediatè à Parocho ad singulos actus suo modo delegante ipsi, non item approbatio vel jurisdictio in fideles pro confessione audiendos, quæ erat immediatè ab Ordinario. Videmus tamen etiam, inquit *Arsdek* p. 3. t. 2. c. 1. n. 9. Sacerdotem pro cooperatore à Parocho assumptum, eo defuncto pergere in omnibus, quamdiu à novo Parocho non removetur.

1544. §. 5. Privilegia non cessare morte concedentis, dixi l. 1. n. 835. An autem & quando commissio exspiret morte committentis, dixi ibidem n. 816. Ex quibus sequitur, si Vicarius Episcopi dederit facultatem aliquam Titio, & Episcopus tollat Vicario potestatem imposterum concedendi talem facultatem, antequam Titius eâ facultate sit usus, Titium posse uti il-

lâ,

lâ, quia est gratia, ad quam jus acquisivit, facultatem illam acceptando, *Castrop.* tr. 3. d. 4. pu. 16. §. 4 *Pontius* De Matr. l. 8. c. 19. §. 1. *Lugo* Resp. Mor. l. 1. dub. 20. ubi plùs adhuc asserunt. Hinc etiam si facultas absolvendi concessa sit alicui Superiori Regulari, v. g. ad septennium, cum potestate eam communicandi aliis, quamvis ille Superior ante septennium expletum removeatur ab officio, illi, quibus ab initio concessit, habent ad septennium: Imò si concessio fuit realis, id est, si facultas concessa fuit ratione officii, habet eam ejus Successor usque ad finem ejus septennii, uti pluribus deducit *Lugo* dub. 19. Quandonam autem censeri debeat esse concessio realis aut personalis, dixi l. 1. n. 833.

§. 6. Episcopi non possunt revocare vel limitare approbationem Regularium, quam ipsimet dederunt, nisi accedat nova justa causa ad confessiones pertinens: Nec possunt suspendere facultatem omnium in uno Conventu, uti constat ex verbis *Clementis X.* relatis n. 1506. Quod etiam verum est de sæcularibus approbatis, nam Cap *Accepimus.* De ætate & qualit. Ordin. dicitur, *Semel idoneus reputatus debet pro tali haberi semper aliâ causâ non interveniente.* Si tamen quis ad examen revocetur, frustra se opponet, quia Episcopus facilè prætendet causam, quæ præsumi debebit esse justa, quia pro ipsius auctoritate erit possessio. 1545.

§. 7. Prælati Regulares ordinariè possunt revocare vel limitare facultates suorum subditorum, quia dantur his in ordine ad usum cum dependentia à Prælatis: Hinc Præfatio novi *Compendii* privileg. Societatis JESU habet, *De* 1546.

*omni-*

*omnibus verò hujus Compendii facultatibus illud in universum intelligatur. .....Superiorum fore illarum usum, cùm expedire judicaverint, vel limitare vel etiam omnino suspendere*: Et idem est de aliis Regularibus, per se loquendo. Quòd si Prælatus tantùm prohibeat uti facultate, v. g. audiendi confessiones, non ideo redditur usus sive absolutio invalida. *Conseltius* in Collectan. Privil. sacrorum Ordinum pag. 365. Vide dicta num. 1470. *Dixi*, ordinariè, nam

1547. §. 8. Facultates, quæ Regularibus conceduntur, sunt triplices, 1. aliquæ directè & primariò conceduntur populo Christiano, nempe ob ejus utilitatem, utì in Jubilæo absolvendi à reservatis & censuris, commutandi vota &c. 2. Aliæ directè & primariò conceduntur Ordini & personis ejus, utì potestas lucrandi certas Indulgentias, exemptio à jurisdictione Ordinariorum &c. 3. Aliæ conceduntur æquè directè & primariò propter bonum Ordinis & populi Christiani. Quod attinet ad facultates primi generis, hæ non videntur tolli posse vel restringi à Superioribus Ordinum quoad validitatem, quia non sunt privilegia Ordinum sed populorum. Et idem videtur esse dicendum de facultibus tertii generis: possent tamen Superiores huic vel illi prohibere & ita illicitum reddere usum talis facultatis. E contrà facultates secundi generis possunt à Superioribus restringi vel tolli in illis Ordinibus, in quibus eas non habent Regulares, nisi ipsis communicentur à Superioribus, utì fit in Societate JESU, secundùm dicenda n. 1575.

*Indicem rerum in hoc tomulo VI. contentarum dabo in fine tom. VII.*

FINIS.

Th b
2403